2553

2553
XXXII-3

2.890

Habet ad unum cum sui Superiorii

Licencia, fr. Mig.l Maria Diaz Anno

Dmni 1778.

Habet ad usum sup. prædictum. Fr. Vincentius Thomas ab Odriguez. Ann. dom. 1794.

DISPVTATIONES IN SVMMVLAS SS.P.M.Fr. DOMINICI DE SOTO, ORDINIS PRÆDICATORVM.

PER R.P.Fr. COSMAM DE LERMA, EIVSDEM Ordinis Sacræ Theologiæ Magistrum, sanctæque Inquisitionis Censorem.

HANC PRIMAM EDITIONEM, NECNON totam Dialecticam, & Philosophiam, Sacræ Deiparæ, necnon sanctissimo eiusdem Rosario, dicat, & consecrat, humilis seruus, Fr. Petrus Diaz de Cosio, eiusdem Ordinis Prædicator generalis.

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL - PALENCIA

CVM PRIVILEGIO.

Matriti, Ex TYPOGRAPHIA REGIA, Anno 1668.

Habet ad Usum Fr. Michaelis Ma-
ria Diaz Cum suis Superiorum li-
centia Anno 1774

FRater Ioãnes Baptiſta de Marinis Sacræ Theologiæ profeſſor, Ordinis Prædicatorum, humilis Magiſter generalis, & ſeruus: Harum ſerie noſtriquè auctoritate officij committimus Reuerendo Patri Fratri Petro Coſsio Prouinciæ noſtræ Hiſpaniæ, vt diligenter exquirat, & recolligat omnia opera relicta a Patre Magiſtro Fratre Coſma de Lerma, tam controuerſiarum, quàm quarumcumque aliarũ materiarum, eidemquè facultatem concedimus, vt poſſit illa prælo mandare, præcedẽte approbatione duorum Lectorum Theologiæ Conuentus noſtri Burgenſis. Mandantes in virtute Spiritus Sancti, ſanctæ obedientiæ, & ſub formali præcepto omnibus nobis inferioribus, tam Prælatis, quàm ſubditis, vt hãc noſtram conceſsionẽ obſeruent, & obſeruari faciant; neque quoad hoc prædicto Patri Fratri Petro Coſsio, præiudiciũ aliquod inferre audeant irritum, & innane declarantes quicquid incontrarium factum fuerit, vel attentatum, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen. Datum Romæ in Conuentu noſtro Sanctæ Mariæ ſuper Mineruam, die tertia Februarij milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto. Frater Ioannes Baptiſta de Marinis Magiſter Ordi-

nis. Registrata folio vndecimo. Frater Antonius Cõçalez Magister, & Socius. E yo Mateo de la Canal, Notario publico Apostolico por autoridad Apostolica, y ordinaria, vezino desta Ciudad de Burgos, y Oficial mayor del oficio del partido de apelaciones, y obras pias de la Audiencia Arçobispal de ella, saquè, y compulsè este traslado de su original, para cuyo efecto me fue exhibido por el Padre Fr. Pedro de Cosio, Predicador general del Orden de Santo Domingo, residente en el Conuento de San Pablo desta dicha Ciudad, à quien le boluì, y con èl concuerda, à que me remito; y en fee de ello, de su pedimiento, lo signo, y firmo en Burgos à veinte y dos de Iulio de mil y seiscientos y sesenta y seis años. En testimonio de verdad. Mateo de la Canal, Notario.

Doze ducados y mi derechos

APPRO-

APPROBATIO RR. ADMODVM PP. Lectorum Theologiæ Conuentus Sancti Pauli Burgensis.

INiunctæ nobis à Reuerendissimo Patre nostro Fr. Ioanne Baptista de Marinis, vniuersi Prædicatorum Ordinis generali Magistro obedientiæ addicti, non segniter; imò accuratè euoluimus, sedulò lustrauimus volumẽ, cui superscriptio: *Disputationes in Sũmulas SS.P.M.Fr.Dominici de Soto, Ordinis Prædicatorum*: opus quidem apprime elaboratum, plenè absolutum; planè ita dispositum, vt in hac rerum seriè quicquam Lectori desiderandum non suppetat; cuncta etenim inconcusse firmans, nil discutiendum omittit. Sed vel quid minus, si eximius iste labor liber est R.A.P.M.Fr.Cosmæ de Lerma, auspice doctrina, famaquè tonante, plausu haud vulgari, celeberrimi? Liber inquam clarissimi illius ingenij nulli non noti, indiesquè notioris; filius charissimus (*libri enim, liberis chariores sunt, quantò mentis filij sunt præstantiores, quàm corporis*, diuinus, aut diuinè saltem, protulit Plato *Epistolar. lib. 7.*) Hunc mortalitatis vinculis genuit adhuc astrictus; sed protinus distringendus ab illis, inhianſquè æternitati, vt ipsi mandarent suis commendauit asseclis. Iste fortasse

taſſe magis dilectus; non quia in ſenectutē procreatus (fata enim dira immatura ætate parentem, non ſine graui iactura è medio ſuſtulere) ſed quia, licet forte, poſterior, tamen vt legitima proles, præ cæteris, vel natu primis, aut certe poſthumis progenitoris formam expreſsius gerit, diſſerendi claritate, dexteritate reſoluendi, diſſoluendi facilitate. Mirum, quam expolitus, & terſus prodit, paterna cura deſtitutus. Lucubrationes igitur iſtæ pervtiles. Hic tyrones habent litterariæ paleſtræ. Vnde imbecillitatem exuentes virtutem induant ad aggrediendum felici homine philoſophicas diſciplinas. Hic doctrinæ claræ refocillentur vndis, qui ampliſsimæ ſcientiarum Principis fluenta pleniſsima, ac profundiſsima citius bibere ambiunt. Hinc Veterani velut ex armamētario quodam, armis accingantur perlucidis, quibus paralogizantium tela retundere, verſipellium hæreticorum fucos, aſtutiaſque errorum nebulis obumbratas, penitus euaneſcere faciant. Hinc denique prouecti prouectiores fieri non erubeſcant (*ſemper enim doctis ſupereſt, quo creſcere poſsint*) nam licet iſta didicerint iuuenilibus annis, *non tamen* (prophanus concinit) *idcircò, prætereunda ſibi. Ouid. 6. faſt.* Gratulentur ergo ſtudioſi ob ingenioſas vigilias per docto Magiſtro: referant necnon grates R. P. Prædi-

catori

cātori generali Fr. Petro Diaz de Cosio de litteratis benemeriti; ille etenim mentis animauit fœtum; iste penè emortuū suscitat, præter spemquè in ipso Authorem suum denuò reuiuiscere facit. Ille concepit; iste ferè tenebris obuolutum, lætheis ferme inuolutum aquis, ingenti cura, indefessa sollicitudine, sumptibus in modicis portum tenore, & lucem aspicere cogit. Tantum supereſt, præclarum opus præsto insudare, vt sapiētiæ thesaurum investigantes sudent minus inquirendo, quinimò pro pulso tædio promptè inueniant, tranquille possideant. Sic nostra sententia tenet. Sic litteris incumbentium expetunt vota. Burgis in Conuentu Sancti Pauli prefati Ordinis, die vigesima quinta Iulij, anno millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto.

F. Gabriel Martinez.
Lector Theologiæ.

F. Franciscus de Ibarra.
Lector Theologiæ.

APRO-

APROBACION DEL P. MANVEL de Naxera, de la Compañia de Iesus, Predicador de su Mageſtad.

POR mandado del ſeñor Don Franciſco Forteza, Vicario de Madrid, y ſu partido, he viſto vn Libro intitulado, *Diſputationes in Summulas Sapientiſsimi Patris Magiſtri Fatris Dominici de Soto, Ordinis Prædicatorum, per R. P. Fratrem Coſmã de Lerma, eiuſdem Ordinis Sacræ Theologiæ Magiſtrum, & apud Sanctæ Inquiſitionis Senatum ex officio Cenſorem*, y el Autor es tan conocido, y tan celebrado en el mũdo, que no neceſsita de nueuas aprobaciones, y tan feliz, que tiene por interprete al Reuerendiſsimo P. M. Fray Coſme de Lerma, cuyo eſclarecido ingenio gozò de juſticia vniuerſal aplauſo. Todas mis alabanças ſon menos, que las que el Libro merece; y aſsi juzgo, que darle à la Eſtampa, eſtarà tan lexos de tener coſa, que ofenda à la piedad, que ſerà vtilidad comun. Eſte es mi parecer; ſaluo, &c. en eſte Colegio Imperial de la Compañia de Ieſus de Madrid à 5. de Otubre de 1667.

Manuel de Naxera.

Li-

Licencia del Vicario.

NOS el Doctor Don Francisco Forteza, Vicario desta Villa de Madrid, y su partido, por la presente, por lo que à Nos toca, damos licencia, para que se pueda imprimir, y vender vn Libro intitulado, *Disputationes in Sũmulas*, cõpuesto por el muy Reuerendo Padre Fray Cosme de Lerma, de la Ordẽ de Santo Domingo, atento, à que de la Censura del Padre Manuel de Naxera, de la Compañia de Iesus, Predicador de su Magestad, consta, no tiene cosa cõtra nuestra santa Fè Catolica, y buenas costumbres. Dado en Madrid à treze de Otubre de mil y seiscientos y sesenta y siete años.

Doct. D. Francisco Forteza.

Por su mandado.

Iuan Bautista Brauo.

APRO-

APROBACION DEL REVERENDISSIMO Padre Fray Diego de Silva, de la Orden de nuestro Padre San Benito, Predicador de su Mageſtad, de la junta de la Concepcion, Calificador de la Suprema, y Obiſpo electo de Guadix, &c.

M. P. S.

POR mandado de V. A. he viſto vn Libro intitulado, *Diſputationes in Sũmulas SS. P. Magiſtri F. Dominici de Soto, Ordinis Pradicatorũ, per R. P. F. Coſmam de Lerma, eiuſdem Ordinis Sacræ Theologiæ Magiſtrum, & apud Sanctæ Inquiſitionis Senatum ex officio Cenſorem*, y no hallo en èl coſa, que contradiga à la ſanta Fè Catolica, ni à las buenas coſtumbres; antes ſus Autores ſon de eſclarecido nõbre, y erudicion plauſible; y aſsi puede V. Alteza darle la licencia que pide. En San Martin de Madrid, de la Orden de nueſtro Padre San Benito, à 5. de Diziembre de 1667.

Fr. Diego de Silva,
Obiſpo electo de Guadix.

Suma

Suma del Priuilegio.

EL P. Fr. Pedro de Cosio, Predicador general de la Orden de Predicadores, tiene Priuilegio por diez años, para poder imprimir este Libro intitulado, *Disputationes in Summulas*, como mas largo consta de su original, despachado en el oficio de Luis Vazquez de Vargas, Escriuano de Camara del Consejo.

Fee de Erratas.

PAg. 1. in proh Summularium, lege, Summularum. Pag. 2. c. 1. lin. 17. parte, lege, p. Pag. 5. c. 2. lin. 6. affectionis, lege, affectiones. Pag. 6. c. 2. lin. 1. distinctioni, lege, distinctione. P. 9. c. 1. lin. 27. substantio, lege, substantia. P. 14. c. 1. lin. vlt. veri, lege, veritas. P. 14. col. 2. c 34. dele, cum. P. 17. c. 2. lin. 10. directum, lege, directiuum. P. 25. c. 2. lin. 14 minor, lege, maior. P. 37. c. 2. lin. 3. signo, lege, signa. P. 39. c. 2. lin. 1. adeque, lege, adequet. P. 4. c. 2. lin. 10. cognito, lege, cognitum. P. 48. c. 1. lin. 15. veæ, lege, &. P. 49. c. 2. lin. 15. comparationem, lege, comparatione. P. 50. c. 2. lin. 30. est, lege, in esse. P. 51. c. 1. lin. 25. in lit. lege, in hærentia, & lin. vlt. entes, lege, ente. P. 54. c. 1. lin. 4. quo, lege, quod. P. 54. c. 2. lin. 10. impressa, lege, expressa. P. 55. c. 1. lin. 12. &, lege, est. P. 56. c. 1. lin. 23. dele, ex determinatiuum. P. 59. c. 1. lin. 1. dele, in, &. lin. 31. c. 2. cognitio, lege, cognito. P. 66. c. 2. lin. 6. in, lege, id. P. 22. c. 2. n. 5. lin. 3. cognoscit, lege, cognoscitiuè. P. 74 c. 2. lin. 3. non eatur, lege, non datur. P. 77. c. 2. lin. 32. repræsentatibus, lege, repræsentabitur, & lin. 35. signabum, lege signatè.

¶ Hic Liber inscriptus, *Disputationes in Summulas R. P. Cosmam de Lerma, Ordinis Prædicatorum, &c.* demptis his mendis suo exemplari fideliter respondet. Datum Matriti, die 11. mensis Ianuarij, anno 1668.

Lic. D. Carolus Murcia de la Llana.

Suma de la Tassa.

LOS señores del Consejo tassaron este Libro intitulado, *Disputationes in Summulas*, a cinco marauedis cada pliego, el qual tiene sesenta y quatro, sin principios, ni tablas, y a este precio mãdaron se venda, como mas largo consta de la fee que della diò Luis Vazquez de Vargas, Escriuano de Camara del Consejo.

AD

AD LECTOREM.

PRodeunt expetitæ diu Disputationes Dialecticæ à SS. M. Fr. Cosma de Lerma, accuratè vsque ad finem perductæ. Prodeunt, vt in publicum commodum lucem aspiciant, quæ non sine graui litteratorum dispendio dudum latitabant, iam iam antiquitatis tenebris obuoluendæ. Opus quidē istud posthumum; sed minimè obscurum degenerans vè à claritate Authoris: quinimò reliquis fecundi ingenij præclaris fætibus simillimum, proprio acumini sedulo efformatum, manuquè propria apprimè conscriptum, gratias summas diuino numini referimus: ipso namque afflante philosophici studij curicè typis mandato, iamque sumus, dum vobis omnibus exoptatam metam tenemus. Iure optimo mihi congratulor, quia thesaurum istum sub modio absconsum solicitè conquisitum inueni, & palàm propono, vt luceat omnibus, qui in inclita Prædicatorum domo Philosophicis disciplinis diligenter

genter incumbunt. Nunc præclari huius viri fama assumens pennas longiùs euolabit. Si namque lucubrationes suæ adhuc mutilæ, & imperfectæ eclcib. e ipsum, etiam apud exteros reddidere, quid deinceps non reddent integritatem, & perfectionem consequutæ? Ex inde nemo miretur in cunctis Hispaniarum Regnis Artium Lectores Dominicani instituti Authorem istum, præ cæteris discipulis exponendum delegisse: necnon annuente, imò præcipiente nostro Reuerendissimo Patre Magistro Fr. Ioanne Baptista de Marinis Sacri Prædicatorum Ordinis integerrimo moderatore, eamdem apud omnes Italiæ Prouincias consuetudinem inualuisse. Rectè sanè ita sancitum, quis etenim inter neotericos Philosophi Interpretes, aut aptius quæstiones disponit, aut verius assertiones persuadet, aut fœlicius argumentorum nodos dissoluit? Cuncta igitur in Doctore isto perspicua, absque tricis, confusionisvè nebulis: tyronibus apta, nec minus apta prouectis. Ergo qui Thomisticæ doctrinæ, non sub dole, sed corde adhærent, habent Ducem, qui iter ostendit, quoad scientiarum omnium, & Artium Principis, ac Reginæ prospectum fœlici progressu peruenire queant: habent lucem, cuius splendoribus illustratè iubaris Ecclesiæ fulgentissimi Aquinatis Thomæ radios,

non

non eminus, sed cominus contemplari valeant, aut ebibere. Fruere igitur (Lector beneuole) tanti Magistri vigilijs: fruere, fruere, & nostris: quot enim labores exantlauimus, quot sumptus, vt prælo insudarent, & tot expectantibus obviam occurrerent: ij satis perpendent, qui conquirendis alienis Codicibus, penè oblitteratis, excudendisquè sollicitè inuigilant.

DISPVTATIONES IN SVMMVLAS

Sapientissimi Patris Magistri Fratris Dominici Soto, Ordinis Prædicatorum: per Reuerendum Patrem Fratrem Cosmam de Lerma, eiusdem Ordinis Sacræ Theologiæ Præsentatum, & apud Santæ Inquisitionis Senatum ex officio Censorem.

DISPVTATIO PRIMA.

De operationibus intellectus.

In hac disputatione, quæ ad Dialecticos pertinet circa primam lectionem primi capituli Summularium Sapientissimi Magistri Soto, quatuor inuestigari possunt. Primum quid sit prima operatio intellectus, quid secunda, quid tertia. Secundum an sint plures, vel pauciores, quã tres, & quomodo distinguantur inter se. Tertium quænam illarum sit perfectior. Quartum denique an Logicæ munus sit, hanc triplicẽ operationem nostri intellectus dirigere, & circa primum quæsitum sit.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit prima, quid secunda, quid tertia operatio intellectus nostri.

EX Doctrina Angelici Præceptoris, 1. part. q. 34. art. 1. ad 3. & q. 74. art. 3. cõstat in homine esse duplicẽ intellectum, agẽtem scilicet, & possibilem vnumquemque ab alio distinctum tanquam res à re; nõminus, quàm in operabilibus, & naturalibus principium actiuũ, & passiuũ distingũtur realiter, entitatiuè; de quo latè Magist. Bañez 1. p. q. 75. art. 3. dub. 2. q. 3. cuilibet autem illorũ aliquæ attribuuntur operationes, & species propriæ vniuscuiusque distinctæ ab operationibus alterius. Intellectui, namque agenti triplex tribuitur operatio. Nimirum illustrare obiectiuè (vt vult noster Caietanus) siue formaliter, vt contendunt alij. Abstrahere species intelligibiles à cõditionibus individuãtibus, & facere intelligibilia in actu, quatenus depurat obiectum à materia, & facit illud actu immateriale: cuius immaterialitas est ratio intelligibilitatis actualis. Praeter istas operationes, quæ competunt intellectui agenti secundum se, assignantur à Diuo Thoma, q. 1. de veritate, art.

8. aliæ duæ, quæ eidē intellectui conueniunt comparatiuè ad intellectum possibilem; nempe, causare in illo species rerum intelligibilium, & confortare illum assistendo ei, vt reducat in actu, quæ continebat impotentia, seu in virtute primorum principiorum, quorum actus est in intellectu possibili, & non sunt excogitabiles plures operationes intellectus agentis, seu plura illius officia.

Etiam intellectui possibili triplex operatio ab omnibus tribuitur, cum Diuo Thoma primò posteriorum, lect. 1. & 5. p. q. 75. art. 1. Prima appellatur, simplex apprehensio. Secunda compositio, seu diuisio nuncupatur. Tertia discursus, seu ratiocinatio nominatur. Nomine autem triplicis operationis intellectus, non intelligimus operationes intellectus agentis, sed possibilis. De istis enim, & non de illis conuenit dialecticis disputare. Pro quarum operationū intelligentia, aduertendum erit intellectum possibilem in duas formalitates partiri. Alia est formalitas ipsius, vt intellectus est, altera est formalitas eius, vt ratio est, teste Diuo Thoma 1. p. q. 79. art. 1. Secundùm primam formalitatem conuenit intellectui prima, & secunda operatio; eo quod ad intellectum, vt intellectus est pertinet cognoscere prima principia, & essentias rerum, de illisque iudicare. Cuius ratio est; nam quælibet quidditas indiuisibili consistit. Vnde ratio, & formalitas primæ operationis intellectus est intelligere essentias per simplices conceptus, quos format de illis. Ratio autem, & formalitas secundæ operationis intellectus est res simplices componere, aliquid de illis affirmando, vel negando, & ideò post simplicem apprehensionem hominis per primam operationem intellectus habitam, in secunda coniungit animal cum homine, & facit hanc propositionem, *homo est animal*. Quæ dicitur cōpositio, quia affirmat vnum de alio. Vel hanc, *homo non est animal*. Quæ dicitur diuisio, quatenus separat prædicatum à subiecto, separatione intellectus, qui aptus natus est diuisa adunare, & adunata diuidere. Aduertēdum tamē erit, quòd quando intellectus diuidit vnum ab alio per meram negationem, vt quando facit hanc propositionem, *animal non est rationale*, non facit rigurosam diuisionem, sed compositionem negatiuam. At verò, quando intellectus diuidit vnum ab alio, per meram separationem, tunc facit rigurosam diuisionem, vt quando facit hanc orationem, *animal, aliud rationale, & aliud irrationale*.

2 Tertia operatio dicitur discursus, seu ratiocinatio, & pertinet ad intellectum, vt ratio est, sumitque denominationem

nē à suo proprio munere, quòd est ab vno cognito, ad alterius cognitionem procedere, taliterquod veritas obiecti ignoti in vero iam cognito contineatur. Sicut veritas conclusionis in veritate principiorum, seu præmissarum continetur. Vndè discurrere *est vnum ex alio, in quo continetur deducere.* Discursus autē est duplex (vt ait Diuus Thomas 1. part. quæst. 24. art. 2.) Alius est secundum successionem actus, vt quando vnum post aliud cognoscimus, & si primum non sit causa secundi. Alter est secundum causalitatem, sicuti quando per præmissas in cognitionem conclusionis deuenimus. Et iste est propriè discursus, præsuponitque necessario primum discursum. Quia talis discursus est à noto ad ignotum, quatenus cognoscimus primum adhuc ignorato secundo. Qua propter discursus secūdùm successionem, ad discursum secundùm causalitatem præsuppo nitur.

3 Inter istas operationes intellectus triplex versatur discrimen. Primùm est. Quòd ex illis in secunda tantum veritas, vel falsitas inuenitur: eo quod solum in ista operatione inuenitur iudicium, vt docet Diuus Tho. 1. part. quæst. 16. artic. 3. Li et enim in prima, & tertia operatione intellectus inueniatur veritas transcendentalis (quæ est veritas tanquam in re cognita) tamen veritas formalis, quæ consistit in adæquatione intellectus cū re solum in secunda operatione inuenitur. Secundùm discrimen est; quòd prima operatio supponitur ad secundam, & ad illam ordinatur. Similiter secunda supponitur ad tertiam. Processus enim intellectus sic necessario disponitur, vt ex simplicibus, quæ per simplices conceptus intelliguntur, vnum prius, & aliud posterius intelligatur. Eo quòd prius intellectus concipit essentias, & postea passiones, & deinde ex hijs simplicibus vnum de alio enunciat, vel per compositionem, vel per diuisionem. Vlterius ex ista compositione, vel diuisione prōcedit ad cognitionem alterius, quòd facit discurrendo de primo cognito ad secundum ignoratum, & taliter obseruatur prædictus ordo, quod implicat esse cognitionem compositam, nisi præcedat simplex apprehensio, & similiter non potest esse discursus, nisi præcedente compositione, seu diuisione simplicium. Per quod solvitur, quòd in titulo huius quæstionis quærebatur.

QVÆSTIO II.

Vtrùm operationes nostri intellectus sint plures, aut pauciores, quam tres.

1 Resolutoriè dicendum

est tantum dari tres operationes nostri intellectus. Hæc conclusio videtur expressa, apud Diuum Thomam 1. part. quæst 85. artic. 5. illis verbis: *Respondeo dicendum, quod intellectus humanus necesse habet intelligere, componendo, & diuidendo. Cum enim intellectus humanus exeat de potentia ad actum, similitudinem quandam habet cum rebus generabilibus, quæ non statim perfectionem suam habent, sed eam successiuè acquirunt. Sic similiter intellectus humanus non statim in prima apprehensione capit perfectam rei cognitionem, sed primo apprehendit aliquid de ipsa, puta quidditatem ipsius rei, quæ est proprium obiectum intellectus.* Ecce primam nostri intellectus operationem. *Et deinde intelligit proprietates, & accidentia, & habitudines circunstantes rei essentiam. Et secundum hoc necesse habet, vnum apprehensum alijs componere, & diuidere.* Ecce secundam intellectus hominis operationem. *Et ex vna compositione, & diuisione, ad aliam procedere, quod est ratiocinari.* Ecce tertiam nostri intellectus operationem. Ac per consequens tantum dantur secundum Diuum Thomam tres operationes nostri intellectus.

2 Deinde probatur nostra conclusio ratione, in verbis præcedentibus Diui Thomæ insinuata. Intellectus humanus non statim à principio, sed per successionem quamdam, & motum attingit veritatem, & suam vltimam perfectionem consequitur, qui motus, & successio nihil aliud est, quàm ratiocinatio, & discursus; sed cognitio veritatis per discursum pendet ex compositione, seu diuisione simplicium, & compositio, seu diuisio pendet ex simplici apprehensione, & nihil aliud requiritur ad hoc, quòd noster intellectus veritatem attingat, & suam vltimam perfectionem in veritatis attingentia sitam, consequatur; ergo tantum sunt tres operationes intellectus nostri, nempè simplicium apprehensio eorumdem compositio, seu diuisio, & ratiocinatio, seu discursus, ex notis propositionibus ad ignotas procedens. Confirmatur hæc ratio. Si aliqua alia operatio intellectus daretur præter enumeratas, deseruiret ad scientiam; sed nulla præter assignatas requiritur ad scientiam; ergo nulla datur præter assignatas. Probatur minor. Ad demõstrationem sufficit discursus, seu ratiocinatio. Ad diffinitionem, & diuisionem, secunda operatio, & prima sufficiunt; ergo nulla operatio præter assignatas requiritur ad scientiam.

3 Contra istam conclusionem obijcies primo. Propria, & vltima perfectio hominis est intellectio. Cùm sit vltima

tima perfectio, & actualitas potentiæ intellectiuæ: sed intellectio fit in instanti; ergo perfectio intellectus hominis non successiuè, sed in instanti acquiritur, ac per consequens sola vna est operatio nostri intellectus. Confirmatur hoc argumentum. Licet intellectus hominis à principio sui esse non sit perfectus, sicuti intellectus Angeli, nihilominus transacto aliquo tempore in instanti, acquirit suam perfectionem; ergo noster intellectus non habet tres operationes, per quas suam consequatur perfectionem.

4 Respondetur distinguendo maiorem. Propria, & vltima perfectio hominis est intellectio obiecti perfectè cogniti concedo maiorem. Obiecti imperfectè cogniti, & intellecti nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam. Itaque cum intelligibile perficiat intellectum hominis, & per attingentiam cuiuslibet obiecti intellectus hominis perficiatur, nomine perfectionis propriæ, & vltimè intellectus, sumitur intellectio obiecti perfectè cogniti, & intellecti obiecti perfectè cogniti, & intellecti: quatenus attingit quidditatem, & cognoscit proprietates illius, ita, vt pro obiecto perfectè cognito reputetur quidditas, passiones, & accidentia; eo quod cognitio hominis perfecta ex hijs omnibus depen-

det; cum igitur cognitio perfecta quidditatis, & essentiæ, sit cuiuslibet intellectus creati perfectio, & maior perfectio in quantum de ipsa essentia plures passiones, & affectionis penetrantur: quia hanc perfectam essentiæ cognitionem intellectus hominis, nequit in primo actu, quo essentiam videt adquirere (sicuti Angelus, qui primo intuitu apprehendit essentiam, & omnia, quæ ab illa oriuntur), ideo intellectus hominis ad adquirendam hanc perfectionem requirit actus successionem. Vnde compositione, & discursu, ad perfectam essentiæ peruenit cognitionem. Quatenus post cognitionem essentiæ passiones cognoscit, & cum essentia componit; & post primam passionem aliam per discursum cognoscit, quomodo ad perfectam essentiæ venit cognitionem. Quæ solutio desumitur ex nostro emminentissimo Caietano 1.p.q. 85. art. 5.

5 Ad confirmationem constat ex dictis, licet enim intellectus hominis transacto aliquo tempore à suo principio in instanti eliciat cognitionem, non tamen in instanti elicit cognitionem perfectam attingentem essentiam, proprietates, & accidentia, sed hanc perfectam rei cognitionem pluribus actibus consequitur, quatenus primo apprehendit essentiam, & postea passiones, & deinde passiones cũ

essentia componit, & postea vnam passionem ex alia, per discursum deducit, quod totum prouenit ex debilitate luminis intellectualis nostri intellectus. Vt docet noster Angelicus Magister 1.p.q.58.art.4.

6 Obijcies secundo. Distinctio potentiarum colligitur ex distinctione actuum: sed potentia intellectiua est vna sola; ergo operatio illius vna sola specificè erit. Dices, quod actus non subordinati, & specie distincti specificant diuersas potentias, non verò actus subordinati, & operationes nostri intellectus, licet sint tres specie distinctæ, sunt tamen subordinatæ inter se, & ideo non diuersificant specie potentiam intellectiuam.

Sed contra est. Intellectio, & volitio sunt actus subordinati: & tamen, quia specie inter se distinguuntur diuersificant specie intellectum, & voluntatem; ergo pariter si operationes nostri intellectus sunt tres specie distinctæ (licet inter se subordinatæ) diuersificabunt specie potentiam intellectiuam.

8 Respondetur solutionẽ datam esse legitimam, & ad replicam contra illam respondetur distinguendo maiorem. Intellectio, & volitio sunt actus subordinati, & adæquati distincti specie formali, concedo maiorem; sunt actus subordinati, & inadæquati, distinctique specie materiali, nego maiorem, & subeadem distinctionb minoris nego conseq. vel distinguo consequens distinctione maioris. Licet enim intellectio, & volitio sint actus subordinati, nihilominus tamen sunt actus adæquati; & ideo specificant diuersas specie potentias, operationes verò intellectus nostri non sunt actus adæquati, & ita ad eandem potẽtiam possunt pertinere. Quæ doctrina desumitur ex D. Thom. q.15. de veritate, art.1. ad quintum, illis verbis: *Sicut quiescere, & moueri pertinent ad eandem potentiam, ita adquisitio, & contemplatio veritatis, quia sunt actus inadæquati, ad eandem potentiam possunt pertinere.* Quæ doctrina Diu. Thom. debet intelligi, de actibus distinctis specie materiali, qui conueniunt in modo procedendi intra eandem rationem formalem; non verò de actibus distinctis specie formali, & adæquatis. Hæc autem est regula generalis ad cognoscendum, quando actus distinguuntur specie formali, & sunt adæquati, distinguentesque habitus; vel potentias; nẽpè si actus contineantur sub fine proximo, & immediato alicuius potentiæ, vel habitus, tunc tales actus distinguuntur solum specie materiali, & sunt inadæquati, nõ distinguentes potentias, seu habitus. Cuius ratio est, nam principium communicat actui, quod in se habet sub ea ratione sub qua respicit finem; ergo si principiũ producens plures actus, producit illos

illos in ordine ad eundem finem proximum, & sub vnica ratione formali, talis finis, tales actus specie materiali solum distinguentur, & non formaliter in ordine ad suum principium: cum igitur operationes nostri intellectus, quamuis differant ex parte modi procedendi, & attingendi obiectum, quia tamen conueniunt in fine ad quem ordinantur, scilicet ad cognitionem veritatis. Hinc prouenit, quòd solum distinguantur specie materiali, & sint actus in adæquati eiusdē potentiæ.

9 Obijcies secundo. Ex parte principij nulla est diuersitas ad istas operationes eliciendas, ergo tantùm est vnica operatio. Probatur antecedens. Ab eadem indiuisibili potentia eliciuntur, & aliàs non dantur diuersæ species impressæ, ad secundam, & tertiam, quam ad primam; ergo ex parte principij nulla est diuersitas. Prima consequentia probatur. Quia intellectio lapidis est distincta ab intellectione hominis, intellectio lapidis petit ex parte principij diuersam speciem impressam ab specie hominis; ergo si operationes intellectus sunt tres, & distinctæ, petunt ex parte principij diuersitatem; ac per cō sequens, si ex parte principij nulla est diuersitas, nec ex parte operationum diuersitas inuenietur.

10 Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam. Actiones enim distinctæ specie materiali, & subordinatæ, nō petunt diuersum principium, vt dictum est, & cum prima, secunda, & tertia operatio intellectus solum distinguantur specie materiali, & sint inter se subordinatæ: quia versantur circa eundem finem, & solum distinguntur ex diuerso modo attingendi illum. Inde fit, quod nō petant diuersam potentiam, nec diuersas species impressas. Quia vna species impressa est sufficiens, vt multas circa idem obiectum intellectus elicat operationes. Nec sequitur ex ista doctrina, quod positis speciebus impressis in intellectu posit intellectus elicere tertiam operationem antequam habeat secundam; & secūdam, antequam eliciat primam. Non inquam id sequitur. Nam licet positis speciebus impressis in intellectu, nihil deficiat ex parte principij ad hoc, quod intellectus prius eliceat tertiam operationem, quam primam. Aliquid tamē deest ex parte obiecti. Quia secunda operatio versatur, circa conceptus formatos per primā, & tertia operatio versatur, circa veritates compositas, per secundam, eliciendo ex illis conclusionem. Quo circa non potest intellectus elicere tertiam operationem antequam habeat secundā, nec secundam, ante primā: quia tales operationes dependent essentialiter inter se in ordine, & modo procedendi.

11 Obijcies quarto. Totum

id ad quod ponitur tertia operatio potest per secundam fieri, ergo tertia operatio redundat. Anteced. prob. In tertia operatione nihil inuenitur, nisi quædam ordinatio, & compositio principiorum, seu præmissarum; sed secunda operatio ex natura sua, est ordinatiua, & compositiua; ergo sicut ordinat, & componit terminos, ita poterit propositiones componere, & ordinare, ac per consequens totum, quod reperitur in tertia operatione, inuenitur in secunda. Patet consequētia. Nam ad compositionem materialiter se habet, quod extrema componenda sint res simplices, vel compositæ, vt constat in propositione hypotetica, ergo illa operatio, quæ componit res simplices, nempè terminos, poterit componere compositas nimirum propositiones. Dices, quod compositio, quæ est in tertia operatione intellectus, non est eiusdem rationis cum cōpositione pertinente ad secundam. Eo quod compositio, quæ est in tertia operatione, est compositio illatiua. Secus verò compositio, quæ in secunda operatione inuenitur. Qua propter compositio, quæ est in tertia operatione intellectu est diuersæ rationis, à compositione, quæ in secunda operatione inuenitur.

12 Sed contra est. Propositio hypotetica compositionē diuersæ rationis habet, ac categorica, & tamen ambæ propositiones pertinent, ad secundam intellectus operationem; ergo diuersus modus compositiones non sufficit ad distinguendas intellectus operationes. Mai. prob. Componi ex simplicibus, & componi ex compositis, sunt compositiones diuersæ rationis: sed cathegorica componitur ex simplicibus, & hypotetica, ex compositis; ergo hypotetica habet compositionem diuersæ rationis, ac cathegorica. Secundo, etiam in secūda operatione intellectus inuenitur cōpositio illatiua, ergo solutio est nulla. Prob. antec. Propositio conditionalis pertinet, ad secundā intellectus operationem & tamen includit illationem, ergo etiam in secūda operatione intellectus reperitur compositio illatiua.

13 Respondetur, solutionē datam esse legitimam, & ad primam replicam, disting. mai. Propositio hypotetica compositionem diuersæ rationis materialiter habet, ac cathegorica. Conc. mai. formaliter, neg. mai. & concessa min. distinguo conseq. distinctione mai. Illa enim diuersa cōpositio, quæ in propositione cathegorica, & hypotetica inuenitur, solū est diuersa materialiter, ex parte extremorum compositorum. Non verò est diuersa formaliter ex parte intellectus, quia ex parte intellectus eadem ratio cōpositionis enuntiatiuæ in vtraque propositione relucet. Vnde actus intellectus qui terminatur ad illas duas compositiones solū

est

est distinctus specie materiali: sicut actus intellectus, qui terminatur, ad syllogismum topycum, & demonstrationem, solum sunt distincti specie materiali, quia topycum, & demonstrationum attingunt sub eadem ratione, nempè sub ratione cōpositionis illatiuæ.

14 Ad secundam replicam, neg. antec. In propositione enim conditionali inuenitur duplex ratio formalis, vna propositionis, altera illationis: si consideretur, vt propositio, solū habet esse veram, vel falsam, sub qua ratione soli pertinet, ad secundā operationē intellectus. Si autē consideretur, vt illatiua est nō est vera, vel falsa, sed bona, vel mala, & sub ista ratione spectat solum, ad secundam eiusdem intellectus operationem. Non enim est inconueniēs, quod eadē res, secundum diuersas formalitates pertineat rer se ad duas operationes intellectus. Sicut pater in quantum est substantia pertinet, ad prædicamentum substantiæ, & in quantum est pater, & relatiuus, pertinet per se ad prædicamentum relationis. Ita pariter de propositione conditionali philosophandum erit.

15 Si autē inquiras quomodo diuisio pertineat ad secundā intellectus operationem quandoquidem non est compositio, sed diuisio. Resp. quòd diuisio est diuisio, *vt quo*, & cōpositio, *vt quod*. Quia intellectus non potest diuidere vnam rem ab alia, nisi cōponat prædicatum, cū subiecto. Vnde diuisio ad hoc, quod diuidat res *vt quo*, debet ipsa esse compositra, *vt quod*: sicut propositio, le falsificans ad hoc, quod extrinsecè sit vera, requiritur, quod signatè sit falsa, quo circa diuisio pertinet ad secundam operationē intellectus secundū quod cōpositio est, qua ratione conuenit essentialiter cū compositione pertinēte ad secundam intellectus operationem.

16 Obijcies quinto. In præmissis ante c. ad cōcl. saluatur discursus, in sententia asserente conclusionem, non esse de essentia argumentationis: sed præmissæ ante c. ad concl. pertinent ad secundam operationem intellectus, ergo in secunda operatione intellectus inuenitur discursus, ac proinde frustra assignatur, tertia intellectus operatio. Confir. hoc arg. Quidquid pertinet ad intellectū humanum, pertinet ad ipsum, vel vt intellectus est, vel vt ratiō est, sed compositio, & diuisio non attingit ad illā, vt intellectus est nec vt ratio est, ergo compositio, seu diuisio superflue ponitur inter intellectus operationes. Maior cū cōsequentia constat. Min. verò quoad 1. p. prob. intellectus humanus, vt intellectus est, assimilatur intellectui Angelico, & cū illo cōuenit, secūdum istā formalitatem, sed in intellectu Angelico cōpositio, seu diuisio nō inuenitur: ergo nec in intellectu humano, vt intellectus est cōpositio, seu diuisio inuenietur. quoad 2. p. prob. eadem minor. cōpositio seu diuisio nihil dicit, sum importat, ergo cōpositio, seu diuisio, nō pertinet ad intellectū, vt ratio est.

Resp.

17 Respondetur distinguendo maiorem. In premissis antecedenter ad conclusionem reperitur discursus virtualiter, initiatiuè, & incompletè, conced. mai. formaliter, nego mai. & concessa min. distinguo consequens distinctione maioris: licet enim in præmissis inueniatur discursus initiatiuè, & incompletè, quatenus præmissæ initiant motum intentionalem ab ipsis ad conclusionem; in quo motu consistit discursus; tamen in præmissis non inuenitur discursus formaliter, quia in illis prædictus motus, non inuenitur formaliter, sed solum initiatiue, & virtualiter. In sententia autem probabili, quod cõclusio non est de essentia argumentationis, & syllogismi. Dicimus, quòd licet in præmissis saluetur ratio argumentationis, & syllogismi; in illis tamen non inuenitur formaliter discursus. Aliud enim est discursus, & argumentario. Nam argumentatio, & syllogismus solum dicunt rationem manifestatiui ignoti, & cum in præmissis antecedenter ad conclusionem (quæ non est manifestatiua, sed manifestata) saluetur ratio ignoti manifestatiua, hinc prouenit, quod in illis antecedenter ad conclusionem ratio argumentationis, & syllogismi inueniatur. At verò ratio discursus essentialiter dicit motum discretum intellectus ab vna cognitione, ad alteram cognitionẽ: & cum in præmissis non possit saluari antecedenter ad conclusionem motus discretus ab vna ad alteram cognitionem: Hinc prouenit, quod in illis antecedenter, ad conclusionem non inueniatur formaliter discursus.

18 Vel secundo dicatur, quod licet præmissæ materialiter sumptæ, & quatenus sunt propositiones, pertineãt, ad secundam operationem intellectus, nihilominus, tamen præmissæ formaliter sumptæ, quatenus sunt dispositæ in forma, & figura, non pertinent ad secundam, sed ad tertiam intellectus operationem; quia secundum istam rationem, nõ habent compositionem enuntiatiuam, sed illatiuam. Et cum argumentatio, & syllogismus (etiam in prædicta sententia probabili) non consistat in illis, nisi vt dispositis in forma, & figura, consequenter fit, quòd argumentatio, & syllogismus nunquam in secũda operatione intellectus inueniantur.

19 Ad confirmationem dicatur compositionem, & diuisionem pertinere ad intellectum humanum, vt intellectus est, vt docet D. Thom. 1. posteriorũ, lect. vnic. licet enim intellectus humanus, in hac formalitate, cum intellectu Angelico conueniat, non tamen cum tanta perfectione, hæc formalitas inuenitur in intellectu humano, ac in Angelico. Et ideo licet in intellectu Angelico compositio, & diuisio nõ inueniatur, poterit in intellectu hu-

humano compositio, & diu sic in ueniri.

20 Obijcies vltimo oratio imperfecta; vt hoc complexum, *homo albus*, ad nullã ex tribus operationibus pertinet; ergo præter tres operationes intellectus alia debet assignari. Probat. antec. In primis non pertinet ad tertiam; quia prædictum complexum nõ habet discursum; nec ad secundam, quia non habet compositionem per modum affirmationis, vel negationis significantem verum, vel falsum. Nec ad primam quia ad istam operationem solũ pertinent res simplices: & prædictum complexum est compositum; ergo de primo ad vltimum tale complexum ad nullam ex tribus operationibus pertinet, ac proinde operationes intellectus sunt plures, quam tres. Ref. quod hoc complexum homo albus in quãtum est terminus complexus pertinet directè ad primam intellectus operationem; quia licet habeat partes, habet illas per modum termini, & dictionis. In quãtum vero est oratio imperfecta, per se pertinet, ad secundam intellectus operationem, quamuis non significet verum, vel falsum, quia propositio apprehẽsiua pertinet per se ad secundã intellectus operationem, & tamen non habet veritatem, vel falsitatem, quousque ad indicatiuam transeat. Cùm veritas non sit ante iudicium intellectus; quæ solutio constat ex dictis de propositione conditionali.

QVÆSTIO III.

Quomodo inter se istæ operationes intellectus distinguantur.

1 IN hac parte duplex inuenitur sententia. Prima affirmat prædictas operationes intellectus, solum accidentaliter differre. Hanc sententiam tenet noster Ferrara q. 3. de anima. Secunda sententia docet prædictas tres operationes intellectus specie in adæquata differre. Et hæc sit nostra conclusio, quæ probatur primo. Etenim quælibet istarum operationum attingit suum obiectum, sub distincta ratione in adæquata, adhuc ex parte intellectus ex obiecto desumpta; ergo specie saltim inadæquata inter se distinguntur. Conf. hæc ratio. Prima operatio essentialiter à secunda differt: quia simplex, & compositum in nullo ordine possunt esse eiusdem speciei, sed prima, & secunda operatio differũt specie à tertia, ergo omnes tres operationes intellectus inter se distinguntur specie. Maior cum conseq. constat, & min. prob. Intellectus, vt intellectus est, differt essentialiter à se ipso, vt ratio est; ergo pariter operationes pertinẽtes ad intellectum, vt intellectus est, differunt essentialiter ab operationibus pertinentibus ad illũ, vt ratio est. Tunc sic; sed prima, & secunda operatio pertinent ad intellectum, vt intellectus, est & ter-

tertia operatio pertinet ad intellectum, vt ratio est: ergo omnes tres operationes intellectus inter se essentialiter distinguuntur.

2 Cont. concl. obijcies primo. Ea quæ differunt penes magis, & minus, non specie, sed tantum accidentaliter differunt; sed secunda, & tertia operatio intellectus differunt penes maiorem, vel minorem compositionē; ergo, secunda, & tertia operatio intellectus solum differunt accidentaliter. Min. cum conseq. constat, & mai. prob. Albedo enim intensa, & remissa, solum accidentaliter differunt: ergo illa, quæ differunt penes magis, & minus solū, accidentaliter differunt. Respond. disting. mai. Illa, quæ differunt penes magis, & minus solum accidentaliter differunt, ex parte excessus, & defectus. Conc. mai. ex alio capite, nego mai. & min. & conseq. vt enim ait D. Thom. 1. 2. q. 72. art. 1. *Magis, & minus in se non variant speciem, consequūtur tamen aliquando species differentes, prout proueniunt ex diuersis formis. Sicut si dicatur, quòd ignis est lucidus.* Et enim mai. vel minor compositio reperta, in secunda, & tertia operatione intellectus, licet non sit causa diuersitatis essentialis, distinguntur, tamē prædictæ operationes specie, quia proueniunt ex diuersis formis, scilicet à compositione illativa, quæ dat speciem tertiæ operationi, & à compositione enuntiatiua, quæ dat speciem secundæ operationi intellectus; sicut ignis, & aer distinguntur specie, non per excessum, & defectum lucis, sed per suas constitutiuas formas.

3 Obijcies secundo. Concl. pertinet ad secundam intellectus operationem; ergo ad secundam intellectus operationem discursus pertinebit, ac per consequens secunda, & tertia operatio pertinent ad eandem speciem. Antec. est certum, & conseq. prob. Motus pertinet ad speciem sui termini, ad *quem*; sed conclusio est terminus discursus; ergo si conclusio pertinet ad secundam intellectus operationem, etiam discursus ad illā pertinebit, ac proinde, secunda, & tertia operatio nō constituunt diuersas species. Respond disting. antec. Concl. formaliter in ratione termini discursus, pertinet ad secundam intellectus operationem. Nego antec. materialiter considerata in ratione propositionis. Conc. antec. & nego conseq. Licet enim conclusio materialiter sumpta, & in ratione propositionis pertineat, ad secūdam intellectus operationem, tamen formaliter sumpta, & in ratione termini discursus, nō ad secundam, sed per se pertinet, ad tertiam, quia subista ratione, est in genere actiuo, vel passiuo illatiui. Si tamen admittatur conclusionem, secundum omnem rationem pertinere ad secundam intellectus operationem. Tunc cāsus dicimus, quòd licet motus physicus debeat pertinere, ad speciem

cie̅ sui termini *ad quem*; eo quod ex natura sua, est aliquid incompletum imperfectè actuans subiectum, & relinquens illud in potẽtia ad actum perfectum, scilicet, ad terminum, *ad quem* motus est via, & tendentia, ab illoque recipit suam perfectionem, & specie̅. Tamen motus intellectualis non debet pertinere ad specie̅ sui termini *ad quem*, quia est actus perfectus perfectè actuans subiectum, & nullo modo ordinatus ad aliud cum sit immanẽs; & ideo non accipit speciem à termino. Preterquam, quod motus intellectuales non accipiunt speciem à termino, sed à suo obiecto. Et cum obiectum tertiæ operationis, nempè bonitas consequentiæ, specie distinguatur ab obiecto secundæ operationis, quod est veritas præmissarum, & conclusionis, in prædicta sententia: Hinc est, quòd operationes intellectus, scilicet, prima, & secunda specie debeant differre, quamuis una se habeat, vt motus respectu alterius.

QVÆSTIO IV.

Quænam ex tribus operationibus enumeratis sit perfectior?

1 SVponimus primam intellectus operationem esse imperfectiorem, secundam, & tertiam. Vnde difficultas solum reducitur ad secundam, & tertiam operationem. Et resolutoriè dico secundam intellectus operationem simpliciter perfectiorem esse, quàm tertia. Hæc conclusio videtur esse S. Thomæ 1. part. quæst. 79. artic. 8. & quæst. 15. de veritate, artic. 1. & 10. illis verbis: *Patet ergo, quod ratiocinari comparatur ad intelligere, sicut moueri ad quiescere, vel adquirere ad habere, quorum vnum est perfecti, aliud verò imperfecti. Et quia motus ab immobili procedit, & ad quietem terminatur, inde est, quod ratiocinatio humana, secundum viam adquisitionis procedit à quibusdam simpliciter intellectis, quæ sunt prima principia.* Deinde probatur nostra conclusio ratione primo. Illud quod est finis alicuius, est perfectius illo, respectu cuius est finis; cum finis, & perfectum idem sint; sed secunda operatio se habet, vt finis respectu tertiæ; ergo est perfectior illa. Maior constat, & minor probatur. Finis ad quem ordinatur discursus est veritatis cognitio; sed cognitio veritatis in secunda operatione inuenitur; ergo secunda operatio est finis respectu tertiæ.

2 Secundo probatur conclusio. Illud, quod se habet, vt origo, & principium alicuius rei, est perfectius illa. Cum res originata participet totum suum esse ab illo, à quo originatur; sed secunda operatio secundum pro-

proprium actum, qui est principiorum cognitio, comparatur ad discursum, sicuti origo ad id, quod originatur; ergo secunda operatio erit perfectior quã tertia. Conf. hæc ratio. Quies est perfectior motu. Cum sit finis, & terminus motus, vt asserit D. Tho. loco citat. sed secunda operatio comparatur, ad tertiam, vt quies ad motum; ergo vt perfectum ad imperfectum, & consequenter erit perfectior tertia.

3 Cont. concl. obijcies primo, ex Diu. Thom. 1. p. q. 89. art. 2. Vbi ait, quòd intelligere per conuersionẽ ad superiora est simpliciter nobilius, quàm intelligere per conuersionem ad phantasmata, & in fine corporis articuli sic concludit: *Patet ergo, quòd melius animæ est, vt corpori vniatur, & intelligat per conuersionem ad phantasmata.* Ex quibus verbis sic conficitur argumentum, quælibet natura inclinat in id, quod est sibi melius, & perfectius: sed anima humana inclinatur ad intelligendum, cum discursu, & per cõuersionem ad phantasmata: cum hoc sit ei naturale, & oppositum præter eius naturam; ergo illa operatio in qua est discursus connaturalior est animæ, & qualibet alia operatione perfectior; ac per cõsequens, secunda operatio prout in homine non erit perfectior, quam tertia. Patet consecutia quia per secundam operationem attingitur veritas, sine discursu, & per tertiam operationem veri per discursum attingitur.

4 Resp. conc. mai. & min. & negando conseq. Ad probationẽ dicatur, quod licet per secundam operationem attingatur veritas, sine discursu formaliter in ipsa secunda operatione reperto; non tamen attingitur veritas, sine discursu antecedenter præsuppositio in tertia operatione intellectus. Qua propter per secundam intellectus operationem attingitur veritas cum discursu, licet discursus non in secunda, sed in tertia operatione exerceatur, per tertiam autem operationem nõ attingitur veritas ab intellectu, licet in illa sit modus adquirendi veritatem, nempè discursus. Ex quo solum sequitur, quod substãtialis perfectio intellectus humani sit in secunda operatione, modus autem adquirendi illam, scilicet discursus, sit in tertia. Cum igitur perfectior sit substantia, quam modus: hinc fit, quod secũda operatio perfectior sit tertia, quia in secunda est perfectio hominis quoad substantiam, & in tertia solus modus adquirendi perfectionem inuenitur.

5 Obijcies secundo. Vltima differentia hominis, vt homo est, est reduplicatiuè, est intelligere cũ discursu; ergo illa operatio, in qua est discursus, erit perfectior; & consequenter tertia operatio in perfectione excedit secũdam, quando quidem in tertia, & non in secunda inuenitur discursus. Antecedens patet, & consequen-

quentia probatur, eo ipso, quod vltima differentia hominis sit intelligere cum discursu, in tertia operatione magis relucet exercitium intellectus humani, vt humanus est, ergo tertia operatio erit magis perfecta, quàm secunda.

5 Confirmatur primò. Per secundam operationem solũ manifestatur ratio hominis, vt intellectiuus est nõ autẽ, vt discursiuus est; sed ratio discursiui est magis propria, & connaturalis homini, vt homo est; ergo tertia operatio, per quam ratio discursiui manifestatu, est perfectior. Confir. secundo, secunda operatio ordinatur ad tertiam, ergo tertia operatio est perfectior secunda. Consequentia constat, & antec. probat. Propositiones, quæ pertinent ad secundam, ordinantur ad sylogismum, & discursum, attinentem, ad tertiam operationem; ergo secunda operatio ordinatur ad tertiam.

6 Respod. Conced. antec. & neg. conseq. Ad probationem dicatur, quod vltima differentia hominis in secunda operatione relucet; quia in secũda operatione cognoscitur veritas per discursum non existentem in illa, sed præsuppositũ in tertia, in qua nõ cognoscitur veritas, sed in illa solum est modus requisitus ad veritatem intelligendam, scilicet, discursus. Quo circa vltima differentia hominis, non in tertia operatione, sed in secunda relucet, licet modus vltimæ differentiæ hominis in tertia operatione inueniatur. Ad primam conf. nego mai. Per secundam enim operationem manifestatur ratio hominis, vt intellectiuus est per discursum. Per tertiam verò solum manifestatur discursus, non tamen cognitio veritatis per discursum. Quia in tertia operatione cognitio veritatis non inuenitur. Perfectio autem hominis, vt intellectiuus est, est totum hoc aggregatum, *attingentia veritatis per discursum*, quod pertinet adæquatè ad potentiam intellectiuam hominis, tanquam eius propria perfectio, in quo aggregato ingreditur discursus in obliquo, & tanquam medium, & modus ordinatus ad cognitionẽ veritatis, quæ ingreditur in illo aggregato, vt finis talis medij, & vt substantia talis modi. Cum autem finis perfectior sit medio, & substantia in perfectione modum illius excedat; hinc prouenit, quòd secunda operatio attingens in illo aggregato substantiam, & finem, perfectior sit tertia operatione, in qua modus, & medium illius aggregati præcisè inuenitur. Ad secundam conf. resp. disting. antec. Secunda operatio sub ratione cõponentis ordinatur ad tertiam conced. antec. sub ratione iudicãtis, nego anteced. & conseq. Duplex enim conceptus in secunda operatione inuenitur, & conceptus iudicantis, & conceptus componentis: sub conceptu compo-

ren

nentis secunda operatio ordinatur ad tertiã, & est imperfectior illa, sub conceptu autem iudicantis, è conuerso contingit, nam secundum illum conceptum tertia operatio ordinatur ad illam, imò ipsamet, secunda operatio sub cõceptu componentis ordinatur ad se ipsam sub conceptu iudicantis. Omnis enim compositio secũdæ operationis, & omnis discursus, tertiæ ordinatur ad attingentiam veritatis, quæ per secundam sub conceptu iudicãtis habetur: quo circa secunda operatio, sub conceptu iudicantis perfectior est tertia, licet ipsa sub cõceptu componentis ordinetur ad tertiam, & sit imperfectior illa. Vnde licet propositiones formales pertinentes, ad secundam operationẽ sub conceptu componentis ordinentur, ad syllogismũ, & discursum, propositiones tamen iudicatiuæ spectantes, ad secundam operationẽ sub conceptu iudicantis, non ad syllogismum, & discursum ordinantur, sed potius syllogismus, & discursus ordinantur ad illas.

7 Denique obijcies. Prima operatio intellectus magis accedit ad modum cognoscendi Angeli; ergo est perfectior, secunda, & tertia. Consequentia constat. Et antecedens prob. Modus cognoscendi Angeli, est habere simplicem cognitionem de re, quę cognitio virtualiter continet omnia, quæ nos per plures cognitiones cognoscimus: sed prima operatio est cognitio simplex virtualiter continens omnia, quæ nos per plures cognitiones cognoscimus; ergo accedit magis ad modum cognoscendi Angeli. Maior cum consequentia constat, & minor probat. In obiecto primæ operationis continentur virtualiter omnia, quæ de ipso possunt cognosci siquidem tale obiectum est essentia, in qua continentur omnes eius passiones; ergo prima operatio est simplex cognitio continens virtualiter omnia, quæ nos per plures cognitiones cognoscimus.

8 Resp. neg. antec. Perfectio enim cognitionis Angeli consistit in hoc, quod in primo actu per quem cognoscit essentiam ex presse, & perfecte ea, quæ in tali essentia continentur cognoscat. Et ideo dicitur, quòd cognitio Angeli æquiualet virtualiter multis hominũ cognitionibus, quia per vnum actum attingit plures veritates, quæ à nobis per plures actus attinguntur. Vnde perfectio cognitionis Angelicæ non consistit in hoc, quod continet virtualiter plures cognitiones nostras, tanquam causa efficiens, sed in hoc, quod tanquam superior cognitio cõtineat plures nostras cognitiones; iuxta illud, *quæ in inferioribus sunt dispersa adunata, inueniuntur in superioribus*, quatenus perfectiones multorum inferiorum in vno superiori perfectiori modo inueniuntur, sicuti perfectio animæ vegetatiuæ, & perfectio animæ sensitiuæ inueni-

niuntur adunatæ in anima rationali. Simplex autem apprehensio, quæ est prima operatio intellectus non sic cõtinet alios actus intellectus, sed solum continet illos in potentia, & tamquam causa efficiens; quia assensus principiorum est causa efficiens assensus conclusionis. Quia tamen per simplicem apprehensionem, solũ attingitur quidditas in qua nulla formalis veritas inuenitur, sed solum transcendentalis; hinc fit, quòd simplex apprehensio, licet sit cognitio simplex (quia eius obiectum est simplex quidditas) nõ magis accedat ad Angeli cognitionem; quandoquidem nõ est simplex actus cognoscens veritatem; sed solum illam apprehendens. Actus autem iudicatiuus repertus in secunda operatione intellectus, est actus simplex attingens veritatem, & de illa iudicãs, & ideò, iste actus magis accedit ad cognitionem Angelicam, licet ab illa distinguatur, quia supponit cognitionem compositam quam non supponit iudicium Angeli.

QVÆSTIO V.

Vtrùm Logica dirigat hanc triplicem intellectus operationem?

1 REsolutoriè est dicendum Logicam dirigere triplicem intellectus operationem. Hæc conclusio probatur Diuo Thoma, primo posteriorum, lectione prima, illis verbis: *Natura hominis in suis operationibus dirigitur. Quia vt docet Philosophus primo methaphisicæ, hominum genus arte, & rationibus viuit, & hinc est, quòd ad actus humanus formaliter, & ordinatè perficiendos diuersæ artes deseruiũt,* & postea subdit *Ars quædam necessaria est, quæ sit directum eiusdem actus rationis, per quam homo in ipso actu rationis ordinatè, faciliter, & sine errore procedat, & hæc est ars Logica, quæ est rationalis scientia*; ergo secundum Diuum Thomam Logica dirigit tres operationes intellectus.

2 Deinde probatur nostra cõclusio ratione. Omnis potentia, quæ in suis operationibus potest errare, indiget aliqua directione, vt faciliter, & sine errore suas operationes exerceat; sed intellectus humanus in omni operatione ex enumeratis potest errare; ergo indiget aliqua arte, vt ne erret. Maior est nota. Minor probatur. Nam in simplici apprehensione, saltim per accidens potest esse error, vt ex dicendis constabit, & in compositione, etiam potest esse error, vel componendo, quæ in re non sunt composita, vel diuidendo, quæ in re non sunt diuisa. Similiter autem in discursu error potest inueniri ex ignorantia dispositionis medii, cũ extremitatibus, & cõnexionis cõclusionis cũ præmissis, ex vi cuius intellectus potest elicere vnã cõclusionẽ loco alterius, quę erat

elicienda, vt ſi ex iſtis præmiſsis: *Omne rationale eſt animal: Omnis homo eſt rationalis*, inferat, hanc concluſionem: *Omnis homo eſt albus*; ergo in omnibus operationibus intellectus poteſt contingere error; ergo indiget intellectus aliquo directiuo: Tunc ſic, ſed hoc directiuum non poteſt eſſe niſi Logica; ergo Logica dirigit triplicem intellectus operationem. Minor ſub ſumpta probatur. Logica docet diffinire, diuidere, & argumentare, quæ ſunt neceſſaria inſtrumenta, quibus rationhominis in ſuis actibus vtitur, ergo Logica dirigit intellectum per diffinitionem, diuiſionem, & argumentationem.

3 Si autem inquiras quomodo Logica dirigat tres operationes intellectus. Reſpondeo, quòd ſecunda intentio, quæ eſt obiectum Logicæ, formaliter, prout eſt ens rationis, nullo modo eſt directiua operationum intellectus, eo quod ſecunda intentio non eſt actiua; ergo non eſt directiua. Patet conſequentia à negatione ſuperioris, ad negationem inferioris eſt bona conſequentia. Tùm etiam, quia ſecunda intentio non eſt cognoſcitiua, eo quòd non eſt vitalis; ergo non eſt directiua. Quando quidē, id quod dirigit cognoſcere debet finem directionis. Dico ſecūdo. Habitus Logicæ dirigit operationes intellectus modificando intellectum, & habituando illum per actualem inhæſsionem. Similiter cognitio ſpeculatiua, ſecundæ intentionis dirigit ſuo modo intellectus operationes. Probatur hæc concluſio quoad primam partem. Etenim per habitum Logicæ intellectus habilitatur in conſtructione ſyllogiſmi. Ille enim, qui magis perfectè habet habitū Logicæ, facilius prorrumpit in actum; ſed actus Logicæ docet regulas conſtruendi ſyllogiſmum; ergo qui magis perfectè habet habitum Logicæ, perfectius, & facilius operabitur ſyllogiſmum; ergo habitus Logicæ dirigit operationes intellectus. Secunda pars concluſionis probatur. Cognitio ſpeculatiua, ſecundæ intentionis cognoſcit naturā illius; ergo ſimul cognoſcit, quòd fundamentum debet habere, ac perconſequens dirigit intellectum, vt ponat fundamentum exactum ad talem ſecundam intentionem.

4 Cont. concl. obijcies primo. In prima operatione intellectus, non poteſt intellectus errare; ergo Logica non dirigit primam operationem intellectus. Prob. antec. Proprium obiectum ſpecificatiuum primæ operationis eſt eſſentia, & quidditas, ſed in attingentia quidditatis intellectus nō poteſt errare; ergo in prima operatione intellectus, non poteſt intellectus errare. Maior cum conſequentia conſtat. Min. verò probatur. Nulla potentia poteſt errare circa ſuum propriū obiectum. Aliàs fruſtaretur intentus naturæ; ſed proprium obiectum

ctum intellectus est quidditas; ergo in attingentia quidditatis nō potest intellectus errare. Confirmatur. Indiuisibile, aut totū tangitur, aut nihil attingitur: sed quidditas cuiuscumque rei est indiuisibilis; ergo vel tota attingitur, vel nihil illius tangitur. Confirmatur secundo. Intellectus nō potest cognoscere nisi per speciē obiecti, quæ est naturalis similitudo illius; sed naturalis similitudo vnius non potest esse naturalis similitudo alterius; ergo quando cognoscit per speciem hominis, præcisè debet cognoscere hominem, & non aliam rem ab homine distinctam.

5 Respondetur distinguendo antecedens. In prima operatione per se nō potest intellectus errare, concedo antecedens, causaliter, & per accidens, nego antecedens, & consequentiam. Prima enim operatio intellectus potest dupliciter cōsiderari vno modo per se, & alio modo per accidens quatenus ordinatur ad compositionem. Primò modo considerata non potest in ipsa esse error, vel falsitas. Cæterum adhuc secundum istam considerationē indiget regula ex parte obiecti tribuente facilitatem intellectui ad attingendum proprium obiectum, & simplicem quidditatem. Etenim cum ens incomplexum sit quasi dispersum, & confusum, difficillimum est illud cognoscere, nisi certa rerum genera (scilicet prædicamenta) cōstituantur, quorum proprietatibus constitutis, & cognitis, facilè erit rerum essentias cognoscere. Quia enim intellectus noster est limitatæ perfectionis non statim à principio omnium rerū essentias, & quidditates cognoscit, sed multoties per discursum, ex cognitione proprietatum, & comparatione illarum inter se à posteriori tendit in cognitionem quidditatis. Cum autem Logica constituat prædicamenta, & rerum genera, deseruit ad hoc, quod intellectus cognitis proprietatibus alicuius rei videat in quo genere, & prædicamento talis res collocetur, & postea, vsque ad vltimā differentiā talis rei cognoscendo perueniat; vndè Logica dirigit primā operationem intellectus primo modo consideratam. Secundo modo potest considerari prima operatio intellectus, scilicet per accidens, & hoc modo considerata in illa potest esse error, secundum quod ordinatur ad compositionem, quatenus diffinitionē vnius rei concipit, vt diffinitionem alterius, & hæc vocatur compositio diffinitionis cū suo diffinito, vel quatenus partes diffinitionis, inter se nō cohærentes cōcipit: & hæc vocatur compositio partium diffinitionis, vt si accipiatur pro diffinitione alicuius rei, *animal quadrupes volatile*. Nullū enim est tale animal. Vndè Logica dirigit primam intellectus operationem ex duplici capite, & quatenus per se terminatur ad simplices quid-

ditates, & quatenus ordinatur ad compositionem.

6 Sed replicabis hoc, quòd est applicare diffinitionem vnius rei alteri rei, pertinet ad secundā operationem; ergo in prima operatione nō potest esse error. Prob. antec. Vnum alteri applicare est componere; sed cōpositio pertinet, ad secundam; ergo applicare diffinitionem vnius rei alteri rei pertinebit ad secundam. Secūdo. Error repertus in prima operatione, siuè per se, siuè per accidēs, & initiatiuè nō pertinet ad Logicā, ergo solutio est nulla. Prob. ant. Tunc est talis error, quando diffinitionem vnius rei cōcipit intellectus, vt diffinitionem alterius; sed docere, quod diffinitio vnius rei non est diffinitio alterius rei, non pertinet ad Logicam, sed ad metaphisicam; ergo error repertus in prima operatione intellectus, non ad Logicam, sed ad methaphisicam pertinet. Tertio in prima operatione tantum reperitur error per accidens, & initiatiuè; ergo tantum dirigitur per accidēs prima operatio intellectus à Logica. Prob. conseq. Eo modo dirigitur prima operatio intellectus à Logica, quo reperitur error in illa; ergo si tantum in illa reperitur error per accidens, solū per accidens dirigetur à Logica.

7 Respondetur solutionem datam esse legitimam, & ad primam replicam, nego antecedēs. Vt enim, ait Caietanus, 1.p.q. 17.artic.3. Illa compositio, quæ est inter diffinitionem, & diffinitum non pertinet ad secundam operationem, sed ad primam; quia non est attributio per modū affirmationis, vel negationis, nec per modum iudicij, sed per modū simplicis apprehensionis, quatenus intellectus apprehendendo diffinitionem hominis postea loco apprehendendi hominem, cuius est ista diffinitio, apprehendit æquum tāquam diffinitum diffinitionis hominis; quòd quidem error est, & hoc nō facit dicendo æquus est animal rationale, quòd requirebatur ad attributionē, & compositionem secundæ operationis intellectus. Ad secundā replicam, neg. ant. Licet enim diffinitiones hominis, & æqui secundum se consideratæ, & quatenus explicāt quidditates hominis, & æqui, pertineāt ad methaphisicā, & consequenter error in illis, sic acceptis repertus, etiā ad methaphisicā spectet: tamen diffinitiones hominis, & æqui, quatenus subinduunt aliquam secundā intentionem, secundum quā deseruiunt, ad artificium logicum, ad Logicam pertinent, & consequēter error in illis, sic acceptis repertus, etiam ad Logicā spectat. Ad tertiam conc. ant. & neg. conseq. Licet enim in prima operatione tantum sit error per accidens, & initiatiuus, quatenus ordinatur ad secundā, quia tamen per se ad secundam ordinatur, habet hunc errorē initiatiuū, & per accidens exigētē directionē per se; quia licet sit per accidēs, quòd actu ordinetur, & habeat errorē, tam hoc

suppo-

posito requirit per se propriam directionem. Exemplum est in hac propositione, *Luna eclypsatur* Licet enim accidentaliter adueniat eclypsis Lunæ, quia accidit, quod perueniat ad tale punctū; ex suppositione tamen, quòd perueniat ad tale punctum, & eclypsetur; talis propositio est necessaria, & sufficiens ad specificandā scientiam. Sic similiter in nostro casu discurrendum est. Vel secundo dicatur, quòd in prima operatione est error per accidēs, id est, per aliud, nempè per secundam; sicuti medium in moralibus habet bonitatem per accidens, scilicet, per finem; cum quo compatitur, quòd in prima operatione per se reperiatur error, sicut in medio per se reperitur bonitas, quæ per se terminat actum voluntatis.

8 Ad primam confirmationem principalis argumenti constat ex dictis; concedimus enim totum discursum. Cæterum ad hoc, vt intellectus erret per accidens in attingentia quidditatis, non requiritur, quòd aliquid illius attingat; non attacta tota quidditate; sed sufficit, quòd loco vnius quidditatis, quam debebat attingere alia attingat, vel quòd attingat diffinitionē vnius rei, tanquā diffinitionē alterius, vt si diffinitionem circuli attingat tanquā diffinitionē trianguli. Vndè cū quidditas sit simplex, aut cognoscitur ipsa, & tota attingitur, aut alia quidditas cognoscitur, & cum nō iudicet per apprehensionem, semper est verus circa quidditatem per se. Quæ solutio desumitur ex D. Tho. 1. p. q. 85. art. 6. in corpore. Ad secundā confirmationem similiter cōstat ex dictis. Concedimus enim maior. & min. & distinguo conseq. Per speciē hominis præcisè debet cognoscere hominem tanquā diffinitum diffinitionis hominis, neg. conseq. tanquam essentiam hominis, vel alterius rei. Concedo conseq. Per speciem enim hominis intellectus, solum potest cognoscere, seu apprehendere essentiam hominis. Cæterum potest falli, quia potest apprehendere essentiam, & diffinitionem hominis, tanquam diffinitionē equi vt ait D. Thom. loco citato.

9 Obijcies secundo volūtas in primo actu non potest errare; ergo pariter intellectus in primo actu non poterit errare. Resp. quòd sicut volūtas in primo actu, qui versatur circa bonum in communi nō possit errare, nec ad istū actum indigeat regula. Cæterum in primo actu, qui versatur circa bonum particulare (quamuis sit indeliberatus) potest initiatiuè errare, quatenus cæteri actus illius petunt tendere per eandem viā. Qua propter error originatur ex primo actu, & ideò circa primum actum tendentem circa bonum particulare indiget prudentia tāquam regula. Similiter noster intellectus in primo actu tendente, circa ens, vt sic non potest errare, nec ad istum actū indiget regula.

Nihilominus tamen in primo actu tendente, circa ens particulare potest errare apprehendendo falsum, vt si apprehendat diffinitionem hominis, tanquam diffinitionem equi, & ideò ad istum primum actum indiget regula.

10 Obijcies tertio. Secunda operatio intellectus non potest errare; ergo secunda operatio intellectus, non dirigitur à logica. Proba. antecedens, hæc propositio, *homo est animal rationale*, pertinet ad secundam operationem; sed in attingentia huius propositionis non potest intellectus errare; ergo secunda operatio intellectus errare non potest. Mai. cùm consequentia, constat; min. verò probatur ex Diu. Thom. 1. part. q. 85. art. 6 illis verbis: *Circa illas propositiones errare non potest intellectus, quæ statim cognoscuntur cognitis terminorum significationes.* Sed prædicta propositio est huiusmodi; ergo circa illam non potest intellectus errare. Respondetur, quòd licet intellectus non possit errare quoad substantiam veritatis prædictæ propositionis; potest tamen errare quantum ad conexionem repertam inter extrema illius propositionis. Duplex enim conexio extremorum in tali propositione inuenitur. Alia formalis, quàm habet illa propositio, quatenus vnum extremum habet intentionem subiecti, & speciei, & aliud intentionem prædicati, & generis, & quã tũ ad hoc potest intellectus errare. Quia illę intentiones non sunt de essentia terminorum. Et ideo non est maior ratio, quare intellectus vni tribuat intentionem subiecti, quàm intentionem prædicati. Vnde potest errare tribuẽdo intentionem subiecti illi termino, cui debebat tribuere intentionem prædicati. Alia est connexio radicalis in illa propositione quam habẽt termini essentialiter inter se præcisa operatione intellectus, & hæc est æterna. Logica igitur ponitur ad primam conexionem extremorum, & non ad secundam, vel secundo dicatur, cum sapientissimo Magistro Soto, quod vt saluetur Logicam dirigere secundam intellectus operationem, non requiritur, quòd illã in omni actu dirigat, sed sufficit illam dirigere in actibus, in quibus potest errare.

11 Si autem inquiras ad quã operationem intellectus pertinear diffinitio. Respondeo diffinitionem phisicam, quæ sunt prædicata realia, & essentialia rei, pertinere per se ad primam operationẽ, quia intellectus ista prædicata concipit per modum simplicis quidditatis, & per modum partis complexæ, & secundum istam considerationem diffinitio est terminus complexus. Si autem diffinitio sumatur Logicè, quatenus, est oratio naturam rei explicãs, pertinet per se secundum istam considerationem ad secundam intellectus operationem.

12 Obij-

12 Obijcies vltimo. In vocibus, & scripturis reperiuntur instrumenta Logicalia; sed Logica, non dirigit voces, & scripturas: ergo nec dirigit conceptus, & operationes intellectus. Respondetur distinguēdo maiorem. In vocibus, & scripturis reperiuntur formaliter instrumenta Logicalia, nego maiorem; tanquam in signo, concedo maiorem, & distinguo minorem. Logica non dirigit primariò voces, & scripturas, Conced. minor. secundariò nego minorem, & consequentiam. In vocibus enim, & scripturis reperiuntur instrumenta Logicalia, quatenus sunt signa conceptuum. Et ea distinctione, qua distinguimus operationes intellectus, distinguimus etiā voces. Alia enim est vox, quæ est signum primæ operationis, & alia, quæ est signum secundæ, & alia (nempe syllogismus vocalis,) quæ est signum tertiæ operationis. Vnde eo ipso, quòd operationes intellectus sint directæ, etiā voces secundariò directæ erunt. Et hæc de ista disputatione applicando litteræ sapientissimi Magistri Soto, capitulo primo, lectione prima.

(§)

DISPVTATIO secunda, de signo in communi.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm diffinitio signi sit bona?

1 SIgnum sic diffinitur à Petro Hispano, & a sapientissimo Magistro Soto. Est quòd potentiæ cognoscitiuæ aliquid aliud à se repræsentat. Hæc diffinitio est bona; & non aliter probatur, quàm auctoritate sapientissimi Magistri Soto illam tradentis, & solutione argumentorum. Contra illam obijcies primò. Ens per accidens non potest diffiniri: sed signum est ens per accidens; ergo non potest diffiniri. Maior est Aristotelis 7. Metha. text. 16. & minor probatur. Ex duobus entibus in actu non potest fieri, vnum ens per se: sed signum cōstat ex duobus entibus in actu; ergo signum non est ens per se. Maior constat, & minor probatur. Signum constat ex voce, & relatione; sed vox, & relatio sunt entia in actu; ergo signum constat ex duobus entibus in actu. Respondetur concedendo maiorem, & negando maiorem. Ad probationem distinguo maiorē. Ex duobus entibus in actu ingredientibus, sine ordine, non potest

fieri vnum ens per se, concedo maiorem, ex duobus entibus in actu ingredientibus compositionem cum ordine, non potest fieri vnum ens per se; nego maiorem. Et sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Ad hoc enim, quod aliquid dicatur ens per accidens, non sufficit, quod componatur ex duobus entibus in actu, si talia entia non ex æquo, sed cum aliquo ordine cōpositionem ingrediātur. Cum autem vox, & relatio ingrediātur compositionem signi, non ex æquo, sed cum ordine, nimirum vox, vt materia, & relatio, vt forma; hinc prouenit, quòd signū nō sit ens per accidēs, sed eus per se, licet non ita perfectum in ratione perfeitatis, sicut totum substantiale nimirum homo.

2 Obijcies secundo. Iste terminus, *non significans*, significat aliud à se, nempè lapides: & tamen non est signum; ergo diffinitio signi non est bona. Minor probatur. *Non significans*, est, *non significans*, ergo, *non significans*, nō est significans. Confirmatur. Ly *nihil* est signum, & tamen non significat aliquid; ergo diffinitio est mala. Secundo confirmatur. Imago Imperatoris est signum, & tamen non cognoscenti Imperatorem, nihil repræsentat; ergo diffinitio est mala. Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem dicatur illam consequentiam ab affirmatiua, ad negatiuam de prędicato infinito non valere. Variatur enim in illa suppositio, quia in antecedenti, *non significans* stat materialiter, & in consequenti personaliter. Eo quòd infertur, hoc modo, *non significans*, est, *non significans*; ergo non est significans. Et hoc *significans*, positum in consequenti stat personaliter: ad primam confirmationem dicatur, quod quamuis iste terminus, *nihil*, ex parte rei, non significet aliquid, significat tamen aliquid ex parte modi significandi, quia significat nihil, ac si esset aliquid. Ad secundam confirmationem, concedo maiorem, & distinguo minorem. Deffectu ex parte cognoscentis se tenente, concedo minorem, ex parte ipsius imaginis, nego minorem, & consequentiam. Si enim imago Imperatoris in actu secundo, non repræsentat Imperatorem, non cognoscenti illum; hoc non prouenit ex deffectu imaginis, quia ipsa non sit repræsentatiua, sed ex deffectu non cognoscentis Imperatorem; quia ipse non habet conditiones requisitas, ad hoc, quòd imago illi repræsentet. Vnde imago est signum, quia verba in diffinitione non dicunt actum; sed aptitudinem.

(2)

QVÆ-

QVÆSTIO II.

Vtrùm relatio signi ad signatum sit realis, vel rationis?

1 DIco primo. Relatio signi ad potentiam semper est aliquid rationis in omnibus signis, licet fundamentum huius relationis aliquando sit aliquid reale. Vt in signis naturalibus. Aliquando verò aliquid rationis. Vt in signis ad placitum. Hęc conclusio probatur primo. Relatio signi ad potentiam fundatur in ordine signi ad potentiam: sed iste ordo est rationis; ergo relatio fundata in illo erit rationis. Maio. const. & mi. prob. Ordo signi ad potentiam est ordo obiecti medij ad potentiam; sed obiectũ medium non dicit ordinem realem ad potentiam; ergo ordo signi ad potentiam non est aliquid reale. Min. prob. obiectum, vt potè mensura potentiæ non dicit ordinem realem ad potentiã; sed etiam obiectum medium mẽsurat potentiam; ergo non dicit ordinem realem ad potentiam. Secundo probatur conclusio. Relationes tertij generis non sunt reales ex parte vtriusque extremi, sed relatio signi ad potentiã est tertij generis, & ex parte potentiæ est realis; ergo ex parte signi erit rationis.

2 Contra istam conclusionem obijcies. Brutis sunt propria signa: & tamen ordo ad illorum potentiam non est aliquid rationis; ergo est aliquid reale. Minor probatur. Bruta non possunt facere entia rationis; ergo ordo signi ad potentiam brutorũ non est aliquid rationis. Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem. Ordo enim signi ad potentiam brutorum est aliquid rationis; licet hoc ens rationis à potentia brutorum non fiat.

3 Dico secundo. Relatio signi ad signatum in signis naturalibus est aliquid reale; in signis autem ad placitum est aliquid rationis, & in signo in communi est aliquid abstrahens à reali, & à rationis. Prima pars conclusionis probatur. Signum naturale præcisa quacumque operatione intellectus significat suum signatum; ergo relatio illius ad signatum est aliquid reale. Probatur antecedens. Signum naturale significat ex natura rei, vt constat ex eius diffinitione; ergo signum naturale significat suum signatum præcisa quacumque operatione intellectus. Confirmatur. Imago imperatoris præcisa operatione intellectus Imperatorem significat, & fumus absque opere intellectus naturaliter significat ignem; ergo signum naturale præcisa quacumque operatione intellectus significat suũ signatum, & consequenter relatio illius ad signatum erit aliquid reale.

4 Se

4 Secunda pars conclusionis probatur. Signum ad placitū antecedenter ad operationē intellectus, non dicit relationem ad suum signatum; ergo relatio signi ad placitum ad suum signatum est aliquid rationis. Consequentia constat, & antecedens probatur. Signum ad placitum antecedenter ad operationem intellectus solum habet extrinsecam denominationem impositi ad significandum; sed ista extrinseca denominatio; licet sit fundamentum relationis, ipsa tamē non est formaliter relatio ad signatum; ergo signum ad placitū antecedenter ad operationem intellectus non dicit relationem ad suum signatum. Tertia pars conclusionis constat ex dictis. Signū enim vt sic abstrahit à signo naturali, & a signo ad placitum; ergo si signum naturale dicit relationem realem ad signatum; & signum ad placitum dicit relationem rationis ad signatum; signum in communi abstrahit à relatione reali, & à relatione rationis.

5 Contra primam partem conclusionis obijcies. Imago Imperatoris mortuo Imperatore est verè signum naturale illius, & tamen non dicit relationem realem ad Imperatorem; ergo signum naturale non dicit relationem realem ad suum signatum. Maior cum consequentia constat. Et minor probatur. Relatio realis petit terminum realem, realiter existentem, sed tunc casus non existit Imperator, qui est terminus relationis imaginis; ergo tunc casus relatio imaginis ad signatum non est realis. Respondetur concedendo maiorē, & distinguendo min. Non dicit relationem realem per accidens, & ex defectu termini concedo minor. exactiuè, & per se nego minor. & conseq. Ad hoc enim, vt relatio imaginis ad suum signatum absolutè dicatur realis, sufficit, quòd imago ex natura sua petat relationem realem, licet aliquando ex defectu existentiæ sui signati tantum sit relatio rationis; sicut relatio effectus ad causam absolutè dicitur realis, & tamen aliquando ex defectu existentiæ causæ per accidens, solum est relatio rationis

6 Obijcies secundò. Entia rationis ficta ab intellectu sunt signa naturalia intellectus: & tamē nō dicunt relationē realem ad intellectum; ergo non omne signū naturale dicit relationem realem ad suum signatum. Min. prob. Entia rationis non sunt capacia relationis realis; ergo entia rationis non dicunt relationē realem ad intellectum. Resp. admittendo maiorem, & distinguendo minor. Non dicunt relationem realem per se, & in quantum signa naturalia, nego minor. per accidens, & ex defectu subiecti, conc. minor. & nego conseq. Licet enim entia rationis non dicant relationem realem ad intel-

lectum

lectum, hoc non proueniat illis ex conceptu signi naturalis, & per se, sed per accidens ex defectu subiecti; quia sunt incapacia recipiendi relationem realem. Quæ solutio constat ex dictis.

7 Vel secundo dicatur talem relationem, quam dicunt entia rationis ad intellectum esse realem, id est, non fictam. Quia supposita fictione circa entia rationis, nulla alia fictione indigent entia rationis, vt referantur, & dicant relationem ad intellectū. Quo circa talis relatio est realis, id est, non ficta, licet non existat à parte rei, quia subiectum illius, nimirum ens rationis à parte rei non existit. Sicuti distinctio, quæ versatur inter vnum ens rationis positiuum, & aliud ens rationis priuatiuum, est realis, id est, non ficta: quia supposita fictione circa ens rationis positiuum, & priuatiuum, nulla alia fictione indigent ista entia rationis, vt inter se distinguantur.

QVÆSTIO III.

Vtrùm signum constituatur in suo esse per relationem ad signatum?

1 CVm signum importet relationem ad signatum, & connexionem cum potentia; quæritur medium dubium in cognitionem alterius: hinc oritur difficultas, an constitutiuum signi sit ordo ad signatū, an verò connexio cum potentia, vel conflatum ex ordine ad signatum, & connexione cum potentia, tanquam ex duplici conceptu inadæquato, ex quo adæquata differentia signi consurgat. Pro cuius resolutione dico primo. Signum non constituitur formaliter per connexionem cū potentia. Hæc conclusio probatur. Obiectum in communi constituitur per connexionem cum potentia; ergo signum, quòd est obiectum medium non debet constitui per connexionem cum potentia. Antecedens est certum, & consequentia probatur. Species debet habere distinctum cōstitutiuū, ac habet genus. Quādo quidem species genus excedit: sed signum (vt potè obiectum medium) est species obiecti, vt sic, & in communi; ergo si constitutiuum obiecti in communi est connexio cum potentia, constitutiuum signi non erit connexio cum potentia. Confirm. si signū constitueretur formaliter per cōnexionem cum potentia, sequeretur, quòd signa inter se non distinguerentur. Consequens est falsum; ergo, & anteced. Sequela probatur. Omnia signa dicunt connexionem cum potentia, & multa illorum cum eadem potentia dicunt connexionem; ergo sequela est vera.

2 Dico secundò. Signum eadem relatione non potest respicere signatum, & potentiā. Probatur hæc conclusio. Relatio signi ad potentiam semper est relatio rationis in omnibus signis.

Re-

Relatio verò ad signatum abstrahit à relatione rationis, & à relatione reali, vt constat ex dictis; ergo non potest esse eadem relatio, qua signum respicit potentiam, & qua respicit signatũ.

Dico tertiò. Signum formaliter constituitur per ordinem ad signatum. Hæc conclusio probatur. Signum per ordinem ad signatum, præcisso quocũque alio, distinguitur ab omni illo, quòd non est signum; ergo præcisè per ordinem ad signatum constituitur formaliter signum. Patet conseq. Constitutiuum enim, & distinctiuum sunt idem, & anteced. prob. Relatio enim ad signatum nulli alij conuenit, nisi medio ductiuo, quòd est signum; ergo præcisè per ordinem ad signatum distinguitur signum ab omni alio, quod non est signum. Confirm. Signum formaliter cõsideratum est relatiuum trãscendentale ad signatum; ergo per ordinem ad signatum formaliter constituitur. Antecedens est certum, & conseq. prob. Quia potentia est relatiuum transcendentale ad suum obiectum, per ordinem ad obiectum formaliter cõstituitur; ergo si signum est relatiuum transcendentale ad signatum, per ordinem ad signatum formaliter constituitur.

3 Contra istam conclusionem obijcies primò. Signum cõtrahit rationem obiecti: sed obiectum dicit connexionem cum potentia; ergo signum secũdùm suam differentiam constitutiuã dicit peculiarem connexionem cum potentia. Anted. est certum, & consequentia probatur. Contrahens, & contractum debent esse in eadem linea, & desumi penes ordinem ad eundem terminum; ergo si obiectum, quòd contrahitur per differentiam signi dicit connexionem cum potentia, etiam differentia. Signi contrahens rationem obiecti debet dicere specialem connexionem cum potentia. Confirm. Ratio absoluta non potest contrahi per differentiam relatiuam, & relatiua per absolutam similiter contrahi nequit; ergo pariter ratio obiecti non poterit contrahi per differentiam signi, si nõ dicit specialem connexionem cũ potentia.

4 Respondetur conced. maior. & min. & negando conseq. Ad hoc enim vt signum contrahat rationem obiecti, non requiritur, quòd secundùm differentiam constitutiuam dicat connexionem cum potentia, sed sufficit, quòd secundùm rationem, & speciem constitutam dicat connexionem cum potentia; & cum tota species signi importet connexionem cum potẽtia, quia est obiectum medium. Hinc prouenit, quòd signum potest contrahere rationem obiecti, quamuis secundum differentiam constitutiuam non dicat peculiarem connexionem cum potentia. Sicuti homo contrahit rationem ani-

animalis, quæ dicit ſenſibilitatem, licet differentia conſtitutiua hominis, nempè rationalitas, non dicat ſpecialem ſenſibilitatem. Similiter potentiæ, & habitus contrahunt rationem qualitatis dicentis ordinem ad ſubiectum, quamuis differentiæ conſtitutiuæ habituum, & potentiarum, non dicant ordinem ad ſubiectum, ſed ad obiectum. Si ergo ad hoc, quòd homo contrahat rationē animalis, ſufficit, quòd tota ſpecies conſtituta hominis dicat ſenſibilitatem, quamuis differentia conſtitutiua illius ſpecialem ſenſibilitatem non importet. Et ſi habitus, & potentiæ contrahunt rationem qualitatis per hoc, quòd habitus, & potentiæ includant ordinem ad ſubiectum, quamuis differentiæ conſtitutiuæ illorum iſtum ordinem non importent. Cur ſimiliter non poterimus idem dicere de ſigno?

5 Et inſto argumentum. Nā conceptus inadæquatus ordinis ad ſignatum pro expreſſo, quòd dicit, non importat connexionē cum potentia, & tamen in contraria ſententia intimè coniungitur, & identificatur cum conceptu inadæquato connexionis cum potentia; ergo licet differētia ſigni non explicet pro expreſſo connexionem cum potentia, poterit contrahere rationē obiecti explicant m connexionem cum potentia. Ad confirmationem concedo antecedens, & nego conſequentiam. Ratio diſparitatis conſiſtit in hoc, quòd abſolutum dicit poſitiuam repugnantiam cum relatiuo prædicamentali, & ſunt indiſtinctis prædicamentis, & ideo abſolutum non poteſt contrahere relatiuum prædicamentale, nec èconuerſo, quia contrahens, & contractum debent eſſe in eodem prædicamento. At verò relatio ad ſignatum non dicit poſitiuam repugnantiam cum connexione, cum potentia. Immo eſt aliquid intraneum ad rationem obiecti; cum conſtituat obiectum medium, & eſt in eodem prædicamento, ac eſt obiectum, nimirum in prædicamēto entis abſoluti; quapropter poterit contrahere rationem obiecti.

6 Obijcies ſecundo. Vnum ſignum diſtinguitur ab alio, ſolum per potentiam, in ordine ad quam eſt ſignum; ergo ſignum formaliter conſtituitur per ordinem ad potentiam. Probatur antecedens. Imago, qua ego cognoſco Petrum, & conceptus, quo Angelus per meum conceptum cognoſcit Petrum, ſunt diſtincta ſigna; ſi quidem vnum eſt inſtrumentale, & aliud formale, & nihilominus tamen ſolùm diſtinguntur per potentiam, quia ſignatum eſt idem; ergo vnum ſignum diſtinguitur ab alio, ſolùm per ordinem ad potentiam. Confirmatur. Signum diffinitur per potentiam; ergo per ordinem ad illam

illâ formaliter constituitur Respond. neg. anteced. Illa enim signa distinguntur per ordinem ad signatum, quòd licet materialiter sit idem, formaliter tamen est diuersum, propter diuersum modum, quo concipitur à me, & ab Angelo; nam quatenus concipitur ab Angelo per meum conceptum, relucet in illo quædam immaterialitas, quæ quidē non est in eo secundùm quod à me concipitur. Sicut idem materialiter punctum est formaliter diuersum secundùm quod respicitur à motu circulari, & à motu recto. Ad confirmationem dicatur, quòd signum diffinitur per potentiam tanquam per aliquid illi extrinsecum. Per signatum autem diffinitur tanquam per rationem formaliter constitutiuam.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm relatio signi ad signatum, per quam signum formaliter constituitur, sit transcendentalis, vel prædicamentalis?

1 SVppono signum, vtpotè mensuratum à signato, ad illud dicere transcendentalem relationem, supra quam fundatur altera relatio prædicamentalis signi ad signatum quādo signatum existit; & modo inquiro, an signum formaliter cōstituatur per primam relationē, an verò per secundam. In qua parte resolutoriè dicendum est, signum formaliter constitui per relationem transcendentalem ad suum signatum, relatione prædicamentali solùm consequenter se habente. Hæc conclusio probatur primò. Signum in ratione ductiui formaliter constituitur per ordinem transcendentalem ad signatum; ergo per istum ordinem formaliter constituetur in ratione signi. Consequentia cōstat; quia ratio signi est ratio obiecti medij ductiui. Et anteced. prob. Signum per solam relationem transcendentalem ad signatum ducit potentiam in cognitionem illius; ergo signum in ratione ductiui formaliter constituitur per relationem transcendentalem. Consequentia cōstat; & anteced. prob. Imago enim antecedenter ad relationem prædicamentalem ducit potentiam in cognitionem sui signati; ergo signum per solam relationem transcendentalem constituitur in ratione medij ductiui.

2 Secundo probatur conclusio. Signum formaliter in ratione signi non respicit signatum, vt purum terminum, sed vt sui mensuram, & sui finem; ergo signum formaliter in ratione signi non constituitur per relationem prædicamentalem ad suum signatum, sed per transcendentalē. Conseq. constat, & anted. prob. primo Signum intra locum cognoscibilis eundem locum obtinet, ac medium in genere apetibilis; sed medium in genere apetibilis non respicit finem, vt purum

rum terminum, sed vt causam finalem sui: ergo pariter signum in genere cognoscibilis non respicit signatum vt purum terminum, sed vt sui mensuram, ac per consequens sicuti medium in genere apetibilis non constituitur per relationem prædicamentalem, ita nec signum in genere cognoscibilis. Secundò prob. idē antec. cognoscibile diuiditur in cognoscibile medium, & in cognoscibile vltimum: sed cognoscibile vltimum non respicit potentiam, vt purum terminum, sed vt mensuratam ab ipso; ergo cognoscibile mediū non respicit cognoscibile vltimum, vt purum terminum, sed vt mensurā, à qua mensuratur.

3 Denique probatur nostra conclusio. Signum formaliter, vt signum est in genere cognoscibilis; ergo non cōstituitur formaliter per relationem prædicamentalem ad suum signatum. Consequentia constat aliàs non in genere cognoscibilis, sed in genere relatiui esset. Et antec. prob. Signatum vt signatum pertinet formaliter ad genus cognoscibilis; ergo pariter signum formaliter, vt signum ad idem genus pertinebit. Sunt namque correlatiua, ac proinde ad idem genus debēt pertinere. Antecedens autē probatur. Signatum vt obiectum pertinet formaliter ad lineam cognoscibilis; ergo etiam vt signatum ad eandem lineam pertinebit. Patet consequentia. Ratio enim signati solum addit ad rationem obiecti attingibilitatem à potentia mediante signo; ergo si in ratione obiecti attingibilis immediatè à potentia est formaliter in linea cognoscibilis, etiam in ratione signati attingibilis à potentia mediante alio intra eādem lineam formaliter erit.

4 Contra istam conclusionem obijcies primo. Signum in quantum signum est simul natura cum signato; ergo constituitur formaliter per relationem prædicamentalem ad illud. Consequentia constat, & antec. prob. Signatum clauditur intrinsicè in signo, & è conuerso; ergo signū est simul natura cum signato. Conseq. constat, & antec. prob. Signum nō potest intelligi, quin intelligatur signatum, & è conuerso; ergo signum clauditur in signato, & signatum includitur in signo. Resp. distinguendo anteced. Signum in quantum signum est simul natura, & cognitione cum signato, tanquam cū sui mensura; concedo anteced. Tanquam cum puro termino, nego antec. & conseq. Ad hoc enim vt signum esset relatiuum prædicamentale ad signatum, requirebatur, quòd cum illo diceretur ad conuertentiam tanquā cum puro termino, & quòd signum includeretur in conceptu signati, & è conuerso absque prioritate causalitatis. Et cum signum hoc modo non conuertatur cum signato, nec in illo in-

clu-

cludatur. Hinc prouenit, quòd non sit relatiuum prædicamentale, quia includitur in signato, vt quid posterius, sicuti mensuratum includitur in mensura, & mensura, vt quid prius includitur in mensurato. Vndè signum, & signatum non includuntur mutuo eodem modo, ac relatiua prædicamentalia. Et insto argumentum. Nam mensura, & mensuratum, obiectum, & potentia, generans, & genitum, producens, & productum: omnia ista dicuntur ad conuertentiam, & nihilominus, quia ista conuertentia nõ excludit omnem causalitatem, omnia ista non sunt relatiua prædicamentalia; ergo similiter dicendum est de signo, & signato.

5 Obijcies secundo. In genere entis rationis non datur relatio transcendentalis; sed aliqua signa constituuntur formaliter per relationem rationis ad suum signatum (vt constat in signis ad placitum) ergo signum non constituitur per relationem transcendentalem. Patet consequentia. Ratio enim communis signi debet constitui per aliquid commune omnibus signis. Confirm. primo. Hæc nomina *signum*, & *signatum*, significant solùm habitudinem vnius ad aliud; ergo sunt relatiua prædicamentalia. Prob. anteced. *signum*, & *signatum* non significant aliquam actionẽ, vel passionem, ergo significant habitudinem vnius ad aliud. Cõfirm. secundo. Non est maior ratio quare per istud nomen *signum* importetur primario relatio transcendentalis, quàm prædicamentalis; ergo non est ratio probans signum constitui per transcendentalem relationem, magis quàm per prædicamentalem. Prob. anteced. Si esset ratio aliqua maximè diffinitio signi: sed ex diffinitione signi nulla ratio infertur; quia multoties aliqua res diffinitur per suum fundamentum; ergo ex eo quod signum diffiniatur per rationem ductiui, non probatur per illam formaliter constitui, nec illam primariò importare.

6 Respond. negando antec. Aliqua enim relatio dupliciter potest dici transcendentalis, vel ex eo quòd non sibi determinet aliquod determinatum prædicamentum, vel ex eo quòd non sit purus respectus, sed cum aliqua dependentia, & subordinatione admisceatur. Etenim relatio, quę constituit signum ad placitum non est transcendentalis primo modo, quia pertinet ad determinatum genus, scilicet entis rationis, est tamen transcendentalis secundo modo: quia respectus, quem dicit signum ad placitum ad suum signatum non est purus respectus expers dependentiæ, & subordinationis; eo quòd signũ ad placitum secundum quòd cõfingitur medium ductiuum alterius, ad quod ex natura rei non erat ordinatum, certum est ad illud dicere respectum dependen-

dentiæ, & subordinationis.

7 Ad primam confirmationem dicatur, hoc nomen *signum* significare habitudinem dependentiæ, & mensurationis ad signatum. Significat enim prædictũ nomen habitudinem effectus causæ extrinsecæ mensurantis, & specificantis, quãtus non significet habitudinem actionis, seu passionis. Quia hoc solùm inuenitur respectu causæ efficientis, non tamen respectu alterius causæ. Ad secundam confirmationẽ dicatur, hoc nomen *signum* importare relationem ad signatum ex consequenti, & secundario; quia signum importat relationem prædicamentalem ex consequenti, non verò principaliter, & primario. Cuius ratio est, quia tota essentia signi saluatur antecedenter ad talem relationẽ prædicamentalem. Vndè signum per illam formaliter non constituitur, nec hoc nomen *signum* illam primariò importat; sicut mediũ, vt medium formaliter, & non solùm fundamentaliter pertinet ad lineam apetibilis, pariter ergo signum ad genus cognoscibilis pertinebit, non solùm fundamentaliter, verum etiam formaliter; sic enim comparatur cognoscibile ad signum, & signatum, sicut apetibile ad medium, & finem, & de hoc iterum quæstione sequenti collorario primo.

QVÆSTIO V.

Vtrùm signum sub ratione medij ductiui ad cognitionem alterius sit formaliter obiectum?

1 IN Hac parte duplex inuenitur sententia. Primò affirmat rationem obiecti præsuppositiuè, vel consequutiuè se habere ad rationem signi, quatenus signum est medium ductiuum in alterius cognitionem. Secunda asserit signum sub ratione medij ductiui per se ordinati ad alterius repræsentationẽ esse formaliter obiectum cognoscibile. Hæc secunda sententia sit nostra conclusio. Et probatur primò. Signum sub ratione medij ductiui est medium repræsentatiuum formaliter; ergo etiam erit cognoscibile formaliter per modum obiecti. Patet consequẽtia, quia signum repræsentat quatenus cognitum facit incognitionem alterius, scilicet signati venire. Et antec. prob. ex eius diffinitione, in qua dicitur, quòd est *potentia cognoscitiuæ alicuius repræsentatiuum*. Secundò prob. conclusio. Actuale exercitium signi in ratione medij ductiui est actualiter cognosci. Quandoquidẽ non aliter ducit potentiam in cognitionem alterius, nisi quatenus ab ipsa cognoscitur; ergo actus primus, seu essentia signi habebit formaliter rationem obiecti cognoscibilis. Probatur conseq. Eadem proportione qua se habet ratio

cognitionem ad medium ducens, se debet habere ratio cognoscibilis ad medium ductiuum; ergo si illa formaliter est in linea obiecti, etiã ista formaliter in linea obiecti erit.

2 Tertiò probatur conclusio, & simul euertuntur fundamenta contrariorum. Ordinari, & per se dependere ab alio, tanquam ab obiecto vltimo, non potest extrahere medium per se dependens, & ordinatum à ratione obiecti; ergo signum sub ratione medij ductiui est formaliter obiectum. Consequentia cõstat, & antecedens probatur. Intra rationem obiecti formaliter sumpti reperitur cognoscibile medium per se ordinatum ad aliud, & ab illo dependens tanquam ab extrinseca mensura; ergo ordinari, & per se dependere ab alio, tanquam ab obiecto vltimo non extrahit medium dependens, & ordinatum à ratione obiecti formaliter. Probatur antecedens. Ordinari, & dependere ab alio non pertinet ad determinatum genus. Si quidem reperitur in genere entis, & in genere veri, vt patet in veritate præmissarum respectu veritatis conclusionis: sed veritas præmissarum est formaliter in linea obiecti cognoscibilis; ergo quamuis signum sit medium ordinatum ad cognitionem alterius, erit formaliter obiectum cognoscibile.

3 Contra istam conclusionem obijcies primò. Ratio obiecti cognoscibilis, vt sic consistit in connexione cum potentia; ergo medium per se ordinatum ad aliud, quale est signum, non potest esse formaliter in linea obiecti. Consequentia probatur medium per se ordinatum ad aliud non potest contrahere, vel determinare rationem obiecti connexi cum potentia, quia huiusmodi ratio non potest determinari, nisi per peculiarem connexionem cum potentia; sed signum, quatenus medium ductiui non dicit specialem connexionem cum potentia; ergo quatenus medium ductiuum non est formaliter in linea obiecti. Minor cum consequentia constat. Maior verò probatur. Quotiescumque aliqua ratio communis accipitur per ordinem, vel connexionem cum aliquo termino, ratio determinatiua, & contractiua illius rationis communis debet accipi in ordine ad eundem terminũ; ergo si ratio obiecti, vt sic summitur penes connexionem cum potentia, & mediũ ductiuum, non dicit formaliter connexionem cum potentia, medium ductiuum, quatenus ductiuum non poterit contrahere rationem obiecti cognoscibilis.

4 Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam. Ad probationem nego maiorem. Ad probationem distinguo antecedens. Ratio cõtra-

tract'ua debet accipi per ordinem ad eundem terminum, vel ad alium existentem intra eandem lineam; concedo antecedens: in ordine ad eundem terminum præcisè, nego antecedens, & consequentiam. Ad hoc enim vt signum contrahat, & determinet rationem obiecti, non requiritur, quòd differentia constitutiua signi importet specialem connexionem cum potentia, sed sufficit, quòd species constituta signi connexionem habeat cum potentia, & quod differentia constitutiua signi ordinem importet ad terminum existentem in linea entis absoluti, in qua existit potentia; & argumentum instatur in medio apetibili, cuius ratio desumitur per ordinem ad finem, & nihilominus est formaliter intra rationem boni dicentis connexionem cum voluntate. Similiter instatur in potentijs, quarum rationes summũtur per ordinem ad obiecta specificatiua, & nihilominus determinant rationem qualitatis, quæ desumitur per ordinem ad subiectum.

5 Obijcies secundò. Id quòd pertinet ad genus entis, non potest constituere aliquid pertinens ad genus cognoscibilis: sed relatio transcendentalis ad signatum pertinet ad genus entis; ergo non potest constituere signum intra rationem obiecti cognoscibilis. Dices relationem transcendentalem, non solùm ad genus entis, verum etiam ad alia genera pertinere. Sed contra. Relatio transcendentalis pertinet determinatè ad genus entis; ergo solutio est nulla. Probatur antecedens. Relatio transcendentalis, quantum est ex se, semper fundat relationem prædicamentalem; sed relatio prædicamentalis pertinet determinatè ad genus entis; ergo etiam relatio transcendentalis determinatè ad genus entis pertinebit. Patet consequentia. Fundans enim, & fundatum ad idem genus debent pertinere. Ideo, quòd illud principium *fundans, & fundatum ad idem genus debent pertinere*, non est vniuersaliter verum. Etenim fundamentum relationis prædicamentalis adhuc quatenus fundat ipsam relationem, est formaliter in genere entis absoluti, & tamen ipsa relatio fundata est in genere entis relatiui. Similiter numerus, & vnitas fundat relationem prædicamentalem existentem in genere entis relatiui, & tamen numerus, & vnitas, vtpotè species quantitatis sunt in prædicamento entis absoluti; ergo illud principium non est cum omni rigore sumendum, sed solùm intelligendum de genere entis realis, nimirum quòd si fundatum est in genere entis realis, fundans non potest esse in genere entis rationis. Vndè ex eo quòd relatio transcendentalis fundet relationem prædicamentalem

determinatè existentem in linea entis, non erit inferendum relationem transcendentalem in linea entis determinatè existere.

6 Sed denique vrgebis. Relatio prædicamentalis fundata pertinet determinatè ad genus entis; ergo relatio transcendentalis illam fundans non poterit pertinere ad genus cognoscibilis. Antecedens est certum; & consequentia probatur. Quòd pertinet ad genus cognoscibilis, nequit fundare aliquid pertinens ad genus entis; ergo si relatio prædicamentalis fundata pertinet ad genus entis, relatio transcendentalis fundans, non poterit ad genus cognoscibilis pertinere. Probatur antecedens. Fundamentum debet esse prius re fundata: sed quod pertinet ad genus cognoscibilis non potest esse prius illo, quòd pertinet ad genus entis; si quidem genus entis est prius genere cognoscibilis; ergo quod pertinet ad genus cognoscibilis non potest fundare, quòd pertinet ad genus entis. Respondetur solutionem datam esse legitimam; & ad replicam concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem, nego antecedens. Ad probationem concedo maiorem, & distinguo minorem. Respectu eiusdem entitatis concedo minorem; respectu diuersarum entitatuum, sub distinguo minorem, aliquando, concedo minorem, semper, & necessariò nego minorem, & consequentiã. Ex eo enim quòd genus entis sit prius genere cognoscibilis, solùm sequitur in eadē entitate prius esse rationem entis, quàm rationem cognoscibilis. Non autem sequitur, quòd vna entitas sub ratione cognoscibilis non sit prior alia entitate in ratione entis. Exemplũ est in potentia cognoscitiua, quæ sub ratione entis dependētis à suo obiecto cognoscibile, est posterior suo obiecto, & tamē ipsa est in genere entis, & illud in genere cognoscibilis. Qua propter ex argum. solùm prob. quòd in relatione prædicamentali prior sit ratio entis ratione cognoscibilis, & similiter in ipsa relatione trãscendentali prior sit ratio entis ratione cognoscibilis, non tamē quòd relatio transcedentalis sub ratione cognoscibilis, non sit prior relatione prædicamẽtali in genere entis determinatè existente.

7 Ex dictis colligitur, signum non esse formaliter relatiuũ prædicamentale; nã licèt *significans*, & *significatum* sint relatiua prædicamentalia, tamen *signum*, & *signatum*, non prædicamentalia, sed transcendẽtalia relatiua sunt. Vt docet D. Tho. 1. p. q. 13. art. 7. ad 6. vbi docet, quòd licèt *sciens*, & *scitum* sint relatiua prædicamentalia, *scientia* tamen, & *scibile* non sunt prædicamentalia relatiua, sed transcendentalia. Similiter colligitur ex dictis: signum includere connexionem realem cum

cum potentia, quia signum respicit signatum, vt repræsentabile potentiæ. Vndè ordo transcendentalis signi ad signatum, etiam includit connexionem cũ potentia, quatenus terminatur ad signatum, vt potentiæ repræsentabile.

QVÆSTIO VI.

Vtrum brutis sint signa?

1 PRo intelligentia huius quæstionis aduertẽdum erit dupliciter vnum posse per aliud cognosci. Vno modo formaliter, scilicet cognoscendo similitudinem, & conuenientiam vnius ad aliud; & isto modo bruta non cognoscũt per signa. Alio modo potest vnum per aliud cognosci, nimirũ materialiter, quando non cognoscitur talis proportio, & conuenientia, sed cognoscendo tantum ex instinctu naturæ vnum per aliud, & isto modo bruta cognoscunt. Quo supposito resolutoriè dicendum est bruta habere sua signa. Hæc conclusio probatur ex sapientissimo Magistro Soto. Nam equus audito sonitu tubæ, statim se stimulat ad bellum; ergo bruta habent sua signa.

2 Contra istam conclusionem obijcies primò. Si aliqua signa essent brutis, maximè instrumentalia: sed hæc non sunt illis; ergo nulla sunt signa brutis. Minor probatur. Ad signum instrumentale requiritur discursus, (vt docet D. Thomas q. 9. de veritate art. 4. ad 4.) sed bruta non habent discursum; ergo nec signo instrumentalia. Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem dicatur, quòd quando D. Thomas dixit ad signum instrumentale requiri discursum debet intelligi de signo instrumentali, quatenus per illud formaliter cognoscitur signatum; non tamẽ de illo, vt per illud cognoscitur materialiter signatum. Vndè licet bruta nõ habeant discursum, possunt tamen habere sua propria signa; quia ad hoc sufficit instinctus naturalis per quem cognitis, seu conceptis signis, per illa materialiter cognoscant signata.

3 Secundò obijcies bruta nõ possunt percipere significationem signi instrumentalis; ergo non possunt habere signa instrumentalia. Patet consequentia. Ad hoc enim vt vnũ sit signum respectu alicuius, requiritur, quòd ab illo percipiatur eius significatio. Respondetur hoc argumentum solum probare bruta non posse cognoscere per signa, signata formaliter sumpta, non tamen probare bruta ex instinctu naturæ, non posse signata per signa materialiter cognoscere.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm vnum simile sit signum alterius?

2 Simile est in duplici differentia, aliud namque est simile

perfectum, quòd habet eandem formam, ac habet aliud, cui est simile. Aliud est simile imperfectum, quòd non habet eandem formam, ac habet aliud cui est simile, quomodo imago dicitur similis suo prototypo. Quo supposito resolutoriè dicendum est, vnum simile perfectum non posse esse signum alterius similis. Hæc conclusio probatur. De ratione signi (vt constat ex eius diffinitione) est quod sit aliud formaliter assignato: sed vnum simile perfectum non est aliud formaliter ab alio simili: ergo vnum simile perfectum non est signum alterius similis perfectè. Minor probatur. Quæ habent eandem formam, non possunt vnum aliud ab altero esse: sed similia perfecta habent eandē formam; ergo vnum non est formaliter aliud ab alio.

2 Contra istam conclusionem obijcies primo. Imago Imperatoris est similis Imperatori, & tamen est signum illius; ergo vnum simile potest esse signum alterius. Respondetur distinguendo maiorem. Imago est similis perfecta similitudine Imperatori, nego maiorem; imperfecta similitudine; concedo maiorem; & concessa minori, nego consequentiam. Licet enim simile imperfectum, sit signum alterius similis, simile tamen perfectum non est signum alterius similis. Quæ solutio constat ex dictis. Obijcies secundo. Conceptus est signum rei conceptæ; & tamen inter conceptum, & rem conceptam non est diuersitas in natura; ergo ratio probatiua nostræ conclusionis est nulla. Minor probatur. Eadem enim natura, quæ est à parte rei, relucet in cōceptu; ergo inter conceptum, & rem conceptam non est diuersitas in natura. Respondetur concedendo maiorem, & distinguendo minorem; non est diuersitas in natura, nec in modo habendi illam; nego minorem: in ipsa natura repræsentata, concedo minorem, & nego consequentiam. Ad rationem enim. Signi solum requiritur diuersitas in natura, vel in modo habendi illam, dummodo in tali diuerso modo fundetur deficientia signi respectu signati, & cum hoc reperiatur in conceptu respectu rei conceptæ, fit consequens quòd possit esse signum illius.

3 Obijcies secundo inter indiuidua eiusdem speciei datur perfecta similitudo: & tamen vnum est signum alterius; ergo vnum simile perfectum potest esse signum alterius. Minor probatur. Inter indiuidua eiusdem speciei reperitur ratio effectus in vno respectu alterius; ergo, & ratio signi. Probatur consequentia. Ratio effectus dicit dependentiam à sua causa; ergo si in vno indiuiduo reperitur ratio effectus respectu alterius, etiam reperietur ratio dependentiæ, & con-

consequenter ratio signi. Respondetur cōcedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem distinguo antecedens. Ratio effectus respectu alterius, vt causæ vniuocæ, concedo antecedens, vt causæ æquiuocæ, nego antecedens, & consequentiam. Etenim effectus causæ vniuocæ solum per accidens subordinatur, & dependet à causa vniuoca: quia solum quantum ad fieri ab ipsa dependet, & cum illa in specie conuenit, & species ita perfectè reperitur in effectu, ac in causa; quo circa effectus causæ vniuocæ non est signum illius; effectus autem causæ æquiuocæ dependet à sua causa per se, quia non solum dependet ab illa quantum ad fieri, sed etiam quoad conseruari, & non conuenit specie cum sua causa. Quæ solutio desumitur ex D. Thoma quæst. 5. de potentia artic. 1.

4 Obijcies tertiò. Vna imago est. Signum alterius imaginis; vt patet in imagine Soriani existenti in hoc Conuentu, quæ quidem est signum imaginis Soriani existentis in Soriano, ergo vnum simile potest esse signum alterius similis. Respondetur distinguendo antecedens: vna imago est signum alterius imaginis, si ab ipsa imagine cuius est signum excedatur imperfectione, siue physicè, siue moraliter, concedo antecedens, si non excedatur, sed omnino adæquè ipsam in perfectione, nego antecedens, & consequentiam. Quando enim vna imago ab alia exceditur physicè, seu moraliter benè potest esse signum illius; & cum imago Soriani, quæ est in hoc Conuentu excedatur moraliter in perfectione ab imagine existente in Soriano; quia illa, quæ est in Soriano deducta fuit à virgine è cælo, ista autem, quæ est in hoc Conuentu non fuit è cælo emissa, sed à naturali artifice depicta, & sic moraliter in perfectione ab illa exceditur; ex quo prouenit, quòd potest esse signum illius. At verò si vna imago perfectè aliam repræsentet? ita vt in perfectione moraliter, seu physicè non excedatur ab ipsa, non erit signum illius ad cuius similitudinem fuit depicta; & prototypum illius propriè non erit imago ad cuius similitudinem fuit depicta, sed prototypum illius erit idem, quod est prototypum alterius imaginis; quia imago debet à suo prototypo deficere.

5 Obijcies vltimo. Conceptus reflexus est signum conceptus directi: & tamen vterquè conceptus est imago intellectualis; ergo vna imago potest esse signum alterius imaginis. Respondetur distinguendo antecedens. Conceptus reflexus est signum conceptus directi, vt conceptus directus est imago, nego

antecedens, vt quædam res est, concedo antecedens; & distinguo consequens eadem distinctione. Itaque conceptus directus poterit considerari dupliciter: vno modo, quatenus est imago, & ratio formalis media qua cognoscitur obiectum, & hoc modo considerato conceptus reflexus non est signum illius; quia secundùm istam rationem non datur de ipso conceptus reflexus: alio modo potest considerari, nempè secundum quòd est quædam res, quæ cognoscitur ab intellectu, & secundùm istam rationem conceptus reflexus est signum illius, sed de hoc iterum redibit sermo.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm causa principalis sit signum sui effectus?

1 CAusa diuiditur in principalem, & instrumentalem; principalis est illa, quæ agit per propriam virtutem dimanantem à sua forma; instrumentalis est illa, quæ agit in virtute principalis, à qua mouetur. Hoc supposito, & ad Philosophos misso. Dico primò. Causa principalis non est signum sui effectus. Hæc conclusio videtur expressa apud Diuum Thomam 3. part quæst. 62. artic. 2. ad primum illis verbis: *Causa principalis proprie non potest dici signum sui effectus*, etiam si illa sit sensibilis, & manifesta. Et probatur ratione. De ratione signi est à suo signato dependere in genere causæ formalis extrinsicæ mensurantis, illique subordinari per modum medij ad illius cognitionem ordinati: sed causa principalis in quantum talis ab effectu non dependet, nec illi subordinatur tanquam medium ordinatum ad eius cognitionem; ergo non est proprie signum sui effectus. Confirmatur. Cognitio per causam non dicitur cognitio aposteriori; sed potius à priori: sed cognitio per signum est cognitio a posteriori; ergo causa principalis non est propriè signum sui effectus. Confirmatur secundò. Et si beatus in Diuina essentia tanquam in causa creaturas inspiciat, non dicitur in Diuina essentia tanquam in signo creaturas possibiles videre; non alia ratione, nisi quia eas in Diuina essentia tanquam in causa omnino independenti intuetur; ergo cum causa principalis in quantum talis sit omnino independens à suo effectu, in quantum effectus considerato, nullatenus erit signum sui effectus.

2 Dico secundò. Causa instrumentalis est propriè signum sui effectus. Hæc conclusio inuenitur in Diuo Thoma 3. part. q. 62. art. 1. Et probatur ratione.

Ete-

Etenim causæ instrumentali conuenit quidquid requiritur ad rationem signi sui effectus, ergo est proprie signum illius. Probatur antecedens. Causa enim instrumentalis ducit potentiam in cognitionem sui effectus ex vi subordinationis ad ipsum; ergo conuenit illi quidquid ad rationem signi desideratur.

3 Contra primam conclusionem. Obijcies primo. Causa instrumentalis est signum sui effectus, quia non solum est causa, sed etiam est effectus, in quantum mouetur à principali agenti (vt ait Diuus Thomas, in secunda conclusione loco citato) sed etiam causa principali creata mouetur à Deo, qui est causa vniuersalis; ergo non solum erit causa, sed etiam effectus, & consequenter habebit rationem signi respectu sui effectus. Respondetur Diuum Thomam asseruisse causam instrumẽtalem esse signum sui effectus, non quia mouetur, vt cumque à principali; sed quia mouetur ab illa tanquam à particulari causa, à qua accipit virtutem operatiuam ordinatam ad effectum tanquam ad finem. Causa autem secunda principalis non mouetur ab aliquo principali agente particulari, sed à Deo motore vniuersali, à quo accipit motionem, & determinationem, non verò virtutem operatiuam, quia ipsa antecedenter ad motionem supponitur potens. Vndè causa instrumentalis erit signum sui effectus. Secus verò principalis, cuius ratio est; quia Deus, vt vniuersalis motor mouet vnumquodque iuxta suam naturam: cum ergo causa principalis, sit perfectior suo effectu, vel æqualis perfectionis cum illo: Deus media sua motione nõ subordinat ipsam sui effectui tanquam fini. Instrumentalis verò, vtpote suo effectu imperfectior ex natura sua petit illi tanquam superiori, & fini subordinari: quo circa virtus illi communicata à causa principali est propter effectum. Vndè motio, quam accipit à principali causa illam subordinat ad effectum tanquam ad finem.

4 Obijcies secundo. Licet causa principalis sit perfectior, vel æquè perfecta cum suo effectu in genere entis poterit ab illo in genere cognoscibilis excedi, illique subordinari, vt fini, & mensuræ; ergo poterit esse signũ sui effectus. Antecedens probatur. Conceptus entis rationis in esse entis est perfectior ente rationis: & tamen in genere intelligibili ab illo exceditur, illique vt fini, & mensuræ subordinatur, cum habeat rationem signi respectu illius; ergo similiter potest dici de causa principali. Cõf. Intellectus & voluntas, & etiam habitus harũ potentiarũ sunt causę principales suarum actionũ, & tamen specif-

can-

cantur à suis actibus, & ad illos, vt ad finem proprium ordinantur; ergo causa aliqua principalis poterit esse signũ sui effectus, illique subordinari. Respõd. neg. antec. Itaque impossibilitas subordinationis in causa principali respectu sui effectus non oritur ex excessu entitatiuo, sed ex eo quòd illum causat in genere causæ efficientis. Et cum causa efficiens in quantum talis non possit à suo effectu dependere; hinc prouenit, quòd non possit esse signum sui effectus, illique subordinari. Ad illud autem de conceptu entis rationis dicimus, quòd conceptus entis rationis est signum formale illius; quia taliter est causa, quòd etiam sortitur rationem effectus respectu illius; quãdoquidem ab illo specificatur. Non autem est signum formaliter in quantum causa, sed in quantum effectus illius in alio genere causæ. At verò causa principalis æquiuoca, vt cælum respectu horum inferiorum, & vniuoca, vt homo respectu alterius hominis, taliter sunt causæ, quòd nullatenus sunt effectus respectu suorum effectuum, & ideo sub nulla consideratione possunt habere rationem signi respectu illorum. Ad conf. eodẽ modo respond. Pro 2. conclusione aduertendum erit hãc esse differentiam inter causam principalem, & instrumentalem. Nimirum, quòd causa principalis creata, & si aliquando in aliquo inferiori sortiatur rationem effectus, & signi respectu sui effectus, hoc est consequutiuè, & specificatiuè, & per accidens, quia hoc non exigitur ex conceptu causæ principalis. Si quidem quàm plures aliæ causæ principales, hoc non habent respectu suorum effectuum. Cæterum causa instrumentalis specificatiuè saltim, & consequutiuè exposcit per se sortiri rationem effectus respectu sui effectus. Vndè in omni inferiori obtinet rationem signi respectu sui effectus, per quod soluuntur argumẽta contra secundam conclusionem.

QVÆSTIO IX.

Vtrùm detur significare effectiuè?

1 OBiectum medium, quale est signum dupliciter potest ad potentiam comparari, primo modo secũdum quod motiuum est quatenus mouet potentiam emittendo species impressas ad sui, & alterius cognitionem, & iste concursus non est dubium, quod est effectiuus. Secundo modo comparatur ad potentiam, secundum quod terminat cognitionem illius, & in illo (si sit signum formale) vel per illud (si sit signum instrumentale) aliud cognoscit per aliam cognitionẽ ex vi cognitionis signi. Et in hoc secundo modo sumpto signo procedit quæstio, an significare sit formaliter aliquid efficere. Quo supposito resolutoriè dicendum est.

est. Significare non est formaliter aliquid efficere. Prob. hęc conclusio primo. Concursus signi formaliter sumpti, est concursus terminantis cognitionem; sed iste concursus non est formaliter effectiuus; ergo significare non est formaliter aliquid efficere. Mai. constat, quia signum munus exercet significandi, quatenus cognito facit aliud per ipsum, vel in ipso cognosci. Min. verò prob. concursus obiecti terminantis cognitionem est concursus causæ extrinsicæ specificantis, quæ reducitur ad causam formalem: ergo concursus signi formaliter sumpti non est effectiuus. Conf. hæc ratio causalitas obiecti, quod est ratio terminationis eiusdem potētiæ, vel eiusdem actus ad aliud obiectum, non est efficiens; sed huiusmodi est causalitas signi; ergo causalitas signi non est formaliter effectiua. Minor cum conseq. constat. Mai. verò prob. Præmissę obiectiuæ sunt rationes medijs, quibus terminatur cognitio intellectus ad conclusionem obiectiuā, similiter finis est ratio media qua terminatur actus voluntatis ad media, & tamen causalitas præmissarum obiectiuarum, & finis non est formaliter effectiua; ergo causalitas obiecti, quòd est ratio terminationis eiusdem potentiæ, vel eiusdem actus ad aliud obiectum, non est formaliter efficiens. Conf. secundo. Signum in ratione signi pertinet ad genus cognoscibilis passiui, & per modum obiecti; sed cognoscibile passiuum nullam efficientiam dicit respectu potentiæ intellectiuæ; sed solum habet terminare illius actum; ergo signum formaliter sumptum, nullam efficientiam dicit respectu potentiæ cognoscitiuæ.

2 Obijcies primo. Signum in ratione obiecti habet essentialiter emittere species potentiæ intellectiuæ; ergo signum in ratione signi habet efficientiam. Resp. disting. antec. Essentialiter præsuppositiuè, conced. antec. essentialiter constitutiuè, neg. anteced. & conseq. licet enim obiectum habeat emittere species potentiæ cognoscitiuæ, hoc tamen præsuppositiuè, & materialiter, se habet ad rationem obiecti formaliter sumpti. Obiectum enim formaliter sumptum solū consistit in hoc, quod est terminare actum potentiæ. Vel secundo dicatur, quòd licet obiectum formaliter sumptum habeat emittere species potentiæ cognoscitiuæ; signum formaliter sumptū, hoc non habet. Quia signum dicitur obiectum secundū munus terminandi. Vndè munus terminandi erit inadæquatū respectu obiecti, & adæquatum respectu signi. Sed contra primam solutionem replicabis. Potentia intellectiua adæquatè concepta, non solum habet rationem potentiæ actiuæ, sed etiam subinduit rationē passiuæ essentialiter constitutiuè; ergo eius obiectum specificatiuum

si

si adequate concipiatur, obtinebit esse ratio rationem motiui, non solum præsuppositiuè, verum etiam constitutiuè. Respon. quod potẽtia intellectiua formaliter sumpta nõ habet pati ab obiecto constitutiuè, sed solum præsuppositiuè, quatenus accipit speciem ab illo, quæ recipitur in ipsa. Per quod distinguitur à potentia Angelica, quæ non accipit species à rebus.

3 Obijcies secundo. Signum concurrit ad cognitionem signati, vt se tenet ex parte potentiæ complẽs, & actuans, per modum obiecti prius cogniti illam; ergo concurrit ad cognitionem signati effectiuè. Antecedens est certum; & conseq. prob. Cognitio ipsius signi concurrit efficienter, ad cognitionem signati; ergo ipsum signum etiam concurret efficienter ad cognitionem signati. Confir. hoc argumẽtum primo. species impressa in probabili sententia, concurrit efficienter ad cognitionem obiecti; ergo etiam signum concurrit efficienter ad cognitionem signati. Antec. est certum, & conseq. probat. sicuti species impressa determinat intellectum ad cognitionem obiecti complẽdo ipsum intellectum, ita signum determinat, & complet potentiam cognoscitiuam, vt cognoscat signatum; ergo par ratio vtrobique currit. Conf. secundo. Assensus præmissarũ concurrit efficienter ad assensum cõclusionis, quia complet, & determinat intellectum ad assensum conclusionis; ergo si signum cõplet, & determinat potentiam cognoscitiuam ad cognitionem signati, etiam efficienter concurret ad signati cognitionem Confirmatur tertio. Idæa concurrit efficienter ad effectũ idæatum; quia determinat artificem, ad effectum determinatum; ergo si signum determinat potentiam cognoscitiuam ad cognitionem signati efficienter concurret ad illam.

4 Resp. disting. antec. signum complet, & determinat potentiam cognoscitiuam extrinsicè, & per modum obiecti. Conc. antec. Intrinsicè per modum formæ intrinsicæ informans, nego antec. & conseq. Itaque signum determinat, & complet potentiam solum extrinsicè, quia nõ informat intrinsicè ipsam potentiam, & ideo licet potentia effectiuè concurrat ad cognitionem signati ipsum signum, non concurrit efficienter ad cognitionem signati. Eo quod ex signo, & potentia non fit vnum principium cognitionis.

5 Ad primam confirmationem respondetur cõcedendo antecedens, & negando consequentiam. Aliter enim signum determinat potẽtiam cognoscitiuam, & aliter species impressa ipsam determinat, & complet, species enim impressa determinat potentiam intrinsicè, & ipsam cõplet, & ex ipsa, & potentia cognoscitiua

ua fit vnum principium intellectionis. At verò ſignum ſolum extrinſicè, & obiectiuè complet, & determinat potentiam cognoſcitiuam; eo quòd non informat intrinſicè potentiã cognoſcitiuam. Quo circa, quamuis ſpecies impreſſa concurrat efficienter cum potẽtia; ſignum cum potentia effectiuè non concurret. Et argumentum ſolum probat ſpeciem impreſſam ſigni efficienter concurrere cum potentia ad cognitionem ſignati; non tamen probat ſignum efficienter concurrere. Sed contra ſolutionem replicabis. Signum concurrit ad cognitionem ſignati media ſpecie ſui impreſſa: ergo ſi ſpecies impreſſa ſigni efficienter concurrit ad cognitionẽ ſignati, etiã ipſum ſignum efficienter debet concurrere ad prædictam cognitionem. Patet conſequentia. Etenim medio aliquo concurrente efficienter, non poteſt aliud formaliter extrinſicè concurrere; ergo ſi ſignum concurrit ad cognitionẽ ſignati media ſua ſpecie impreſſa efficienter concurrẽte, etiam ipſum ſignum efficienter debet concurrere. Reſpondetur ſolutionem datam eſſe legitimã, & ad replicam, diſtinguo antecedens ſignum materialiter, & præſuppoſitiuè, quatenus emittit ſpeciem impreſſam media illa concurrit ad cognitionem ſignati, concedo antecedens, ſignum formaliter ſumptum, & quatenus terminat cognitionem, nego antecedens, & conſequentiam: ſignum enim dupliciter conſideratur, & quatenus emittet ſpecies potentiæ cognoſcitiuæ, qua ratione non eſt ſignum formaliter, ſed ſolũ præſuppoſitiuè, & materialiter. Quia ſecundum iſtam rationem nulla alterius importat ſignificationem. Alio modo conſideratur, nimirum quatenus terminat cognitionem, ſub qua ratione eſt formaliter ſignũ. Hoc ſuppoſito dico, quòd ſignum ſolum concurrit media ſpecie impreſſa ad cognitionem ſignati quatenus ipſam emittit; & cũ non emittat illam formaliter, quatenus terminat cognitionẽ, ſed materialiter & præſuppoſitiuè, hinc prouenit, quòd quatenus eſt formaliter ſignum, non concurrat efficienter, licet quatenus emittit ſpecies impreſſas efficienter concurrat, & argumentũ inſtatur in præmiſſis obiectiuis, quæ cõcurrunt ad cognitionẽ concluſionis mediis præmiſſis formalibus efficienter cõcurrentibus, & tamen ipſæ præmiſſæ obiectiuæ in nulla ſentẽtia efficienter concurrunt. Ad ſecundam conf. conſtat ex dictis. Præmiſſæ enim formales intrinſicè cõplent, & determinant intellectũ, ex quibus, & intellectu fit vnũ principiũ cognitionis concluſionis. At verò ſignũ ſolũ extrinſicè & obiectiuè cõplet, & determinat potentiã cognoſcitiuã ad cognitionẽ ſignati. Vndè non eſt eadẽ ratio. Ad 3. conf. admiſſo antec. ad. neg. conſ. diſparitas cõſtat ex di-

dictis. Idæa namque formaliter sumpta est forma, quam aliquis imitatur, existens in intellectu ipsum intrinsicè determinans, & complens ad cognitionem effectus idæati. Signum verò solum extrinsicè obiectiuè complet, & determinat potentiam cognoscitiuam. Qua propter est disparratio.

6 Obiicies tertio. Causa instrumentalis formaliter, vt causa est signum sui effectus; sed causa instrumentalis formaliter, vt talis est effectiua; ergo signum formaliter, vt tale est effectiuū. Antecedens constat ex dictis, & consequentia tenet à paritate rationis. Confirmatur hoc argumentum. Signum formaliter, vt signum emittit species impressas, sed quatenus emittit species impressas est effectiuū: ergo quatenus est signum effectiuum erit. Min. cum conseq. constat, & maior probatur dupliciter, primo. Signum formaliter, vt signū est obiectiuum motiuum; sed mouet emittendo speciem; ergo quatenus est signum species emittit. Secundo. Signum formaliter, vt signum, cognoscitur, & intelligitur, ergo quatenus est signum emittit species. Tum etiam. Signum diffinitur à D. August. quòd est illud, quòd præter species, quas ingerit sensibus nostris, aliquid aliud facit in cognitionem venire: ergo signum formaliter, vt signum impressas species emittit.

7 Respondetur distinguendo mai. causa instrumentalis formaliter, vt causa cognita est signum concedo mai. formaliter, vt causa efficiens, nego mai. & sub eadem distinctione min nego conseq. Causa enim instrumentalis non est signum sui effectus, sub formalitate, quia ipsum efficienter producit; sed quatenus terminat cognitionem, qua cognoscitur formaliter, vt causa instrumentalis, sub qua formalitate non efficit; sed purè terminet. Vel secundo dicatur ex dictis, quòd causa instrumentalis solum specificatiuè, & consequutiuè, est signum sui effectus, non autem formaliter, vt causa, & distinguitur à principali in hoc, quod principalis solum in aliquo materiali specificatiuè, & consequutiuè, & per accidens est signum. Instrumentalis verò per se (saltim specificatiuè, & cōsequutiuè) petit in omni materiali esse signum. Ad confirm. nego mai. Ad primam probationem distinguo mai. signum formaliter, vt signum est obiectum motiuum emissiuè, neg. mai. determinatiuè, concedo mai. & nego min. & conseq. Signum enim dupliciter potest dici obiectum motiuum, & quatenus emittit species, & sic solum est signum præsuppositiuè, vel quatenus determinat potentiam per modum obiecti determinantis extrinsicè. Qua ratione potest dici obiectum motiuum, vt contraponitur sibi ipsi, vt terminat cognitionem; & secun-

cundum istam rationem, quamuis sit signum formaliter, non emittit speciem, sed solum determinat extrinsicè potentiam. Vel secundo dicatur, signum formaliter, vt signum esse motiuum, non per hoc, quod emittat speciē potentiæ, sed per hoc, quod determinando potentiam illam mouet ad alterius obiecti cognitionem. Ad secundam probationem dicatur, quòd ad hoc, quod signū formaliter, vt signum cognoscatur, & intelligatur, non est necessum, quòd formaliter quatenus est signum emittat species, sed sufficit, quòd præsuppositiuè illas emittat, & quatenus formaliter est signum cognitionem terminet. Ad tertiam probationem dicatur D. Augustinum in prædicta diffinitione diffinisse signum secundum illud, quòd tam presuppositiuè, quàm formaliter importat.

8 Obijcies vltimo. Sacramentum nouæ legis formaliter, vt Sacramentum, est signum, sed formaliter, vt Sacramentum, est causatiuum gratiæ; ergo signum formaliter, vt signum est effectiuū. Respondetur. Sacramenta nouæ legis non causare gratiam, quatenus sunt signa formaliter; quia secūdum istam rationem, solum significant illam, sed causare gratiam, quatenus mouentur a Deo. Sacramenta autem nouæ legis distinguntur a Sacramentis veteris legis, in hoc, quòd Sacramenta nouæ legis significant gratiam, vt collatam per Christum in genere causæ efficientis, vel finalis; secus vero Sacramenta veteris legis. Et hæc dicta sufficiant applicando litteræ sapientissimi Patris Magistri Soto, libro primo summularum capitulo secundo.

DISPVTATIO tertia de signo formali.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm diffinitio signi formalis sit bona?

1 SIgnum formale sic diffinitur à sapiētissimo Magistro Soto: *Est quod se ipso, & non mediante alio aliquid aliud à se repræsentat.* Hæc diffinitio est bona, & non aliter probatur, quam soluendo argumenta, quæ fiunt contra illam. Obijcies primo. Omnis notitia interior præsupponit notitiam exteriorem; quia omnis nostra cognitio ortum habet à sensibus; ergo male dicitur in diffinitione signi formalis, quod est notitia, quæ se ipsa, & non mediante alio repræsentat. Resp. negando antec. Nam notitia Angeli est notitia interior, & tamen nō præsupponit notitiam exteriorē. In homine autem, si notitia interior præsupponit notitiam exteriorem, hoc est accidentale notitiæ interiori, & ratione subiecti,

non

non autem essentiale, aliàs omni notitiæ interiori conueniret: vel secùdo dicatur, quòd licet requiratur ad signum formale alia notitia, qua mediante repræsentet, diffinitio tamen est bona; quia quando in illa dicitur: *Ex se, & non mediante alio*, debet intelligi per contradictionem, ad diffinitionem signi instrumentalis, id est non præexistente cognitione sui, vt contingit in signo instrumentali.

2 Obijcies secundo. In signo formali, vel per illud intellectus, aliud cognoscit; ergo præexistit cognitio sui, ac per consequens non ex se ipso repræsentat. Resp. intellectum eodem actu, quo cognoscit rem repræsentatam in signo formali cognoscere ipsum signum formale. Vndè non est necessariũ, quòd præexistat cognitio signi formalis, vt cognoscatur res, quam repræsentat, quia eodem actu, vtrumque cognoscitur. Obijcies tertio. Signum formale est, signum instrumentale; ergo male diffinitur per diffinitionem distinctam à diffinitione signi instrumentalis. Prob. antec. Signum instrumentale, ideò dicitur instrumentale, quia est medium; sed etiam signum formale est medium; ergo signum formale, est signum instrumentale. Respondetur negando antec. Signum enim instrumẽtale dicitur instrumentum, non quia est mediũ quo modocumque; sed quia est mediũ extrinsecum, per cuius præexistẽtem cognitionem cognoscitur signatum. Signum autem formale, cum tantum sit mediũ intrinsecum, & ipsi potentiæ adhærens cuius præexistens cognitio nõ requiritur ad cognitionem signati, ideo non dicitur instrumentum.

QVÆSTIO II.

Vtrùm signum formale sit verè, & propriè signum?

1 REsolutoriè est dicẽdum signum formale esse verè, & propriè signum. Hæc conclusio videtur expressa in Diu. Thom. q. 4. de verit. art. 1. ad 7. illis verbis: *Ratio signi proprius dicitur de verbo mentis, quàm de verbo vocali.* Deinde probatur primo nostra conclusio ratione. Si signũ formale non esset propriè signũ, sequeretur, quòd in mente non esset propriè terminus mentalis. Consequens est falsum; ergo, & antec. sequela prob. Signum est genus ad terminum, vel saltim aliquid essentialiter præsuppositum; ergo si in mente nõ est propriè signum, nec in illa erit propriè terminus. Secundò prob. Medio conceptu, quem ego habeo Gabrielis, potest Michael in cognitionem illius venire; ergo conceptus meus potest esse signum. Denique probatur conclusio. Natura alicuius rei prout in conceptu deficit ab ipsa prout est à parte rei, & aliàs conceptus repræsentat naturam, cuius est conceptus;

tus; ergo conceptus, seu signum formale est propriè signum. Min. prob. Natura prout in conceptu habet modum intentionalem, & prout est à parte rei, habet modū connaturalem, sed modus intentionalis deficit à modo connaturali; ergo natura prout in conceptu deficit ab ipsa secundum quod est à parte rei.

2 Confirmatur contra obijcies 1. signum debet deficere à signato; sed signum formale non deficit à suo signato; ergo signū formale non est propriè signum. Licet signum formale deficere à signato; quia natura prout est in conceptu habet modum deficientem à modo, quē habet natura à parte rei, sed contra replicabis, quod modus naturæ prout est in cōceptu, deficiat à modo naturæ existētis à parte rei, non infert naturam prout in cōceptu deficere à se ipsa quatenus est à parte rei; ergo solutio est nulla. Prob. ant. quòd modus, quē habet natura in conceptu sit distinctus à modo, quem habet à parte rei, non infert naturam existentē in conceptu distingui à se ipsa, vt est à parte rei; ergo pariter, quòd modus naturæ in cōceptu deficiat à modo naturæ à parte rei non infert, quod natura in cōceptu deficiat ab ipsa, vt à parte rei. Conf. Modus naturæ in conceptu est modus spiritualis, & modus naturæ à parte rei existentis est corporeus, & materialis; sed modus spiritualis perfectior est modo materiali; ergo modus naturæ in cōceptu non deficit à modo naturę existentis à parte rei. Resp. solutionem datam esse legitimam, & ad replicam, neg. antecēd. Natura enim, vt in conceptu reduplicatiuè, & vt habet modū immaterialē distinguitur à se ipsa, vt est à parte rei, & vt habet modum materialem. Vndè sicut damus deficientiā ita admittimus distinctionem. Ad conf. conced. mai. & distinguo min. Absolutè, & à toto genere entis conced. min. respectiuè, & comparationem facta in ordine ad naturam, nego min. & conseq. Etenim modus immaterialis, licet absolutè consideratus sit à toto genere entis perfectior modo materiali, non tamen est perfectior respectiuè ad naturam, quia respectiuè ad naturā est modus præternaturalis; modus autē materialis respectiuè ad naturam est illi naturalis. Cū autem respectiuè ad naturam illud sit perfectius, quòd est illi naturale, hinc prouenit, quòd modus immaterialis respectiuè ad naturam sit imperfectior modo materiali, à quo deficit in cōnaturalitate in ordine ad naturā. Exemplum est in cognitione per conuersionē ad phantasmata, quæ absolutè est imperfectior cognitione per cōuersionem ad prima intelligibilia. & tamen respectiuè ad animam rationalem perfectior est, cuā cognitio per conuersionem ad prima intelligibilia, vt docet D. Thom. 1. p. q. 85. art. 2.

2 Obijcies secundo. Signo formale

mali nō conuenit diffinitio; signi ergo signū formale non est propriè signū. Probat. antecedens. Signum est quod aliquid aliud a se repræsentat, sed signum formale non repræsentat aliquid aliud à se: ergo signo formali non conuenit diffinitio signi. Minor probatur. Signum formale est conceptus; sed conceptus non est aliud à re concepta, quam repræsentat; ergo signum formale non repræsentat aliud à se. Min. probatur. Ly *aliud* dicit diuersitatem in essentia; sed conceptus habet eandem essentiam, ac habet res repræsentata à parte rei; ergo cōceptus non est aliud à re, quam repræsentat. Confirm. Inter signū, & signatum debet esse realis distinctio; sed inter conceptum, & rem conceptam non est realis distinctio: ergo cōceptus non est signum rei conceptæ. Min. probat. Ex concepta, & re concepta fit magis vnum, quàm ex materia, & forma; sed ex materia, & forma fit vnum per compositionē; ergo ex conceptu, & re cōcepta fit vnū per identitatē; ac per consequens conceptus non distinguitur realiter à re concepta, sed est idem cū illa. Resp. neg. antec. Illa enim particula, *aliud* posita in diffinitione signi, non denotat semper distinctionem specificam inter signū, & signatum; sed distinctionem in natura, vel in modo habendi illā. Exemplum est in diffinitione causæ physicæ, & in qua ponitur particula *aliud*; eo quod dicitur, causa physica est id ex quo aliud sequitur; & tamen inter causam physicam, & eius effectum multoties non inuenitur distinctio specifica, vt patet in vno homine, qui est causa physica alterius hominis, ergo similiter philosophandum est de diffinitione signi. Nec ex hoc sequitur, quòd filius sit signū sui patris, quia licet filius habeat eādem naturam, hac habet pater cū distincto modo, ille tamē modus non deficit a modo, quo pater habet eandem naturā. Nec filius est ordinatus à natura, vt patrē repræsentet sicut cōceptus est à natura, vt repræsentet rem conceptam, vel secundo dicatur, quòd licet conceptus, & res concepta nō distinguantur specificè in esse intelligibili, & repræsentatiuo, tamen est entis specificè distinguntur; quia conceptus est accidens, & formalis repræsentatio expressiua, & qualitas intentionalis, res autē repræsentata multoties est substantia, & si aliquando est accidens, non est accidens intentionale, quod sit formalis expressio repræsentatiua. Per quòd patet ad confirm. solutio. Denique replicabis contra istam solutionem, signum in eo genere, in quo est signū debet distingui à signato, sed cōceptus est signū rei cōceptæ in genere repræsentatiuo, & intelligibili; ergo in isto genere debet distingui realiter, à re concepta: ac per consequens, si conceptus in esse repræsentatiuo, & intelligibili non distinguitur à re concepta, nō

erit

erit propriè signũ illius. Resp. solutionem datam esse legitimam, & ad replicam dicatur, quòd conceptus, & res concepta, quamuis sint idẽ in esse repræsentatiuo ex parte rei, tamẽ ex parte modi habendi rem adhuc in esse repræsentatiuo distinguntur, licet hæc diuersitas non oriatur ab aliquo existente formaliter in genere intelligibili, & repræsẽtatiuo, eo quod prouenit à modo spirituale, & à modo materiali, & naturali, qui non est formaliter in genere repræsentatiuo, vndè conceptus, & res concepta adhuc in esse repræsentatiuo realiter, distingũtur distinctione proueniente à modis, quæ distinctio exercetur in genere repræsentatiuo, quãuis proueniat ab aliquo non existente formaliter in genere repręsentatiuo; sicut species impressa in genere repręsentatiuo exercet inhęrentiam, licet inhærentia nõ proueniat ab illa, quatenus est formaliter in genere repræsentatiuo; quia secundum conceptũ formalem speciei impressæ non petit inhærentiam, vt patet in substantia Angeli, quę potest esse species impressa, vt Angelus se ipsum cognoscat, sed inhærẽtia prouenit ab specie impressa, quatenus accidẽs est, secundum quam rationẽ non est formaliter in genere repræsentatiuo; similiter enim philosofandum est de diuersitate cõceptus à re cõcepta in esse repræsentatiuo proueniente à modis, quorũ vnus non est formaliter in genere repræsentatiuo. Si autem inquiras, quæ diuersitas est illa, quã habet conceptus à re cõcepta in esse repræsentatiuo; brebiter respẽdeo, quòd est dist. min. distinctione numerica. Quia cõceptus habet eãdem numero naturam, ac habet res concepta; qua propter illa distinctio nõ poterit esse numerica. Cęterum est distinctio realis minor distinctione numerica, proueniens ex diuersitate modorum, sicut distinctio, quæ inuenitur inter diuinas personas est distinctio realis minor distinctione numerica, proueniens à diuersis relationibus, vnde licet cõceptus, & res concepta sint idem numericè in esse repræsentatiuo, poterũt in tali genere distingui distinctione reali min. distinctione numerica, & quod hæc distinctio proueniẽs à diuersis modis sit sufficiens ad hoc, quòd conceptus sit signũ rei conceptæ. Prob. ex D. Tho. in 4. sentent. dist. 8. q. 2. art. 2. quæstiũcula 2. ad 3. vbi docet, quòd sanguis Christi Dñi existens in vino consecrato est signum sanguinis Christi Dñi existentis in cęlo, quia licet sit idẽ numero sanguis, tamen sanguis Sacramentalis habet distinctum modum, ac habet sanguis existens in corpore Christi existentis in cęlo. Obijcies tertio. Conceptus entis rationis nõ potest esse signum illius, ergo cõceptus non potest esse signum rei conceptæ. Prob. antec. conceptus entis rationis non potest esse imperfectior entis rationis, ab illo-

que deficere; ergo conceptus entis rationis non potest esse signum illius. Probatur antecedens. Conceptus entis rationis est ens reale; sed ens reale non potest esse imperfectius ente rationis, nec ab illo deficere; ergo conceptus entis rationis non potest esse imperfectior, nec deficere ab ente rationis. Respondetur negando antecedens. Ad probationem distinguo antecedens. Non potest esse imperfectior ente rationis absolutè, & à toto genere entis, concedo antecedens. In esse intelligibili, & representativo, nego antecedens, & consequentiam. Etenim licet conceptus entis rationis in esse entis sit perfectior illo, tamen in esse intelligibili, & representativo est illo imperfectior, quia in isto genere ab illo specificatur, & mensuratur, ad illudque repræsentandum à natura est institutus, & cum omne medium ordinatum ad alterius deferendum sit imperfectius illo in genere in quo est medium. Hinc provenit, quòd conceptus entis rationis in genere representativo sit imperfectior ipso ente rationis, ad quod repræsentandum est medium à natura institutum.

4 Objicies quarto. Conceptus comprehensivus albedinis, quo Angelus albedinem comprehendit non potest deficere ab albedine; ergo nec esse signum illius. Probatur antecedens. Conceptus comprehensivus albedinis repræsentat illam in quantum repræsentabilis est; ergo non potest ab ista deficere. Resp. distinguendo antecedens. Non potest deficere absolutè, & in esse entis, concedo antecedens. In esse cognoscibilis, & representativo, nego antecedens, & consequentiam. Licet enim prædictus conceptus Angelicus in esse entis nõ deficiat ab albedine, in esse tamen cognoscibilis, deficit ab illa, vel quia est medium ordinatum ad illam repræsentandam, à qua mensuratur, & specificatur, vel quia albedo in tali conceptu habet modum præternaturalem.

5 Vltimo objicies. Natura prout in conceptu non est imperfectior se ipsa prout est à parte rei, ergo conceptus nõ potest esse signum naturæ existentis à parte rei. Consequentia constat, quia signum debet esse imperfectius signato. Antecedens verò probatur. Ideo natura prout in conceptu imperfectior esset se ipsa, vt est à parte rei, quia in conceptu habet modum non connaturalem, & à parte rei naturalem: sed hæc ratio est nulla; ergo natura prout in conceptu non est imperfectior se ipsa, vt est à parte rei. Minor probatur. Natura humana vnita Verbo diuino existens per existentiã diuinam illi inconnaturalem nõ est imperfectior se ipsa, si existeret à parte rei per suam connaturalem existentiam: ergo pariter ex eo quod natura prout in conceptu habeat modum intentionalem, sibi inconnaturalem, nõ infertur imperfectiõ esse, se ipsa exi-

existente à parte rei, & habente modum materialem, & naturalem. Respondetur negando antecedens in sensu iam explicato. Et ad paritatem reddimus disparitatem, quæ consistit in hoc, quòd existentia diuina, vtpote infinita, & continens eminenter omnem rationem subsistentiæ, & existentiæ propriæ humanitatis, præstat humanitati, quidquid ei præstaret propria subsistentia, & existentia, & consequēter faciat omnem eius appetitum, & inclinationem ad propriam subsistentiam, & existētiam. Qua propter non imperficitur natura humana per hoc, quòd vnita verbo diuino non habeat propriam, & connaturalem existentiam. At verò modus intentionalis, quem habet natura in conceptu non est infinitus, nec continet eminenter omnem rationem modi materialis, & naturalis, quem habet natura à parte rei. Vnde non est eadē ratio. Videantur, quæ diximus libro secundo philosophiæ, quæstione quarta, numero decimo. Insuper ex dictis desumitur alia ratio discriminis, quæ consistit in hoc, quòd existentia Verbi diuini non constituit humanitatem sibi vnitam, vt medium ordinatum ad se ipsam existentem à parte rei. At verò modus intentionalis naturæ, vt est in conceptu constituit illam, vt medium ordinatum ad repræsentandam se ipsam existentem à parte rei: quia totus cōceptus ordinatur, vt medium ad repræsentandam naturā quæ existit à parte rei, & ad hoc munus, & vt deseruiat intellectioni est destinatus à natura conceptus.

QVÆSTIO III.

Vtrùm species impressa sit signum obiecti, quòd repræsentat?

1 REsolutoriè dicendum est speciem impressam esse signum sui obiecti. Haec conclusio est conformis ad dicta in quæstione antecedenti; & probatur primo. Species impressa est imago obiecti multo similior illi, quàm imago exterior; ergo sicut imago exterior est signum, etiam species impressa signum erit. Secundo probatur. Species impressa potest habere rationem principij cognitionis signati, & simul rationem medij *in quo*, respectu eiusdem cognitionis signati; ergo poterit habere rationem signi formalis. Cosequentia constat. Antecedens verò dupliciter probatur. Species impressa potest habere rationem principij, & obiecti, quòd est extremum cognitionis; ergo poterit similiter simul obtinere rationem principij & medij *in quo*. Consequentia patet. Cū maior sit distinctio inter extrema inter se, quàm a medio, antec. prob. Quando intellectus cognoscit ipsam speciem impressam, vt vnitam intellectui per modum speciei, per ipsam speciē impressam, tunc species impressa habet rationem principij, &

obiecti, quòd est extremum cognitionis; ergo species impressa potest obtinere rationem principij, & obiecti, quò est extremum cognitionis. Secundo probatur principale antecedens. Substantia Angeli vnita per modum speciei intellectui Angelico in ordine ad cognitionem sui simul exercet rationem principij illius cognitionis, & medij per quod, tanquam per signum instrumentale Angelus Deum cognoscit; ergo pariter quælibet species impressa exercere valebit, & munus principij, & munus medij *in quo* respectu eiusdem cognitionis, & cõsequenter poterit esse signum formale, non solum in cognitione reflexa, verum etiam in cognitione directa.

2 Contra istam conclusionem obijcies primo. Medium *in quo* est id, in quo intellectus contemplatur obiectum; sed in specie impressa intellectus non contemplatur obiectum; ergo species impressa non est medium, *in quo*, & consequenter, nec signum formale. Consequentia constat. Maior est certa. Minor verò probatur; sufficit enim verbum, vt intellectus in illo contempletur obiectum; ergo nõ requiritur ad hoc species impressa; ac perconsequens in specie impressa intellectus non contemplatur obiectum confirmatur. Medium, in quo inquo intellectus contemplatur obiectum, specificat potentiam, & principium cognitionis ad illud, vt ad mensuram comparatur, sed nihil potest se ipsum specificare, seu mensurare: ergo nec simul exercere rationem principij, & medij. Respondetur conced. maior. & negando minorem. Ad probationem distinguo anteced. sufficit verbum, vt in illo intellectus contempletur obiectum, tanquam in specie impressa tribuente vltimam actualitatem in linea repræsentabilitatis passiuæ, concedo antec. vt omnibus modis in illo contẽpletur obiectum; nego antec. & distinguo conseq. Non requiritur species impressa, vt in illa contẽpletur intellectus obiectũ eo modo, quo illud contẽplatur in verbo, conced. conseq. vt contempletur in illa obiectum, tanquam in specie implicite repræsentatiua, & tribuente proximam repræsentabilitatem; nego consequentiam. Sicut enim ex parte principij requiritur radix intellectualitatis, & principium proximum, & vltima actualitas, quæ omnia ex parte principij exercentur, primum, vt tribuens posse radicale, secundum proximum, tertiũ, vt tribuens vltimam actualitatem. Ita ex parte obiecti exercetur radicalis intellectualitas obiecti, & proxima proueniẽs ab specie impressa, & vltima proueniẽs ab specie expressa. Et sicut species non habebit posse proximum completum, nisi determinetur per speciẽ impressam, ita obiectum non obtinebit proximam repræsentabilitatẽ, nisi media specie impressa, se

se tenente ex parte illius, & sicut principium radicale non actuabitur vltima actualitate, nisi interueniente potentia proxima. Ita radicalis obiecti intellectualitas non potest coniungi cum vltima actualitate passiua proueniente à verbo, nisi interueniat species impressa, vt tribuens proximam repræsentabilitatem. Quo circa species impressa suo modo est medium, in quo intellectus contemplatur obiectū. Ad confirmationem distinguo maiorem, & principium cognitionis per modum virtutis, & principij concurrentis ad illud, vt ad mensuram comparatur transeat maior. Principiū cognitionis ingrediens per modum determinātis, subdistinguo maiorem. Quando à medio distinguitur, concedo mai. quando non distinguitur, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam, sicut enim obiectum indistinctum à potentia, non est necessarium, quòd illam specificet, sed sufficit, quòd specificet actum, ita principium cognitionis non est necessarium, quòd specificetur à medio, quando ab illo nō distinguitur, sed sufficit, quòd specificetur ab obiecto, & specificet potentiam. Cum autem species impressa, & sit principium cognitionis signati, & sit mediū, *in quo*; hinc prouenit, quòd species impressa non specificetur à medio, sed ab obiecto specificando potentiam.

3 Obijcies secundo. De ratione signi est mediare inter potentiam complete potentem, intelligere obiectum, & obiectum; sed species impressa non sic mediat; ergo non est signum. Minor probatur, species impressa complet potentiam intellectiuam ad intelligendum obiectum; ergo non mediat inter potentiam complete potentem obiectum intelligere, & ipsum obiectum. Confirmatur primo. De ratione signi est ducere potentiam in cognitionem signati per modum medij cognoscibilis; sed species impressa non est medium cognoscibile; ergo species non est signum. Minor probatur, species impressa se tenet ex parte principij; ergo non est medium cognoscibile. Confirmatur secundo. Signum debet repræsentare signatum potentiæ; sed species impressa non repræsentat signatum potentiæ; ergo species impressa, non est signum. Minor probatur. Exercitium speciei impressæ anteuertit omnem actum intelligendi; sed repræsentatio non antecedit actum intelligendi; cum debeat fieri potentiæ, vt cognoscenti; ergo species impressa non repræsentat signatum potentiæ. Pro solutione huius argumenti notandum erit obiectum potentiæ passiuæ, qualis est noster intellectus, comparari ad illam, non solum, vt terminatiuum, verum etiam, vt motiuum, primum illi conuenit quatenus cognitionem terminat, secun-

dum quatenus ex parte principij se tenens illud ad talem, vel talem cognitionem determinat. Ex quo prouenit, quòd obiectum indigeat duplici substituto gerente vices illius, vnum, quod gerat vices illius, vt terminatiui, & hoc est signum instrumẽtale, seu formale, quòd est species expressa, per quam obiectum repræsentatur potentiæ, vt eius actum terminet. Aliud verò substitutum, est vt eius vices gerat sub ratione motiui, seu determinatiui, quia se ipso non valet immediatè potẽtiam determinare, & hoc est species impressa. Cum autem ratio signi, sit ratio substitutiua signati, si substitutiuum illius, vt est terminatiuum, obtinet rationem signi, cur etiam substitutiuum, illius vt motiuum, ex determinatiuum est illam non obtinebit. Quo supposito ad argumentum respondetur, distinguendo maiorem. De ratione signi vices gerentis signati, vt est terminatiuum, est mediare inter potentiam complete potentem intelligere, & ipsum obiectum. Concedo maiorem: de ratione signi vices gerentis signati, vt est motiuum, & terminatiuum, nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens. Non est species impressa signum primi generis, concedo consequentiam; secundi generis, nego consequentiam, & ratio huius differentiæ est; quia obiectum habet rationem motiui, quatenus se tenens ex parte principij specificat cognitionem per modum determinantis principium cognoscitiuum, ac proinde signum hoc modo petit supponere principium cognoscitiuum indeterminatũ, & incompletum; vndè signum, quòd est medium gerens vices obiecti, quatenus determinatiui, & motiui, & si petat mediare inter potentiam nudam, & obiectũ, non tamen inter potentiam completam complete determinatã, & obiectum postulabit mediare. Signum autem gerens vices obiecti, vt terminatiuum est oppositum de causa oppositum petit, nimirum supponere principium completum, & inter principium completum, & obiectum mediare. Ad primam confirmationem, distinguo maiorem. Per modum medij cognoscibilis, siuè motiui, siuè determinatiui, concedo maiorem: determinatiui solum, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris; nego consequentiam. Sicut enim obiectum intelligibile intra lineam obiecti intelligibilis habet non solum rationem obiecti terminatiui, sed etiam motiui, ita non solum medium terminans, sed etiam medium mouens, quale est species impressa, habebit rationem medij intelligibilis. Vel secundo dicatur, quòd licet species impressa non sit medium, *in quo*, est tamen medium *quo*, vt docet Diuus Thomas in 4. sententiarum, dist. 49. quæst. 2. artic.

1.

1. ad 15. argumentum. Ad vltimam confirmationem dicatur, quòd licèt signum gerens vices signati, vt terminatiuum est, debeat repræsentare potentia, vt cognoscenti; quia ad hoc repræsentat obiectum potentiæ, vt terminet eius actum, signum verò gerens vices signati, vt motiuũ, & determinatiuum est, non debet repræsentare signatum potentiæ, vt cognoscenti, sed potentiæ secundum se, quia repræsentat obiectum potentiæ, vt illam determinet ad cognitionem.

4 Obijcies vltimò. Si species impressa esset signum formale daretur significare effectiuè: Consequens est contra dicta: ergo & antecedens. Sequela probatur. Species impressa, vt determinat potentiam, & exercet munus principij efficientis cognitionem est signum. sed secundùm istam rationem efficit; ergo si species impressa est signum daretur significare effectiuè. Resp negando sequelam. Species enim impressa nõ est signum, quatenus gerit vices obiecti, vt motiuũ est emissiuè, in qua ratione importatur efficiẽtia, sed est signum quatenus gerit vices obiecti, vt motiuũ est determinatiue, secundùm quam rationem nulla importatur efficientia. Quæ solutio constat ex dictis disputatione secunda quæstione vltima. Vel secundò dicatur efficientiam speciei impressa non esse propriam efficientiam, quia precisse habet determinare potentiam, nõ autem elicere actum; vocatur tamen concursus eius effectiuus, quia determinatio principij efficienter concurrentis. Quando autem supra negauimus dari significare effectiue, debet intelligi de efficientia propria, & rigorosa, & elicitiua.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm actus intelligendi sit signum formale, & eadem cognitione cognoscatur res, & signum formale?

1 REsolutoriè dico primò. Actus intelligendi non est signum formale. Hæc conclusio probatur ratione insinuata in nostra parua dialectica, lib. 1. cap. 1. §. 2. Nam signum formale debet esse formaliter imago naturalis, & similitudo naturalis signati: sed actus intelligendi non est formaliter similitudo naturalis rei cognitæ; ergo actus intelligendi non est signum formale. Maior patet. Eatenus, namque imago instrumentalis, & corporea est signum sui prototypi, quatenus est similitudo naturalis sui prototypi; ergo signum formale, quòd est imago formalis debet esse naturalis similitudo signati. Minor verò probatur. Actus intelligendi solum præsuppositiuè, & causaliter est naturalis similitudo rei cognitæ; ergo actus intelligendi non est formaliter similitudo naturalis rei cognitæ. Prob. antecedens.

Actus

Actus intelligendi solùm est similitudo naturalis rei cognitæ, quatenus supponit speciem impressam, & causat expressam, quæ sunt formaliter naturales similitudines rei cognitæ; ergo actus intelligendi non est formaliter naturalis similitudo rei cognitæ; ac per consequens, nec signum formale. Confirmatur hæc ratio. Actus enim intelligendi non est destinatus à natura, vt repræsentet obiectum, sed vt illud intelligendo attingat; ergo actus intelligendi non repræsentat obiectum; ac per consequens non est signum formale. Confirm. secundo. Actus intelligendi est effectiuus propria efficientia; ergo si actus intelligendi esset signum formale; daretur significare effectiuè. Conseq. est contra dicta; ergo, & antec. Secundò probatur conclusio. Actus intelligendi nõ dicit ordinem transcendentalem ad obiectum; teste D. Thoma 1. 2. q. 1. art. 3. Vbi dicit quòd actio, vt actio non specificatur à fine, sed à principio. In hoc enim actio immanens à transeunte distingui tur, quòd transiens est propter terminum, tanquam propter finem; secus verò immanens: sed signum debet dicere ordinem transcendentalem ad signatum; ergo si actus intelligendi non dicit ordinem transcendentalem ad obiectum non est signum formale illius. Confir. primò. Actus intelligendi perficitur ab intellectu, & ab illo dependet: sed signum non dependet à potentia, nec ab illa perficitur; sed potiùs è contra; ergo actus intelligendi non est signum formale. Confir. secundò. Actus intelligendi non ducit potentiam in cognitionem obiecti; ergo non est signum illius. Probat. antec. Eatenus actus intelligendi cognoscitur, quatenus intellectus cognoscens obiectum, cognoscit se cognoscere illud; sed prius est cognoscere obiectum, quàm cognoscere se cognoscere illud; ergo actus intellectus non ducit potentiam in cognitionem obiecti.

2 Dico secundò. Imago potest accipi dupliciter. Vno modo vt res quædã est, vel si fuerit interna, vt qualitas quædam est. Alio modo, vt est repræsentatiua, & actualiter ducit in cognitionem signati; si imago, vel conceptus primò modo summatur cognitio illius, non est eadem cum cognitione imaginati. Hæc conclusio vnica ratione probatur. Nam cognitio imaginis isto modo sumptæ sistit in illa, & nullomodo transit ad cognoscendum imaginatum: ergo cognitio imaginis hoc modo sumptæ non est eadem cognitio cum cognitione imaginati.

3 Dico tertiò, cognitio imaginis secundò modo sumptæ est eadem cognitio cum cognitione sui signati, & est vnica cognitio. Hæc conclusio probatur primò ratione. Impossibile est, quòd aliquid in aliquo cognoscatur, nisi cog-

cognoscatur etiã in illud in quo cognoscitur; ergo cognitio imaginis, vt repræsentantis actualiter est eadem cognitio cum cognitione imaginati. Secũdò prob. conclusio. Quia lux est ratio videndi colorem eadem visione videtur color, & lux; ergò si signũ formale est ratio cognoscendi signati, eadem cognitione vtrũque debet cognosci. Confirmatur. Eodem actu adorationis adoramus imaginem Christi propter Christum, & ipsum Christum: ergo eadem cognitione cognoscimus imaginem propter imaginatum, & ipsum imaginatum.

4 Contra primam conclusionem obijcies. Species impressa est signum formale; ergo etiã actus intellectus erit signum formale. Prob. conseq. Sicut species impressa est medium, *quo* repræsentans signatum, ita actus intellectus est medium, *quo* per modum actus repræsentans obiectũ; ergo si species impressa est signũ formale: etiam actus intellectus, signum formale erit. Prob. anteced. Actus intelligendi est id quo intellectus contemplatur obiectum per modum actus secundi; ergo est medium, *quo* per modũ actus secundi. Patet conseq. Quia nihil aliud est medium, *quo*, quam id medio, quo intellectus attingit obiectum. Confir. Cognito actu intellectus, cognoscitur etiã eius obiectum; ergo actus intellectus est signum formale sui obiecti. Respond. conc. antec & negando conseq. Ratio disparitatis cõstat ex dictis. Nam species impressa est formaliter similitudo naturalis, saltim in actu primo sui obiecti, destinataque à natura ad illud repræsentandũ, secus verò actus intelligendi. Vndè non est eadem ratio. Insuper est alia ratio discriminis. Nam species impressa est medium, *quo* per modum alicuius ordinati ad assequutionem finis, qui est cognitio obiecti, actus verò intelligendi solum est mediũ, *quo* per modum formalis assequutionis in linea intelligibili, & ideo non est signum. Ad confirm. disting. antec. ratione connexionis. Conced. antec. ratione repræsentationis, & ordinationis, nego antec. & conseq. Si enim intellectus cognito suo actu cognoscit obiectum; hoc non provenit, quia actus intellectus sit similitudo, & repræsentatio naturalis ordinata ad obiectum repræsentandum, sed quia connectitur cum suo obiecto. Qua propter non est signum formale, nisi dicas, quòd filius est signum patris, quia ratione connexionis cognitio filio, etiam cognoscitur pater.

5 Contra secundam, & tertiam conclusionem obijcies primò. Nam vel intellectus fertur in cognitionem imaginis, & imaginati vno motu simpliciter, vel vno secundùm quid; si vno secundùm quid, non habemus intentum; quia vnitas secundùm quid non facit vnitatem cognitionis,

&

& vno simpliciter est falsum; ergo non vnica cognitione cognoscitur imago, & imaginatum. Minor quoad secundam partem probatur. Motus specificatur à termino; sed sunt duo termini distincti, scilicèt imago, & imaginatum: ergo non est vnus motus simpliciter, & consequenter, nec vna cognitio. Resp. quòd vno motu simpliciter cognoscit intellectus imaginem, & imaginatū. Nec obstat probatio facta. Quia imago, & imaginatum non sunt plures termini totales, sed se habent, vt vnicus terminus totalis vnicam cognitionem vtriusque terminans. Secundò obijcies. Licèt medium appetatur propter finem, non sequitur, quòd appetitio medij sit appetitio finis; ergo pariter ex eo quòd signum cognoscatur propter signatum, non infertur, quòd eadem sit cognitio signi, & signati. Resp. argum. conuincere, quòd cognitio imaginis exterioris, & materialis in mente non est eadem cognitio, cum cognitione rei repræsentatæ, licèt sit propter rem repræsentatam; cognitio autem imaginis interioris, & immaterialis est eadem cum cognitione rei repræsentatæ, quia cognoscitur imago, interior, & immaterialis, quatenus habet in se rem repræsentatam, & res repræsentata, quatenus continetur in illa. Et hæc dicta sufficiant de ista disputatione applicando litteræ sapientissimi Magistri Soto libro primo capitulo secundo.

DISPVTATIO quarta de signo instrumentali, & naturali.

QVÆSTIO I.

Vtrùm diffinitio signi instrumentalis sit bona?

1 SIgnum instrumẽtale, sic diffinitur à sapientissimo Magistro Soto. Est quòd præexistente sui cognitione aliquid aliud à se repræsentat. Pro cuius diffinitionis intelligentia aduertendum erit signum instrumentale dupliciter posse considerari, scilicèt vt res quædam est, vel vt signum est; & isto secundo modo, etiam potest dupliciter considerari, vel in actu signato, vel in actu exercito. In actu signato est, quando intellectus iudicat, & cognoscit de illo, quòd est signum. In actu autem exercito est quando actualiter nos ducit in cognitionem signati. Quo supposito dico primò. Ad rationem signi instrumentalis impertinens est, quòd eius cognitio, vt res quædam est præcedat. Hæc conclusio probatur. Benè potest aliquis ignorare essentiam, & naturam imaginis, & tamen per hoc, quòd eius significationem sciat per illam potest in cognitionem signati deuenire;

nire; ergo non requiritur præexistens cognitio signi instrumentalis in quantum res quædam est.

2 Dico secundo. Illa particula *præexistente cognitione sui* debet intelligi de cognitione signi in quantum signum est in actu signato, & non solum in actu exercito. Prima pars conclusionis probatur. Nam requiritur præexistens cognitio, signi instrumentalis, non in quantum res est, vt patet ex prima conclusione; ergo in quantum signum est. Secunda pars conclusionis probatur. Ad hoc, quòd per signum instrumentale cognoscamus aliquam rem, requiritur, vt prius cognoscamus, quòd illius rei est signum; ergo requiritur præexistens cognitio signi instrumentalis in actu signato. Antecedens experientia constat. Licet enim aliquis multoties audiat hanc vocem, *homo* nisi sciat impositionem eius, nullo modo per illam veniet in cognitionem hominis; ergo requiritur præexistens cognitio signi instrumentalis in actu signato. Tertia denique pars conclusionis probatur. Signum instrumentale in actu exercito, est prout actualiter nos ducit in cognitionem signati: sed hoc modo eadem cognitione cognoscitur, qua suum signatum; siquidem idem est motus in imaginem, & imaginatum: ergo cognitio signi instrumentalis in ista consideratione non debet præexistere.

3 Contra istam conclusionem obijcies primo. Signum, instrumentale, & signatum sunt correlatiua; ergo debent simul cognosci; ac per consequens non præexistente cognitione sui. Respondetur. Signum instrumentale, & signatum non esse formaliter relatiua prædicamentalia, vt diximus supra disputatione secunda, quæstione quinta, corollario primo. Obijcies secundo. Idem est motus in imaginem, & in rem imaginatam; ergo eadem cognitione cognoscitur signum instrumentale, & suum signatum, ac per consequens signum instrumentale non significat præexistente cognitione sui. Respondetur, quòd hæc maxima debet intelligi de imagine in actu exercito. Cognitio autem præexistens signi instrumentalis non est illius in actu exercito, sed in actu signato, vt patet ex secunda parte conclusionis.

4 Obijcies tertio. Eadem specie, qua cognosco imaginem cognosco eius imaginatum; ergo eadem notitia, & cognitione, qua cognosco imaginem, cognosco etiam eius imaginatum. Patet consequentia. Cognitio enim specificatur à suo principio: sed est idem principium, scilicet eadem species impressa; ergo est eadem notitia, & cognitio. Respondetur ex Diuo Tho-

Thoma q. 8. de veritate artic. 5. quod visio signo per speciem signi determinatus intellectus elicit speciem altioris ordinis, quæ immediatè repræsentat signatum, per quam cognoscitur signatum. Vndè non cognoscitur eadem specie, qua cognoscitur signum. Vel secundo dicatur, quòd licèt eadem sit species impressa signi instrumentalis, & signati, cognitiones tamen illorum possunt esse distinctæ; quia id in principium potest principiare distinctas operationes; vt patet in specie impressa entis rationis, quæ est eadem cum specie impressa entis realis, & tamē illorum cognitiones sunt distinctæ.

QVÆSTIO II.

Vtrùm diffinitio signi naturalis sit bona?

1. SIgnum naturale sic diffinitur à sapientissimo Magistro Soto: *Est quod ex natura rei aliquid repræsentat.* Resolutoriè dicendum est hanc diffinitionem esse bonam. Quòd probabitur ex solutione argumentorum. Contra illam obijcies primò. Omni signo conuenit significare ex natura sua, ergo diffinitio est mala. Probatur antecedens. Quidquid significat ex diffinitione significat ex natura sua; omne signū significat ex diffinitione; ergo ex sua natura. Patet consequentia. Quia diffinitio cuiuscumque rei est eius natura. Respondetur, quòd licèt diffinitio cuiuscumque signi sit aliquid significare, non autem omne signum significat quauis impositione secluſa, sed solum signum naturale. Vndè significare ex natura sua, idest quauis impositione secluſa solum conuenit signo naturali, & in hoc sensu intelligitur eius diffinitio. Obijcies secundò. Imago est signum naturale, & tamen dependet in sua significatione ex beneplacito pingentis; ergo diffinitio signi naturalis est mala. Dices, quòd immediatè dependet ex beneplacito pictoris, tamen semel depicta non potest amittere suam significationem. Sed contra. Etiam terminus quamuis immediatè dependeat ex voluntate imposítoris, tamen manente eodem termino non potest non significare; ergo in hoc nulla est differentia. Resp. Quòd quamuis depictio imaginis dependeat ex voluntate pingentis, tamen posquam est depicta, non est in sua potestate, quòd hunc, vel illum prototypum repræsentet, sed necessariò debet repræsentare illū, cum quo secundùm lineamenta, & colores, & figuram habet conuenientiam. Quòd quidem non contigit in voce. Posquam enim, hæc vox homo est imposita ad significandum hominem potest deponi ad libitum imponentis, & imponi ad significandum equum, vel aliud cum quo nullam habet similitudinem. Obijcies tertiò. Signum naturale est relatiuum; ergo debet diffiniri per suum terminum: sed non diffinitur hoc mo-

modo; ergo diffinitio est mala. Resp. quod hæc diffinitio virtualiter datur per suum terminum. In illa enim particula *significat*, virtualiter aliquod significatum includitur. Vnde diffinitur virtualiter per suum terminum. Obijcies vltimo. Imago D. Thomæ est signum naturale: & tamen non idem, apud omnes repræsentat; ergo malè explicatur à sapientissimo Magistro Soto hæc diffinitio. Min. probat. Quia nihil apud barbaros repræsentat. Dices, quod ex parte sui idem, apud omnes repræsentad. Sed contra. Etiam hæc vox homo ex parte sui idem apud omnes repræsentat; ergo solutio est nulla. Prob. antec. Græco ideò non repræsentat, quia nescit eius significationem; ergo illa ex parte sua idem apud omnes repræsentat. Dices differentiam esse, quòd imago repræsentat idem, apud omnes in potentia proxima, itavt sine sui mutatione possit, apud omnes in actu idem repræsentare. Sed contra. Si Græco dicatur impositio huius vocis homo, sine aliqua mutatione ipsius illi repræsentabit; ergo nulla est differentia. Resp. solutionem datam esse legitimam. Et ad vltimam replicam dicatur. Quòd tunc Græcus non cognoscit huius vocis significationem, nec illi repræsentat in quantum Latinus, sed in quantum Græcus quia eadem res Græco sermone dicitur explicata; vndè iam significat Græco media impositione. Signum autem naturale, quamis impositione seclusa significatiuum apud omnes.

QVÆSTIO III.

Vtrum signum ex consuetudine sit signum naturale?

1 REsolutoriè dico primò. Signum ex consuetudine est verè, & propriè signum. Hæc conclusio probat. Signum ex consuetudine verè, & propriè repræsentat aliquid aliud à se; ergo est verè, & propriè signum. Consequentia constat ex diffinitione signi. Antec. verò experientia cõstat. Nam canis dominum præcedens illum nobis repræsentat venientem; ergo signum ex consuetudine significat aliquid aliud à se. Dico secundo. Signum ex consuetudine reducitur ad signum naturale. Hæc conclusio probatur. Consuetudo est altera natura; ergo signum significans ex consuetudine, est quasi significans ex natura sua, ac per consequens signũ ex consuetudine reducitur ad signum naturale. Ex dictis sequitur, quod signum ex consuetudine nõ est simpliciter signum ad placitum, nec signum naturale. Prima pars huius collorarij patet. Nam signum ex consuetudine non significat media impositione; quia nap (vt ait sapientissimus Magister Soto) numquam fuerunt impositæ ad significandum prandium; ergo signum ex consuetudine non est simpliciter signum ad placitum. Secunda pars, etiam con-

constat. Nã signũ ex consuetudine non significat, idem apud omnes; ergo non est simpliciter signum naturale, sed solum reductiuè, quòd explico duobus exemplis. Primum est in embrione, qui licèt sint viuens simpliciter, tamen non est tale, vel tale viuens simpliciter, sed tantum reductiuè. Secundum est in iure gentiũ, quòd verè, & propriè est ius simpliciter: & tamẽ simpliciter, nec est ius naturale, nec positiuum, sed tantum reducitur ad ius naturale.

2 Contra istam conclusionẽ obijcies, signum ex consuetudine, est verè, & propriè signum; ergo debet contineri sub aliqua specie signi; non sub signo ad placitum; ergo sub signo naturali. Antecedens patet, & prima consequetia etiã est nota. Quia quidquid continetur sub aliquo superiori, debet contineri sub aliqua illius specie. Secunda consequetiã est nota. Quia argumentamur à disiunctiua, cum negatione vnius membri ad positionem alterius. Resp. conced. antec. & negando consequentiam, licèt enim quando diuisum est propriè genus, requiratur quòd inferiora determinatè contineantur sub aliquo ex membris diuidentibus. Quando autem non est propriè genus, vt contigit in diuisione signi in naturale, & ad placitum, sufficit quòd inferiora, vel determinatè, vel reductiuè sub aliquo ex membris diuidentibus contineantur.

DISPVTATIO quinta de signo ad placitum.

QVÆSTIO I.

Vtrùm voces significent ad placitum?

1 PRo intelligentia huius difficultatis aduertendum est duplicem significationẽ posse reperiri in voce. Vna est, qua prolatorem suum, vel eius affectum significat, sub qua consideratione vox extenditur ad mugitus bobis, & ad alias voces brutorum. Secunda significatio est, qua vox conceptus exprimit, & rem significat, Quo supposito dico primo. Significatio vocis primo modo sumpta est significatio naturalis. Hæc conclusio probatur. Vox non significat suum prolatorem media impositione; ergo illum significauit naturali significatione. Sicut effectus causæ efficientis illam naturaliter significat. Dico secundo. Significatio, qua vox conceptus, & res per illos repræsentatas significat, non est naturalis, sed ad placitum. Probatur hæc conclusio. Hæc vox *homo* significat conceptum, quem hominis ego habeo. Et ipsum hominẽ media impositione; itavt ad illud significandum posset modo imponi, & à sua significatione de-

po-

poni; ergo omnis significatio vocis, qua conceptus, & rem repræsentat, dependet ex beneplacito impositoris, ac per consequens est significatio ad placitum.

2 Contra istam conclusionē obijcies primò. Voces sub ministratæ sunt nobis à natura, vt loco rerum illis vtamur; ergo non significant ad placitum, sed naturaliter. Confirmatur. Significatio nō potest auferri à voce; ergo naturaliter illi conuenit, probatur antecedens. Quòd est de diffinitione alicuius rei non potest tolli ab illa; sed significatio est de diffinitione vocis; ergo non potest ab illa auferri. Minor probatur ex Aristotele, secundò de anima, sic definiente vocem: *Vox est repercussio aëris respirati ab anima, ad vocalem arteriam cum imagine significandi*; ergo significatio est de diffinitione vocis. Respōd. quòd licèt voces à natura sint nobis datæ ad significandum, ad libitum tamen possumus illas imponere, vel nō imponere, vt ait Diuus Augustinus lib. 1. de doctrina Christiana, illis verbis: *Voces inter homines obtinuerunt principium significandi.* Ad confirmationem dicatur. Verùm esse, quòd imaginatio significandi est de ratione vocis, non tamen ipsa significatio. Obijcies secundò. In impositione vocis attenditur natura; ergo vox significat naturaliter. Respondetur, quòd licèt in impositione vocis aliquando attendatur natura, hoc est multum per accidens. Quia dato, etiàm aliqua vox imponatur, sine attentione naturæ verè significauit. Vnde quòd attendatur natura non probat vocem significare naturaliter. Quādo quidem suppositā attentione naturę adhuc impositio est necessaria.

QVÆSTIO II.

Vtrùm voces repræsentent res, & exprimant conceptus?

1 REsolutoriè dico primò. Voces significant res, & exprimunt conceptus. Hæc conclusio, quoad primam partem patet experientia, & quoad secundam probatur. Homo est animal sociabile, & politicum; ergo alijs hominibus debet suos conceptus exprimere: sed hoc non facit, nisi per voces; ergo voces illos exprimunt. Exprimere autem conceptum *est declarare conceptum loquentis, & mouere audientem, vt alium conceptum similem illi, qui est in loquente formet.* Dico secundo. Scripturæ nullo modo significant voces. Hæc conclusio probatur. Eodem modo loquimur absentibus per scripturas, sicut præsentibus per voces: sed voces tantum repræsentant res, & exprimunt conceptus; ergo scripturæ tantum repræsentant res, & non voces.

2 Dico tertiò. Voces principalius significant conceptus, quā res; probatur hæc conclusio.

Voces significant res propter conceptus; ergo principalius significant ipsos conceptus. Patet consequētia. Quia propter quòd vnum quodque tale, & illud magis. Dico vltimo significare rem, & exprimere conceptum est vnica, & eadem ratio, in qua ista duo inseparabiliter coniunguntur. Probatur haec conclusio. Eadem significatione vox significat rē, & conceptum; ergo significare rem, & exprimere conceptum est vnica ratio, in qua ista duo inseparabiliter coniunguntur.

3 Contra primam conclusionem obijcies. Voces eodem modo se habent ad conceptus, sicut scripturæ ad voces, sed scripturæ non significant voces; ergo nec voces conceptus. Respondetur negando maiorem. Voces enim comparantur ad conceptus, tanquam ad id, ad quod repræsentandum sunt impositæ. At verò scripturæ comparantur ad voces non itāquam ad id, ad quod repræsentandum sunt datæ: sed tantùm ad id in cuius absentia substituunt cum ordine ad conceptus exprimendos, & res significandas.

4 Contra tertiam conclusionem obijcies primo. Voces datæ sunt, vt illis loco rerum vtamur; ergo principalius significant res. Antecedens probatur ex Aristotele primo Elenchorum capite primo illis verbis: *Quia res nobis cum ad lucere non possumus ad scholas, vtimur nominibus pro rebus.* Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam. Vtimur enim vocibus pro rebus propter nostros conceptus exprimendos. Vndè voces principalius significant conceptus, & minus principaliter res.

5 Obijcies secundò. In principalius significat vox, quòd est finis significationis vocis: sed res, & non conceptus est finis significationis vocis; ergo res est, quæ principalius significatur à voce. Maior patet. Finis enim principalior est medio ad ipsum ordinato. Minor verò probatur. Conceptus ordinatur vltimatè ad significandam ipsam rem, cuius est similitudo naturalis; ergo res, & non conceptus est finis significationis vocis. Patet consequentia. Nam vox est instrumentum ordinatum ad conceptum significandum; ergo si ipse conceptus ordinatur ad rem tanquam ad finem, etiam ipsa vox ordinabitur ad rem significandam, tanquam ad suum vltimum finem. Confirmatur hoc argumentum. Voces non significant conceptus; ergo non possunt illos principalius significare. Probatur antecedens. Si voces significarent conceptus, pro illis supponerent: sed voces non supponunt pro conceptibus; ergo non significant conceptus. Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem. Licèt enim conceptus ordinetur ad significandam rem, cuius est natu-

turalis similitudo, tamen quia conuersatio humana, qua mediis vocibus fit, ordinatur ad hominum cõceptus exprimendos, ideò finis significationis vocis non est res, sed conceptus. Quo circa voces principalius significant conceptus, & minus principalius res. Insuper est alia ratio. Nam instrumentum principalius respicit agens, à quo mouetur, quàm effectum procedentem à principali agente: cum igitur vox sit instrumentum conceptus, à quo mouetur ad significandum hinc prouenit, quòd principalius significet conceptum. Ad confirmationem dicatur, quòd vox non est signum suppositiuum, pro conceptu, sed solùm manifestatiuum conceptus, & ideò quamuis significet conceptus, non supponit pro illis.

QVÆSTIO III.

Vtrùm voces sint signa, quando actualiter non considerantur ab intellectu?

1 REsolutoriè dicẽdum est voces esse signa, etiam si actualis consideratio intellectus non existat. Hæc conclusio probatur. Postquam terminus est impositus ad significandum, si non deponatur à significatione, semper remanet cùm illa; ergo etiam si non sit actualis consideratio intellectus est signum. Probatur antecedens significatio termini dependet ex voluntate imponentis: sed dum modo impositor impositionem non reuocet, censetur habere eadem voluntatem; ergo virtualiter manet eadem voluntas, & eadem significatio ab illa dependens. Quando quidem manentibus eisdem causis manet idem effectus. Confirmatur. Verba in diffinitione non dicunt actum, sed aptitudinem: sed voces quando non existit actualis consideratio intellectus habent aptitudinem ad significandum; ergo sunt absoluta signa.

2 Contra istam conclusionem obijcies primò. Forma vocum significatiuarum est ens rationis: sed quando actualiter non considerantur ab intellectu, non existit secunda intentio rationis; ergo non sunt signa. Confirmatur. Iste terminus *homo* in libro clausus non est signum: & non nisi defectu actualis considerationis intellectus; ergo voces non sunt signa non existente consideratione intellectus. Maior probatur. Talis terminus nulli potentiæ repræsentat; ergo non est signum. Si quidem non conuenit illi diffinitio signi. Respondetur cõcedendo maiorem, & distinguendo minorem. Non existit formaliter concedo minorem: Fundamentaliter nego minorem, & consequentiam. Etenim non existente actuali consideratione intellectus, licèt non existat formaliter secunda intentio rationis,

existit tamen fundamentaliter: quòd sufficit, vt vox absolutè dicatur. Quia ens rationis propter paruam entitatem, quam habet ad hoc, quòd absolutè dicatur esse sufficit, quòd sit eius fundamentum. Ad confirmationem dicatur cum sapientissimo Magistro Soto, quod ad hoc, quòd vox in libro clausa sit signum absolutè, sufficit, quòd habeat aptitudinem proximã vt repræsentet: quia verba in diffinitione non dicunt actum, sed aptitudinem.

3 Sed replicabis. Si hæc vox *homo* in libro clausa actu est signum, actu significat: consequens est falsum; ergo, & antecedens. Sequela patet. Quia argumentamur à diffinito ad diffinitionem, cum eodem addito. Respondetur, quòd quando dicitur in diffinitione signi, quòd signum *repræsentat, vel significat*, debet intelligi, quòd est repræsentatiuum, vel significatiuum. Quo supposito distinguo sequelam; sequitur quòd actu significet, si ly *significet* sumatur in actu primo pro significatiuo concedo sequelam: si sumatur in actu secundo pro significante, nego sequelam. Quia tunc non argumentamur à diffinitione ad diffinitum, & hæc de ista disputatione dicta sufficiant applicando litteræ sapientissimi Magistri Soto, vbi supra.

(§)

DISPVTATIO sexta de diuisionibus signi, & obiecti.

QVÆSTIO I.

Vtrùm diuisio signi in naturale, & ad placitum sit vniuoca?

1 COgnita iam essentia signi naturalis, & ad placitum, inquirimus modo, an diuisio signi in naturale, & ad placitum sit vniuoca. In qua parte resolutoriè dico primo. Diuisio signi in naturale, & ad placitum est vniuoca. Hæc cõclusio probatur. Signum ad placitum simpliciter participat rationem signi; ergo prædicta diuisio est vniuoca. Antec. prob. signo ad placitum simpliciter conuenit durere potentiã in cognitionem signati; ergo simpliciter participat rationem signi secundo probatur conclusio. Quãuis ens reale, & ens rationis analogicè tantum conueniant in ratione entis, vniuocè tamen cõueniunt in ratione scibilis; ergo pariter, licèt signum naturale, & ad placitum analogicè tantùm conueniant in ratione entis; poterunt tamen vniuocè conuenire in ratione signi. Antecedens communiter docetur à logicis, & consequentia probatur. Ideò ens reale, & ens rationis cum ana-

analoga conuenientia in ratione entis habent conuenientiam vniuocam in ratione scibilis; quia scibilitas sequitur ad entitatem non absolutè, & vt dicit ordinem ad existentiam: sed vt connexam cum suis passionibus, in quo omnino conueniunt ens reale, & ens rationis: sed etiam ratio signi sequitur ad entitatem, non absolutè, sed vt connexam cum signato, in qua ratione omnino conueniunt signum naturale, & signum ad placitum; ergo cum analoga conuenientia in ratione entis possint vniuocam conuenientiã habere in ratione signi. Minor probatur. Ita connectitur signum ad placitum cum suo signato, sicut signum naturale; ergo in hoc omnino conueniunt. Confirmatur. Substantia, & accidens analogantur in ratione entis: & tamen in ratione scibilis, & signi naturalis vniuocè conueniunt; ergo pariter, licèt signum naturale, & ad placitum analogentur in ratione entis, poterunt in ratione signi vniuocè conuenire.

2 Dico secundò. Prædicta diuisio est essentialis. Probatur hæc conclusio. Membra huius diuisionis diuidunt signum per essentialia signi; ergo prædicta diuisio est essentialis. Antecedens probatur. Membra huius diuisionis diuidunt signum penes repræsentare naturaliter, & ad placitum: sed essentia signi consistit in aliud repræsentare; ergo membra huius diuisionis diuidunt signum per essentialia signi; ac per consequens hæc diuisio est essentialis.

3 Dico tertiò. Prædicta diuisio est adæquata. Probatur hæc conclusio. Membra huius diuisionis adæquatè exhauriunt totam confusionem diuisi, & aliàs nulla ex conditionibus bonæ diuisionis deficit; ergo est adæquata prædicta diuisio.

4 Contra primam conclusionem obijcies prima. Ratio signi sequitur ad entitatem: sed entitas signi ad placitum deficit, & dependet ab entitate signi naturalis; ergo etiam signum ad placitum in ratione signi deficit, & dependet à signo naturali; ac per consequens prædicta diuisio est analoga. Minor probatur. Entitas signi ad placitum est entitas rationis, & entitas signi naturalis est entitas realis, sed entitas rationis deficit, & dependet ab entitate reali; ergo entitas signi ad placitum deficit, & dependet ab entitate signi naturalis. Respondetur distinguendo maiorem. Ratio signi sequitur ad entitatem absolutè, & prout dicit ordinem ad existentiam, nego maiorem; vt connexam cum signato concedo maiorem; & concessa minori, nego consequentiam, licèt enim ratio signi ad placitum sequatur ad entitatem illius, quia tamen non sequitur ad entitatem absolutè sumptam, & quatenus dicit ordinem ad existentiã, sed ad entitatẽ, vt connexam cum signato;

nato; in qua ratione signum ad placitum non deficit à signo naturali: si quidem ita connectitur cum signato, sicut signum naturale. Hinc prouenit, quòd licèt signum ad placitum in entitate dependeat, & deficiat à signo naturali, non tamen in ratione signi. Exemplum est in accidenti, quod dependet, & deficit in ratione entis à substantia, & tamen ab illa non deficit, nec dependet in ratione scibilis.

Obijcies secundò. Scibilitas creata deficit, & dependet à scibilitate increata: non ob aliam rationem, nisi quia entitas creata, ad quam sequitur, deficit, & dependet ab entitate increata; ergo si entitas signi ad placitum dependet, & deficit ab entitate signi naturalis, etiam ratio signi ad placitum sequuta ad illius entitatem deficiet, & dependebit à ratione signi naturalis; ac per consequens prædicta diuisio analogæ erit. Totus discursus est legitimus. Confirmatur argumentum. Licèt relatio prædicamentalis non sit entitas absoluta, sed connexa cum suo termino, & ad illum ordinata, quia tamen ens, vt sic analogicè diuiditur in ens reale, & ens rationis, etiam ipsa relatio vt sic analogicè diuiditur in relationem realem, & rationis; ergo pariter licèt ratio signi non sit entitas absoluta, sed vt connexa cum signato, quia tamen ratio entis analogicè diuiditur in ens reale, & ens rationis, etiam ratio signi analogicè diuidetur in signum naturale, & ad placitum patet consequentia. Quia signum ad placitum est ens rationis, & signum naturale est ens reale. Confirmatur secundo. Quia entitas entis rationis deficit, & dependet ab entitate entis realis, etiam cognoscibilitas absoluta entis rationis deficit, & dependet à cognoscibilitate absoluta entis realis; ergo pariter, quia entitas signi ad placitum deficit, & dependet ab entitate signi naturalis, etiam ratio signi ad placitum deficiet, & dependebit à ratione signi naturalis.

5 Respondetur concedendo maiorem, & distinguendo minorem. Non ob aliam rationem materialem concedendo minorem: formalem nego minorem & cõsequentiam. Cognoscibilitas, & scibilitas increata identificantur, cum entitate Diuina. Vndè illud, quòd dependet, & deficit ab entitate Diuina, deficit, & dependet à Diuina cognoscibilitate; eo quod cognoscibilitas, & scibilitas Diuina nõ possunt præscindi à ratione actus puri; & cũ entitas creata dependeat, & deficiat ab entitate Diuina; etiam scibilitas creata, quæ nõ est actus purus deficiet, & dependebit à scibilitate Diuina. Vel secundo respondetur negando maiorem, de qua plura disp. 4. quæst. 4. Ad primam confirmationem respondetur distinguendo maiorem. Relatio est entitas connexa cum suo ter-

termino connexione extra lineã entis, nego maiorem: connexione intra lineam entis in mente concedo maiorem. Et concessa minori, nego consequentiam. Et enim connexio relationis, cum suo termino non est formaliter extra lineam entis. Eo quòd relatio formaliter sumpta est vnum, ex decem prædicamentis diuidentibus rationem entis, & cum relatio rationis dependeat in entitate à relatione realí. Hinc proenit, quòd etiam in ratione relationis dependeat à relatione realí. At vero connexio signi cum signato est connexio formaliter extra lineam entis. Qua propter licèt signum ad placitum in entitate efficiat, & dependeat ab entitate signi naturalis, poterit in ratione signi, & connexionis cum suo signato ab illo non dependere. Vndè non est eadem ratio.

6 Ad secundam confirmationem dicatur, quòd cognoscibilitas absoluta entis rationis dependet à cognoscibilitate absoluta entis realis. Eo quòd cognoscibilitas absoluta entis rationis non est extra lineam entis, sed solum dicit entitatem cum actualitate: & cum entitas entis rationis dependeat ab entitate entis realis; hinc proenit, quòd cognoscibilitas absoluta entis rationis dependeat à cognoscibilitate absoluta entis realis. Vel secundò dicatur, quòd licèt cognoscibilitas absoluta entis rationis sit extra lineã entis, eo quòd desumitur non per ordinem ad existentiam, sed penes conformitatem cum intellectu: nihilominus tamen cognoscibilitas absoluta entis rationis est secundum quid talis, & deficit à cognoscibilitate absoluta entis realis. Cuius ratio est, quia cognoscibilitas absoluta entis rationis desumitur ab eius entitate nude sumpta, quæ entitas dependet ab entitate entis realis: ac proinde, etiam cognoscibilitas absoluta dependet. Insuper est alia ratio. Nã cognoscibilitas absoluta sumitur per conformitatem, & conuenientiam cum intellectu, quæ conformitas desumitur ab actualitate, & cum ens reale habeat maiorem conformitatem cum intellectu, quàm ens rationis: hinc prouenit, quòd cognoscibilitas absoluta entis rationis deficiat, & dependeat à cognoscibilitate absoluta entis realis. At verò ratio signi ad placitum desumitur ab eius entitate, vt connexa cum signato, in qua connexione entitas signi ad placitum nõ deficit, nec dependet ab entitate signi naturalis; vt dictum est.

7 Obiicies tertiò signum naturale, & signum ad placitum solũ analogicè conueninnt in ratione entis; ergo pariter solum analogicè conuenient in ratione signi. Probatur consequentia. Ideo in ratione entis solum analogicè conueniunt in ratione enti, quia signum ad placitum in ratione entis dependet à signo naturali; sed etiam in ratione signi depen-

det à signo naturali; ergo etiam in ratione signi analogantur. Minor probatur. Signum ad placitum formaliter in quantum signum habet aliquod esse, non à se; ergo ab intellectu confingente illud ad similitudinem signi naturalis; ac per consequens in ratione signi dependet à signo naturali, tanquam ab exemplari.

8 Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam. Signum enim ad placitum formaliter in quantum signum à nullo causatur, quia cum fieri ordinetur ad esse, omnis causalitas formaliter sistit in illo, cui formaliter competit esse, quòd est ens sub ratione entis; non verò sub ratione signi, sub qua ratione sicut formaliter nō est ens, ita formaliter non habet esse, sed solùm pro materiali; vndè signum ad placitum solùm pro materiali causatur, & fit, non verò pro formali. Ex quo solùm sequitur. Signum ad placitum dependere in ratione entis à signo naturali, non tamen in ratione signi, secundùm quam rationem non confingitur ad similitudinem significationis signi naturalis, sed confictæ entitate signi ad placitum, ad similitudinem entitatis signi naturalis, sequitur in entitate signi ad placitum. Ratio signi absque vlla dependentia à signo naturali in ratione signi: sicut vnus homo producit primario alium hominem, & secundario risibilitatem, & tamen risibilitas hominis producti non dependet à risibilitate hominis producentis, sed à forma, quæ est principium productiuum hominis, & à forma substantiali hominis producti à qua dimanat; similiter ergo, licèt entitas, & significatio signi ad placitum dependeat ab entitate signi naturalis, non tamen dependebit à significatione signi naturalis.

6 Obijcies quarto. Signum ad placitum constituitur potens terminare actum potentiæ, cognoscit per speciem impressam entis realis, quòd est signum naturale; ergo signum ad placitum in ratione obiecti cognoscibilis dependet à signo naturali: ac per consequens in ratione signi à signo naturali dependet. Probatur antecedens. Ens rationis constituitur potens terminare actum potentiæ cognoscitiuæ per speciem impressam entis realis: sed signum ad placitum est ens rationis; ergo constituitur potens terminare actum potentiæ cognoscitiuæ per speciem impressam signi naturalis. Respondetur negando antecedens; etenim licèt ens rationis per speciem impressam entis realis cognoscatur, ex hoc non sequitur, quòd dependeat ab illo formaliter in quātum est cognoscibile, sed solū in quātū est emissiuū speciei, quòd est aliquid ad rationē obiecti intelligi-

gibilis, & signi præsuppositum, vt supra dictum est, vel secundo dicatur, signum ad placitum non constitui potens terminare actũ potẽtiæ intellectiuæ per speciem impressam signi naturalis, in quã tum signum, sed per speciem impressam sui fundamenti, vt constat in ratione signi reperta in voce, quæ nõ per speciem impressam hominis, vel alterius signi naturalis, sed per speciem impressam vocis modificatam significatione cognoscitur. Vel vlterius admittatur antec. & neget. conseq. Ex quo solum sequitur signũ ad placitum dependere à signo naturali, vt cognoscibili simplici cognitione per modum obiecti, non tamen dependere ab illo, vt cognoscibili per modum medij ductiui in cognitionem alterius. Sicut scibilitas entis rationis dependet à cognoscibilitate simplici entis realis, non tamen ab eius scibilitate.

10 Obijcies. Signum ad placitum cõstituitur per extrinsecam denominationem; ergo non potest vniuocè conuenire in ratione signi, cum signo naturali. Probat. antec. Signa imposita à Deo in veteri lege solum constituebãtur in ratione signi ad placitum per denominationem extrinsecã; ergo signum ad placitum solũ constituitur per denominationẽ extrinsecam. Probat. antecedens. Prædicta signa solum fuerunt imposita à Deo; sed Deus non potest causare in illis aliquem respectum rationis. Siquidem Deus nulla facit entia rationis; ergo prædicta signa fuerunt solum constituta per aliquam extrinsecam denominationem. Respondetur negando antecedens. Instituens enim signa solum ponit fundamentum, vt intellectus impositionem concipiẽs admodum formæ intrinsicæ confingat ens rationis constituens signum ad placitum formaliter. Vndè signa veteris legis per impositionem diuinam constituebantur signa ad placitum fundamentaliter, & per respectum rationis confictum ab intellectu hominum reddebantur signa formaliter. Obijcies vltimo contra vltimam conclusionem, membra huius diuisionis non exauriunt totam confusionẽ diuisi; ergo diuisio non est adæquata; probatur antecedens. Signum ex consuetudine continetur sub diuiso, nimirum sub signo instrumentali; & tamen non continetur sub aliquo ex membris dividentibus; ergo membra diuidentia, non exauriunt totam confusionem diuisi. Minor. probat. Signum ex consuetudine, nec est signum naturale, nec ad placitum; ergo signum ex consuetudine non continetur sub aliquo ex membris diuidentibus. Respondetur negando antecedens. Ad probationem concessa maiori distinguo minorem: non continetur directè, concedo minorem, reductiuè, nego minorem, & consequentiam. Signum enim

ex

ex consuetudine reductiuè continetur sub signo naturali. Vt dixi disp. 4 quæst. vltim. quòd sufficit ad hoc, quòd hæc diuisio sit bona, & adæquata, sicut ad hoc, quòd diuisio entis in decem prædicamenta sit bona, & adæquata, sufficit, quòd omne, quòd continetur sub diuiso directè, vel reductiuè, contineatur sub aliquo prædicamento, sicut differentiæ substantiales, quæ continẽtur sub diuiso tantũ reductiuè continentur sub prædicamento substantiæ.

QVÆSTIO II.

Vtrùm diuisio obiecti sit bona?

1 OBiectum diuiditur in obiectum motiuum tãtum, vt imago mouens ad cognitionem Imperatoris, & in obiectum terminatiuum tantum, vt Imperator tantum terminãs sui cognitionem. Et in obiectum motiuum, & terminatiuum simul, vt paries mouens ad sui cognitionẽ, & illam terminans. Quo supposito, dico primo. Hæc diuisio est bona. Prob. Nulla ex conditionibus bonæ diuisionis illi deficit; ergo est bona. Dico secundo. Hæc diuisio est accidentalis. Prob. Hęc conclusio, hæc diuisio non datur per proprias differentias essentiales obiecti; ergo non est essentialis. Prob. antec. Propria differentia obiecti est sic, vel sic terminare; sed non datur per hoc; ergo non datur per proprias differentias obiecto essentiales. Mai. probat. ex D. Thom. 1. 2. q. 18. art. 2. ad 2. vbi asserit, quòd ratio obiecti est esse materiam, circa quam aliquid fit; ergo ratio obiecti est terminare. Confirm. Hæc diuiso datur per mouere, sed mouere est aliquid accidentale obiecto, ergo datur per differentias accidentales; ac per consequens prædicta diuisio est accidentalis. Min. prob. ex nostro Cajet. 1. p. q. 27. art. 1. ad 4. Vbi asserit, quòd obiectum, vt obiectum non dicit causam, vel principium actus; sed terminum actus.

2 Contra primam conclusionẽ obijcies primo. Si aliquod esset obiectum motiuum tantum, maximè hæc vox *homo*; sed ista non; ergo non datur obiectum motiuum tantum. Min. probat. Hæc vox *homo* mouet potentiam ad formandam notitiam sui per species potentię emissas; ergo nõ est obiectum motiuum tantum. Antec. prob. species huius vocis solum sunt naturalis similitudo illius, & nõ hominis; ergo solum per illas formatus conceptus nõ vltimatus huius vocis. Respondetur conced. mai. & neg. min. Itaque hæc vox *homo* dupliciter potest considerari, vel respectu conceptus non vltimati sui, vel quatenus ducit audientem in cognitionem rei significatæ. Sub prima consideratione est obiectum motiuum, & terminatiuũ simul, sub secunda verò consideratione est obiectum motiuum tantum;

quia

quia non sistit cognitio in illa.

3 Obijcies secundo. Hæc vox *homo* est obiectum intellectus, secundum quod exprimit conceptum mentis proferentis, & tamē non est obiectum ex assignatis; ergo prædicta diuisio est mala. Min. prob. Nam non est terminatiuum tantum; nec motiuum, & terminatiuum simul; quia mouet potentiam, ad formandā notitiam alterius, scilicet conceptus. Nec motiuum tantum, quia mouet potentiam ad cognoscendum conceptum, & non temere ergo non continetur sub aliquo membro huius diuisionis. Resp. conced. maior. & neg. min. continetur enim, sub obiecto motiuo tātum ad cuius rationem sufficit, quod moueat potentiam ad formandam notitiam, non sui, sed alterius, siuè rei, siuè conceptus.

4 Obicies tertio. Conceptus est obiectum intellectus nō solum *quo*, sed etiam *quod*. Vt docet D. Tho. 1. cont. gent. cap. 53. Et tamen non cōtinetur sub aliquo membro huius diuisionis; ergo diuisio est mala. Min. prob. si sub aliquo contineretur, maximè sub obiecto terminatiuo tantum; sed sub hoc non continetur; quia nō est res, nec cognoscitur per aliam notitiam. Resp. admittendo maior. & neg. min. Continetur enim sub obiecto terminatiuo tantum. Quia cum sit idem saltim in esse intelligibili cum re, quam significat, sicut ipsa res est obiectum terminatiuum tantum ita, & ipse cōceptus.

5 Cont. secundam conclus. obijcies primo ex D. Thom. 1. p. q. 77. art. 3. vbi ait *Quod obiectum comparatur ad actum potentiæ passiuæ, sicut principium, & eam mouens. Ad actum autem potentiæ actiuæ comparatur, vt terminus, & finis.* Ergo secundum D. Thom. ratio obiecti non consistit in terminare tantum, sed abstrahit à terminare, & mouere. Resp. D. Tho. in præsicto loco non sumpsisse obiectum rigorosè sumptum, sed lato modo acceptum. In rigore enim solum sumitur secundum, quod est terminus, vel finis. Obijcies secundo. Saltim ratio obiecti terminatiui tantum est essentia obiecti; ergo hæc diuisio est essentialis. Resp. quod licet in obiecto terminatiuo tantum ponatur essentia obiecti, tamen non ponitur in illo tanquam essentia, sed tanquam contradictorium alterius membri, à quo diuiditur. Vnde in obiecto terminatiuo tantū, vt est membrum huius diuisionis inuenitur essentia obiecti tantum per accidens.

QVÆSTIO III.

Vtrùm diffinitiones obiectorum sint rectè traditæ?

1 POstquam sapientissimus Magister Soto triplex obiectum assignauit, sic obiecta diffinijt. Obiectum motiuum tātum, *est quod mouet potentiā ad formandam notitiam, non sui, sed alterius*

rius repræsentatiuam. Obiectũ terminatiuum tantum, *est res cognita per notitiam ab alio obiecto distincto productam.* Obiectum motiuum, & terminatiuum simul est, *quod mouet potentiam ad formandam notitiam sui ipsius repræsentatiuam.* Quibus positis, dico primo. Ratio obiecti motiui tantum non consistit in hoc, quod moueat ad formandam notitiam alterius, & nõ sui, sed præcisè immouere, ad quod accidentaliter, & consequutiuè se habet non terminare. Probat. hæc conclusio. Ratio obiecti motiui consistit tantum in ordine ad potentiam, & non in ordine ad signatum, sed talis ordo saluatur in hoc, quòd est mouere; ergo mouere est eius ratio formalis. Mai. prob. Signum, & obiectum motiuum tantũ essentialiter differunt, & non penes aliud, nisi quia ratio obiecti consistit in ordine ad potentiam, & ratio signi in ordine ad signatũ; ergo in obiecto motiuo tantum ordo ad potentiam est essentialis, & ordo ad signatum accidentalis. Dico secũdo. Diffinitiones prędictæ sunt retè assignatæ. Hæc conclusio patebit ex solutione argumentorum. Cõtra illam obijcies primo. Diffinitio obiecti motiui tantum conuenit signo instrumentali; ergo non est bõna. Prob. antec. Signum instrumentale est, quòd præexistente cognitione sui aliquid aliud facit in cognitionem venire; sed hæc diffinitio in re est eadem cum diffinitione obiecti motiui tantum; ergo illius diffinitio cõuenit signo instrumentali. Respond. neg. antec. Differẽtia enim inter diffinitionem obiecti motiui tantum, & signi instrumentalis est, quòd mouere in diffinitione obiecti motiui tantum se habet essentialiter, in diffinitione autem signi instrumentalis accidentaliter, & præsuppositiuè se tenet, vt supra diximus.

2 Obijcies secundo, & potest esse replica precedentis solutionis. Vltima differẽtia obiecti motiui tantum est eadem cum vltima differentia signi instrumentalis: ergo diffinitiones, etiã sunt ædẽ. Prob. antec. Vltima differentia, signi instrumẽtalis est, quòd aliud à se faciat in cognitionem venire; sed hoc est vltima differentia obiecti motiui tantum, per quam ab obiecto motiuo, & terminatiuo simul distinguitur; ergo vltima differentia signi instrumentalis est eadem cum vltima differẽtia obiecti motiui tantum. Resp. neg. antec. Ad prob. conc. maior. & nego min. Obiectum enim motiuum tantum distinguitur ab obiecto motiuo, & terminatiuo simul, per hoc, quòd obiectum motiuum tantum habet mouere non terminando. Obiectum autẽ motiuum, & terminatiuum simul habet mouere, & etiam terminare. Differẽtia enim inter istatia obiecta est, quòd motiuum tantum mouet excludendo terminare; terminatiuum verò, terminat excludendo mouere. Motiuum autem,

tem, & terminatiuum simul, mouet, & includit terminare. Et hæc dicta sufficiant de ista disputatione, applicando litteræ sapientissimi Magistri Soto, vbi præcedentes disputationes.

DISPVTATIO septima de notitijs.

QVÆSTIO I.

Vtrùm diuisio notitiæ in intuitiuam, & abstractiuam sit bona?

1 REsolutoriè dico primò. Hæc diuisio est bona. Hæc conclusio probatur. Nam illud, quòd cognoscitur, vel est præsens, vel absens, & non est dabile medium: sed omne præsens cognoscitur notitia intuitiua, & omne absens abstractiua; ergo prædicta diuisio est bona; si quidem datur virtualiter per contradictorias. Dico secundò. Prædicta diuisio est essentialis. Probatur hæc conclusio primò, absentia, & præsentia obiecti repræsentatur in ipsis notitijs, saltim in actu exercito; ergo prædictæ notitiæ essentialiter differunt. Probatur consequentia. Omnis modus repræsentatus in conceptu est sufficiens variare speciem; ergo si absentia, & præsentia repræsentantur exercitè in ipsis notitijs, notitiæ ipsæ essent aliter differūt. Probatur antecedens. Diuersus modus casus recti, & obliqui repræsentatus exercitè in conceptibus correspondentibus recto, & obliquo est sufficiens ad diuersificandos specie conceptus correspondentes recto, & obliquo; ergo pariter diuersus modus præsentialitatis, & absentiæ repræsentatus exercitè in notitia intuitiua, & abstractiua erit sufficiens ad diuersificandas specie ipsas notitias. Respondebis diuersum modum recti, & obliqui, non solùm exercitè in ipsorum conceptibus repræsentari, verùm etiam signatè. Vndè non est eadem ratio. Sed contra est; ergo etiam diuersus modus absentiæ, & præsentiæ repræsentabitur in notitia intuitiua, & abstractiua non solùm exercitè, sed etiam signatè. Probatur consequentia. Sicut modi absentiæ, & præsentiæ sunt accidentales obiecto: ita similiter modi recti, & obliqui sunt accidentales rei nominatæ; ergo si diuersus modus recti, & obliqui repræsentatur in ipsorum conceptibus, nō solùm exercitè, verùm etiam signatè. Ita similiter diuersus modus absentiæ, & præsentiæ repræsentatibus in notitia intuitiua, & abstractiua, non solū exercitè, verùm etiam signatum. Prob. antec. sicut antec. ad modū absentiæ, & præsentiæ saluatur essentia obiecti, quòd cognoscitur, ita antecedenter ad modum recti, & obliqui saluatur essentia rei, quæ nominatur; ergo sicut modi absentiæ, & præsentiæ sunt acci-

den-

dentales obiecto, ita similiter modi recti, & obliqui sunt accidentales rei nominatæ. Confirm. hæc ratio. Maior differentia est inter notitiam intuitiuam, & abstractiuam, quàm inter duas intuitiuas, vel duas abstractiuas: sed duæ intuiuæ, vel duæ abstractiuæ differunt solùm numero; ergo intuitiua, & abstractiua differunt specie, Prob. conseq. Inter differentiam numericam, & specificam non est dabile medium; ergo si intuitiua, & abstractiua differunt plusquam duæ intuitiuæ, vel abstractiuæ numericè differẽtes, debent specie differre.

2 Secundò probatur conclusio. Præsentia, & absentia taliter determinant obiectum notitiæ vt sic, quòd faciunt illud magis, vel minus cognoscibile; ergo differentiæ notitiæ intuitiuæ, & abstractiuæ differunt essentialiter. Patet conseq. Nam quia diuersæ abstractiones reddunt obiectum scibile, magis, vel minus cognoscibile, constituunt diuersas species scientias. Anteced. autem prob. Absentia reddit obiectum magis abstractum; ergo præsentia, & absentia reddunt obiectum magis, vel minus cognoscibile. Cõfirm. hæc ratio. Homo albus, & homo niger solùm accidentaliter differunt in esse rei, & tamen in esse obiecti differunt essentialiter, Quando quidem specificant cõceptus essentialiter distinctos; ergo pariter, etiam si obiectum absens, & præsens, in esse rei solùm accidentaliter differant, poterunt in esse obiecti essentialiter differre.

3 Contra primam conclusionem obijcies primò. Eadem notitia, & est intuitiua, & abstractiua; ergo prædicta diuisio non est bona. Prob. anteced. Notitia qua video imaginem est intuitiua imaginis, & abstractiua prototypi; ergo eadem notitia, & est intuitiua, & abstractiua. Cõfirm, aliqua datur notitia, quæ non est intuitiua, nec abstractiua; ergo diuisio est mala. Prob. antec. Notitia hominis in communi, nec est intuitiua, nec abstractiua; ergo aliqua datur notitia, quæ non est intuitiua, nec abstractiua. Respond. distinguendo anteced. eadem entitatiuè, & materialiter transeat anteced. eadem formaliter, nego anteced. & conseq. licèt enim notitia imaginis, & prototypi sit eadem entitatiuè, & materialiter, formaliter tamen est duplex notitia, quia datur duplex obiectum, & cum hæc diuisio sumatur ex parte obiecti, non inconuenit, quòd respectu diuersorum obiectorum, eadem entitatiuè notitia sit intuitiua, & abstractiua. Vndè prædicta notitia erit intuitiua imaginis, & abstractiua prototypi. Quòd sufficit ad hoc, quòd membra diuidentia distinguantur, & opponantur suis rationibus formalibus: & ad hoc, quòd diuisio sit bona, vt constat in diuisione, qua bonum diuiditur in vtile, & delectabile, in qua quandoque membra diuidentia coin-

concidunt entitatiuè non verò formaliter. Ad confirmationem dicatur notitiam hominis in cõmuni esse abstractiuam, vel quia est notitia rei vniuersalis, vel quia non est notitia rei præsentis.

4 Obijcies secundo. Notitia, qua cognosco animam, & eius potentias non est intuitiua, nec abstractiua; ergo prædicta diuisio est mala. Prob. anteced. Anima est spiritualis, & non potest cognosci à nobis, nisi per alienam speciem; ergo respectu nostri habet se tanquam si esset absens, & consequenter notitia illius non erit intuitiua. Quòd autem non sit abstractiua probatur. Per illam notitiam certificamur de obiecto; ergo non est abstractiua. Cõfirm. Notitia, qua me in speculo video, nec est intuitiua, nec abstractiua; ergo diuisio est mala. Antec. prima parte probatur. Non fertur in rem ipsam, sed in eius similitudinem; ergo non est intuitiua. Pro secunda autem parte probatur. Est notitia rei præsentis, & certificatiua illius; ergo non est abstractiua. Resp. notitiam, qua cognosco animam, & eius potentias esse abstractiuam. Nam licèt per illam certificemur de anima, & de eius potentijs, hoc non est propter notitiam, sed propter scientiam illi coniunctam. Vndè non nisi Philosophus, qui hanc scientiam habet, certificationem hanc habere potest. Ad confirm. dicatur notitiam, qua me in speculo video esse intuitiuam: quia est notitia rei præsentis. Sed de hoc iterum reddibit sermo.

5 Obijcies tertio. Notitia huius propositionis. *Petrus est lapis.* Petro præsenti, & lapide absenti, nec intuitiua, nec abstractiua est; ergo diuisio est mala. Dices istam notitiam esse complexam, vndè pro vna parte poterit esse intuitiua, & pro alia abstractiua. Sed cõtra. Probabilis est sententia. Propositionem esse simplicem qualitatem; ergo prædicta notitia est vnica simplex notitia. Confirm. Angeli habent notitiam intuitiuam rerum: & tamen non causatur talis notitia ab obiecto: quia non accipiunt ab illo species; ergo differentia, quam apponit sapientissimus Magister Soto inter abstractiuam, & intuitiuam, nimirum, quòd intuitiua causatur ab obiecto præsenti, & abstractiua ab speciebus obiecti absentis est nulla. Resp. solutionem datam esse legitimam. Ad replicam dicatur, quòd licèt propositio sit simplex qualitas, sicut virtualiter continet compositionem, scilicèt subiectum, & prædicatum, ita similiter virtualiter continet plures notitias. Ad confirm. dicatur illam differentiam assignatam à sapientissimo Magistro inter intuitiuam, & abstractiuam intelligi de nostris notitijs, de quibus ipse agebat, non verò de notitijs Angelorum.

6 Contra secundam conclusionem obijcies primò. Obiectum notitiæ intuitiuæ, & abstractiuæ,

10-

solùm differunt accidentaliter; ergo prædictæ notitiæ solùm differunt accidentaliter. Anteced. prob. Petrus præsens solùm accidentaliter differt à se ipso, vt absenti; ergo obiectum notitiæ intuitiuæ, & obiectum notitiæ abstractiuæ solũ accidentaliter differunt. Dices obiecta harum notitiarum differre accidentaliter in se entis, & essentialiter in esse obiecti. Sed contra. Ideò in esse entis prædicta obiecta solũ accidẽtaliter differũt, quia absentia, vel præsentia est accidens in esse entis: Sed etiã absentia, vel præsentia est accidens illorum in esse obiecti; ergo non solùm in esse entis differunt accidentaliter, verùm etiam in esse obiecti. Minor probatur. Obiectum nostri intellectus est quidditas rei materialis, vt stat sub abstractione à materia singulari: sed eadem quidditas est quidditas Petri præsentis, & absentis; ergo absentia, vel præsentia est accidens respectu obiectorum notitiæ intuitiuæ, & abstractiuæ, non solùm in esse entis, verùm etiam in esse obiecti. Respondetur solutionem dãtam esse legitimam. Et ad replicam concedo maiorem, & nego minorẽ. Absentia enim, & præsentia non sunt accidentia obiecti in esse obiecti. Quia per notitiam intuitiuam attingitur obiectũ, vt subest præsentiæ, & per abstractiuam attingitur obiectum, vt subest absentiæ. Obiectum enim, vt subest præsentiæ essentialiter distinguitur in esse obiecti à se ipso, vt subest absentiæ. Sicut Petrus, vt subest albedini essentialiter distinguitur in esse obiecti à se ipso, vt nigredini subest. Si iterum dicas, esse disparitatem, nam in conceptu Petri albi, & in conceptu Petri nigri, attingitur, & ingreditur albedo, & nigredo signatè. Præsentia verò, & absentia in notitia intuitiua, & abstractiua solùm ingrediuntur exercitè, & attinguntur exercitè. In contrarium est, albedo, & nigredo in conceptibus Petri albi, & negri ingreditur, & attingitur signatè; ergo etiam præsentia, & absentia in notitia intuitiua, & abstractiua ingrediuntur signatè. Patet consequentia. Sicut per conceptum Petri albi attingitur Petrus, vt subest albedini, & per cõceptum Petri nigri attingitur Petrus, vt subest nigredini, ita similiter per notitiam intuitiuam attingitur obiectum, vt subest præsentiæ, & per abstractiuam, vt subest absentiæ; ergo si in conceptibus Petri albi, & nigri ingreditur albedo, & attingitur signatè, ita similiter in notitia intuitiua, & abstractiua ingredietur præsentia, & absentia signatè. Vel si in conceptibus Petri albi, & nigri, albedo, & nigredo solùm exercitè ingrediuntur, & tamen distinguunt specificè conceptus: cur similiter nõ dicemus idem de absentia, & præsentia; nimirum quòd licèt exercitè ingrediantur in intuitiua, & abstractiua notitia, distinguent illas

las specificè, & essentialiter. Ad probationem minorem principalis argumenti, & replica; dicatur quod licèt præsentia, & absentia sint accidens respectu obiecti intellectus, nihilominus tamen non sunt accidens respectu obiecti notitiæ intuitiuæ, & abstractiuæ. Quia variant repræsentabili, & consequenter variant obiectum in ratione obiecti. Sicut albedo, & nigredo sunt accidens respectu obiecti intellectus, non tamen sunt accidens respectu obiecti cõceptus Petri albi, & Petri nigri. Eo quod variant repræsentabile; ac per consequens, & obiectum. Omnis autem distinctio in ratione obiecti, & repræsentabilis est essentialis Quia ita conceptus Petri albi essentialiter repræsentat ipsum vt album, quòd essentialiter illi repugnat repræsentare ipsum, vt nigrum; similiter autem discurrendum est de notitia intuitiua, & abstractiua, & de illorum obiectis.

7 Obijcies secundò. Scientia in intellectu non distinguitur essentialiter per hoc, quòd obiectũ sit præsens, vel non sit præsens; ergo pariter notitia. Confirm. 1. notitia intuitiua, & abstractiua procedunt ab eadem potentia intellectiua; ergo non differunt essentialiter. Patet consequentia. Actus enim eiusdem potentiæ nõ possunt essentialiter differre. Cõfirm. 2. Eadem notitia transit de abstractiua in intuitiuã; ergo non differunt essentialiter. Probat. antec. Si me habente notitiam abstractiuam Petri, ipse fieret mihi præsens eadem notitia, quæ erat antea abstractiua modò est intuitiua; ergo eadem notitia transit de abstractiua in intuitiuam. Confirm. 3. Visio, qua videtur Petrus sedens, & Petrus stans nõ differunt essentialiter; ergo pariter notitia intuitiua, & abstractiua non differunt essentialiter. Confirmatur vltimo. Conceptus Petri, & conceptus Pauli tantum differunt numero, & accidentaliter: & tamen in illis repræsentantur conditiones indiuiduãtes; ergo pariter notitia intuitiua, & abstractiua per præsentiam, & absentiam solùm distinguentur accidentaliter.

8 Respondetur concedendo antecedens, & negando conseq. Disparitas est, quia scientia cum sit de re abstracta, & vniuersali, ad illam impertinens, est existentia, vel non existentia obiecti. Notitiæ autẽ cum multoties sit de singularibus, benè potest præsentia, & absentia esse essentialis. Ad primam cõfirmationem dicatur, notitiam non specificari à potentia, sed ab obiecto. Quapropter licèt potentia intellectiua, à qua procedũt notitia intuitiua, & abstractiua sit eadẽ, quia tamen obiectum illarum est distinctum essentialiter, ipsæ notitiæ essentialiter differunt inter se, licèt non comparatione facta ad potentiam. Ad secundam dicatur, quòd tunc casus, quando Petrus

mihi fit præsens producitur alia notitia intuitiua distincta à notitia abstractiua, quam antea habebant. Ad tertiam dicatur visionem Petri sedentis, & stantis essentialiter distinctam. Quia Petrus sedens, & Petrus stans in ratione obiecti repræsentabilis, & attacti ab hijs visionibus essentialiter differunt. Vndè ipsæ visiones essentialiter inter se debent differre. Ad vltimam dicatur cõceptum Petri, & conceptum Pauli essentialiter differre, quia licèt Petrus, & Paulus in esse entis solùm numericè differant: tamen in esse obiecti repræsentabilis essentialiter differunt. Quia Petrus est repræsentabilis per vnam speciem, cui essentialiter repugnat Paulum repræsentare. Vt dicitur in libris de Anima.

QVÆSTIO II.

Quid requiratur ad notitiam intuitiuam, & an diffinitio illius sit bona?

1 NOtitia intuitiua sic diffinitur à sapientissimo M. Soto: *Est notitia rei præsentis.* Recipientes autẽ prædictã diffinitionem, vt bonam in duo placita sunt partiti. Alij enim asserunt notitiam intuitiuam esse notitiam rei præsentis phisicè. Alij autem existimant notitiam intuitiuam esse notitiam rei præsentis solùm obiectiuè, ideſt præsentis in specie expressa. Quo supposito. Dico primò. Notitia intuitiua non est notitia, qua cognoscitur de re, an sit. Nec est simplex intuitus obiecti. Nec est notitia de re singulari. Nec sufficit ad rationem illius, quòd sit cognitio quidditatiua. Prima pars conclusionis probatur. Per notitiam, qua recordor Patris mei absentis cognosco de illo, an sit, & tamen talis notitia non est intuitiua; ergo prima pars conclusionis est vera. Confirmatur notitia intuitiua est notitia visionis; sed non videmus omnia, quæ cognoscimus habere existentiam; ergo notitia intuitiua non est notitia, qua cognoscitur de re, an sit. Secunda pars conclusionis probatur. Notitiam esse intuitiuam, vel abstractiuam sunt rationes conuenientes ei ex parte obiecti: sed cognoscere componendo, vel simplici intuitu sunt conditiones notitiæ ex parte potentiæ; ergo notitia intuitiua non consistit in simplici intuitu obiecti. Confirmatur primo. Si notitia intuitiua consisteret in simplici intuitu, sequeretur, quòd Angelus non posset habere notitiam abstractiuã. Quandoquidem omnis eius cognitio est simplex intuitus: consequens est falsum; ergo, & antecedens. Confirmatur secundò. Quãdo simplici intuitu recordor patris mei absentis; illa notitia non est intuitiua; ergo notitiæ intuitiua non consistit in simplici intuitu.

2 Tertia pars conclusionis probatur. Multa singularia cognos-

noscimus notitia abstractiua; ergo non sufficit ad rationem notitiæ intuiuæ, quòd sit de re singulari. Confir. primo. Multa singularia, quorum recordamur, non existunt, nec sunt præsentia; ergo ad rationem notitiæ intuitiuæ non sufficit, quod sit notitia de re singulari. Quarta denique pars conclusionis probatur. Cognitio simplicis intelligentiæ in Deo est cognitio quidditatiua rerum possibilium; & tamen non est notitia intuitiua; quando quidem distinguitur à scientia visionis; ergo cognitio quidditatiua non est idem, ac notitia intuitiua. Cõfirmatur. Notitia, qua intelligimus, vel cognoscimus rem præsentem est intuitiua: & tamen non omnis cognitio rei præsentis est quidditatiua; ergo notitia intuitiua non est idem, ac cognitio quidditatiua. Dico secundo. Ad rationem notitiæ intuitiuæ non sufficit, quòd sit de re præsenti solùm obiectiuè. Probatur hæc conclusio. Nostra notitia intuitiua est quædam participatio notitiæ intuitiuæ Dei: sed ad notitiam intuitiuam Diuinam requiritur, quòd sit de re præsenti physicè, & non solùm obiectiuè, ergo ad rationem notitiæ intuitiuæ non sufficit, quòd sit de re præsenti solũ obiectiuè. Minor probatur. Ad notitiam intuitiuam Diuinam requiritur, quòd res cognita coexistat æternitati, quæ est mensura Diuinæ cognitionis: si quidem res omnes, quæ cognoscuntur à Deo scientia visionis coexistunt æternitati secundùm suum esse physicum. Vt docent Theologi 1. p. q. 14 per totam. Confirmatur notitia abstractiua est de re præsenti obiectiuè, id est in specie expressa; ergo præsentia obiectiua non sufficit ad notitiam intuitiuã. Patet consequent. Aliàs notitia abstractiua esset intuitiua. Et antecedens probatur. Quando recordor patris absentis, ille fit mihi præsens obiectiuè, id est in specie; ergo notitia abstractiua est de re præsenti obiectiuè. Dico tertiò. Notitia intuitiua est notitia rei præsentis physicè, & quæ secundũ suum esse physicũ reale, & propriũ sit præsens potẽtiæ cognoscitiuæ, & conceptui cognoscentis subijciatur. Hæc conclusio constat ex dictis. Et probatur modo: Notitia intuitiua dicitur notitiæ visionis ex proportione, quã habet ad visionem: sed visio est de re præsenti physicè, & secundum suum proprium esse reale; ergo notitia intuitiua est de re præsenti physicè, & secundum suum esse reale. Dico vltimo. Diffinitio notitiæ intuitiuæ tradita à sapientissimo Magistro est bona. Hæc cõclusio constabit ex solutione argumentorum. Et contra illam obijcies primò. Notitia qua video Petrum præsentem est notitia rei præsentis: & tamen nõ est intuitiua; ergo diffinitio est mala. Min. prob. Talis notitia non est notitia Petri: quia per illam nõ videtur eius substantia; sed tãtum accidentia; ergo non est no-

titia intuitiua Petri. Confirmatur hoc argumentum. Deus ex tua potentia absoluta potest mihi dare notitiam intuitiuam Antechristi: & tamen hæc notitia non erit rei præsentis; ergo diffinitio est mala. Respondetur, quod illa notitia est intuitiua, quæ per se est notitia intuitiua accidentium Petri, & per accidens est notitia intuitiua substantiæ Petri. Ad confirmationem nego maiorem. Si tamen probabiliter admittatur, tũc discurrendum est in principijs defensantium illam asserentium, quòd ad notitiam intuitiuam sufficit præsentia obiectiua rei, quã tunc casus Antechristus haberet.

3 Obijcies secundò. Notitia panis ante consecrationem, & post consecrationem est eadem; sed ante consecrationem est intuitiua; ergo, & postea intuitiua erit: & tamen non est rei præsentis, cum ibi non sit panis, sed Corpus Christi, ergo diffinitio est mala. Probatur maior. Notitia panis ante consecrationem causatur ab accidentibus visis: cum substantia panis non possit videri: sed post consecrationem remanent eadem accidentia; ergo, & eadem notitia manebit. Patet consequentia. Quia manẽte eadem causa, idem manet effectus. Confirmatur. Nã infidelis eandem notitiam panis habet ante consecrationem, & post consecrationem; ergo post consecrationem habet notitiam intuitiuam rei absentis. Respondetur negando maiorem. Ad probationem dicatur, quòd notitia intuitiua panis ante consecrationem, non causatur tantum ab accidentibus visis, sed ab illis, & à præsentialitate phisica obiecti. Et quia hæc præsentialitas post consecrationem non manet; hinc prouenit eandem notitiam non manere. Ad confirmationem dicatur infidelem putare post consecrationem se habere notitiam intuitiuam panis; quia putat panem phisicè esse præsentem: tamen iure fallitur, & post consecrationem nõ habet notitiam intuitiuam panis.

QVÆSTIO III.

Vtrùm possit dari de potentia Dei absoluta notitia intuitiua in absentia obiecti?

1 SVpposito dari notitiam intuitiuam in intellectu, inquirimus modo, an in absentia obiecti possit dari notitia intuitiua de potentia Dei absoluta, resolutoriè dicendum est non posse dari notitiam intuitiuam rei absentis. Probatur conclusio, notitia intuitiua comparatur ad rem præsentem, vt ad proprium obiectum: sed Deus nequit supplere concursum obiecti; ergo Deus non potest facere, quòd detur notitia intuitiua rei absentis. Minor probatur. Si Deus supplereat concursum obiecti, notitia essentialiter variaretur; ergo Deus non potest supplere concursum obiecti notitiæ intuitiuæ. Probatur

tur secundò conclusio. Si daretur notitia intuiua rei absentis, sequeretur, quòd darentur duæ contradictoriæ simul veræ: sed hoc implicat adhuc de potentia Dei absoluta; ergo de potentia Dei absoluta non potest dari notitia intuitiua rei absentis. Maior probatur. Notitia intuitiua rei absentis esset intuitiua, & non esset intuititiua; ergo darẽtur duæ contradictoriæ simul veræ. Prob. antec. In primis esset intuitiua, vt admittunt contrarij Authores, & etiam non esset intuitiua; quòd probatur. Nam notitia intuitiua est de obiecto phisicè, & secundũ suum esse proprium, & reale præsenti. sed talis notitia non haberet obiectum phisicè præsens; ergo non esset intuitiua. Minor cũ consequentia constat. Maior autem etiam cõstat ex dictis in præcedenti quæstione.

2 Contra istam conclusionẽ obijcies primò. Deus potest supplere concursum obiecti notitiæ intuitiuæ; ergo potest conseruare notitiam intuitiuam in absentia obiecti. Prob. antec. Deus eminẽter continet perfectionem obiecti præsentis potentiæ; ergo potest supplere concursum illius, & vices eius gerere in terminando notitiam. Probatur consequentia. Quia Deus eminenter continet perfectionẽ subsistentiæ creatæ, & humanæ potest supplere vices illius in terminando humanã naturam; ergo pariter si eminenter continet perfectionem obiecti præsentis potentiæ, poterit supplere concursum illius terminando notitiam intuitiuam. Dices Deum non posse supplere vices, & concursum subsistentiæ creatę, quia supplere, est effectum subsistentiæ creatæ secundum speciem, & numero eundem præstare. Quòd tamen Deus nequit efficere. Sed contra. Etiam si Deus non possit supplere vices subsistentiæ creatæ isto rigoroso modo supplendi, potest tamen facere, quòd natura humana subsistat ipsam terminando; ergo pariter poterit facere, quòd notitia intuitiua subsistat in absentia obiecti ipsam terminando. Respondebis esse disparitatem. Nam in supplere vices subsistentiæ creatæ, nulla inuenitur imperfectio. At verò in supplere obiectum notitiæ intuitiuæ inuenitur imperfectio. Sed contra. In supplere concursum subsistentiæ creatæ nulla inuenitur imperfectio. Quia Deus eminenter continet perfectionẽ subsistentiæ creatæ: sed etiam Deus eminenter continet perfectionem obiecti præsentis; ergo poterit illud supplere. Confirmatur in terminando, & specificando actum notitiæ intuitiuæ nulla imperfectio inuenitur; ergo sine concursu obiecti notitiæ intuitiuæ poterit Deus illam terminare. Probatur antecedens. In terminando, & specificando visionem beatorum nulla imperfectio inuenitur; ergo pariter in terminãdo notitiam nulla imperfectio

inuenietur. Respondetur solutionem datam esse legitimam, & ad vltimam replicam dicatur, rationem quare in terminare notitiã intuitiuam inuolbatur imperfectio esse. Quia ad specificandam notitiam intuitiuam necessarium erat, quòd Deus fieret formaliter ipsum obiectum creatum. Eo autem ipso, quòd Deus non fiat ipsum obiectum creatum formaliter, sed solùm eminenter, iam Deus distinguitur essentialiter ab ipso obiecto creato notitiæ intuitiuæ. Et consequenter variabitur notitia intuitiua, & non erit intuitiua rei absentis, sed similitudinis illius, vel gerentis vices illius, à qua similitudine, & gerente vices, tunc casus specificaretur notitia: ac per consequens variaretur specificè notitia. Actio nãque variatur specificè ad variationem specificam obiecti; & sicut ex existentia increata resultat distinctus homo, ita ex supplente vices obiecti resultat distincta notitia. Et insto augumento. Deus continet eminenter perfectionem termini relationis filiationis creatæ: & tamen non potest supplere concursum termini relationis filiationis creatæ; ergo pariter, licèt Deus contineat eminenter perfectionẽ obiecti præsentis, non poterit supplere concursum illius reduplicatiuè, vt præsentis, quatenus specificat notitiam intuitiuam. Nam si Deus ipse pro obiecto notitiæ intuitiuæ ponatur, dummodo nõ fiat formaliter ipsum obiectum creatum notitiæ intuitiuæ, iam notitia non erit intuitiua obiecti pro quo Deus ponitur, sed erit intuitiua illius, quòd pro obiecto ponitur. Ad confirmationem cõstat ex dictis. Visio enim beatifica, licèt sit entitatiuè creata, specificatiuè tamen est increata, quia specificatur ab obiecto increato, & ideò Deus potest illam specificare. At verò notitia intuitiua obiecti creati entitatiuè, & specificatiuè est creata. Qua propter Deus non potest illam manẽtem eandem numero, ac si esset obiecti creati, specificare, sed variabitur essentialiter notitia, quia obiectum essentialiter variatur.

3 Obijcies secundo. Non minus dependet actio in sui specificatione ab specie impressa determinante principium cognoscitiuum, quàm notitia intuitiua ab obiecto præsenti: sed Deus potest supplere concursum speciei impressæ determinantis intellectũ ad cognitionem Petri, quin essentialiter varietur notitiæ; ergo pariter poterit Deus supplere concursum obiecti notitiæ intuitiuæ, quin essentialiter varietur notitia. Probatur consequentia. Ideò quando Deus supplet concursum speciei impressæ, nõ variatur notitia, quia Deus eminenter continet perfectionem speciei impressæ: sed etiam continet eminenter perfectionem obiecti notitiæ intuitiuæ; ergo terminando pro illo notitiam intuitiuam, non variabit

bit essentialiter notitiam intuitiuam. Confirmatur. Visio Beata est intuitiua Petri futuri: & tamē Petrus futurus non est præsens physicè, & secundùm suum esse reale; ergo poterit dari notitia intuitiua rei absentis. Resp. distinguendo maiorem, non minus dependet quoad esse conced. maior. quoad supplebilitatem, nego maiorem, & concessa minori, nego conseq. Disparitas cōsistit in hoc, quòd munus speciei impressæ pertinet ad lineam principij, de cuius conceptu est amplitudo, & indifferentia. Vndè ad principiandam notitiam intuitiuam Petri, non petit species impressa determinatè in se habere ipsum esse formale, & proprium Petri: sed sufficit, quòd habeat aliquid eminenter Petrum continens. Qua ratione dicunt Thomistæ speciem impressam entis realis posse deseruire ad cognitionem entis rationis. At verò munus obiecti terminantis notitiam intuitiuam, pertinet ad lineam termini, de cuius intrinseco conceptu est esse magis limitatum, & coartatum; ac per consequens obiectum notitiæ intuitiuæ petit determinatè esse formaliter ipsum obiectum terminans notitiā intuitiuam. Nam si aliud distinctum ponatur, non saluabitur notitiam intuiuam ad suum obiectum terminare. Nec erit intuitiua sui obiecti, sed illius, quòd ponitur loco sui obiecti. Ad confirmationem dicatur. Visionem beatam esse notitiam intuitiuam primario specificatam à Deo, & quoad formalitatem intuitionis Petri specificatam secundario ab ipso Petro propter intrinsecam connexionem obiecti primarij, nimirum Dei cum Petro futuro, & Petri futuri cum ipso Deo. Vndè obiectum primarium illius physicè est præsens; licèt secundariū non sit præsens in se, sed solùm in obiecto primario.

4 Obijcies tertiò. Deus potest in absentia obiecti conseruare notitiam intuitiuam; ergo poterit illam in absentia obiecti producere, & terminare. Prob. antec. Potest Deus in absentia coloris conseruare speciem in pupilla oculi: & tamen species coloris specificatur à colore præsenti; ergo quāuis notitia intuitiua specificetur ab obiecto præsenti, poterit Deus in absentia obiecti præsentis illā conseruare. Min. prob. species impressa, & actio cognoscitiua idem obiectum respiciunt; ergo species coloris à colore specificatur, à quo actus videndi specificatur. Confirm. primò. In sententia probabili Deus de potentia absoluta potest visionem productam à potentia visiua in lapide conseruare; ergo poterit in tali casu potentiam visiuam destruere conseruando visionem in lapide: tunc sic, sed non minus pendet visio in sui conseruatione à principio vitali, nimirum à potentia visiua, quàm notitia intuitiua ab obiecto præsenti; ergo poterit Deus no-

titiam intuitiuam conseruare in absentia obiecti, & destructo obiecto. Confirmatur secundò. Ordo notitiæ ad obiectum est transcendentalis; ergo non postulat existẽtiam obiecti. Patet consequẽtia. Ordo enim transcendentalis in hoc distinguitur à prædicamentali, quòd hic postulat existentiam termini, non verò ille.

5 Respondetur negando antecedens. Ad probationem cõcedo maiorem, & minorem, & nego consequẽtiam. Disparitas stat in hoc. Aliter enim specificatur species impressa à præsentia obiecti, & aliter specificatur notitia intuitiua ab obiecto præsenti, species enim cum se habeat, vt actus primus specificatur à præsentia obiecti signatè sumpta, non verò exercitè accepta: ac proinde deficiente in exercitio obiecto, potest species subsistere per solam trascendentalem relationem ad obiectum signatè sumptum, vt constat in potentia visiua, quæ specificatur à præsentialitate obiecti signatè sumpta: & ideò subsistit potentia visiua, & si nullum obiectum visibile præsens existat, vt contingit in dormiente, & in tenebris existente. At verò visio ipsa, seu notitia intuitiua, cum sit essentialiter actus secundus, seu actualis terminatio specificatur à præsentialitate obiecti exercitè, & actualiter terminante. Ex quo fit, quòd implicet visionem, seu notitiam intuitiuam exercitè subsistere, actuali, & exercita præsentia obiecti deficiente. Ad primam confirmationem dicatur Deum posse ponere, & conseruare visionem per modum qualitatis in lapide non manente potentia visiua. Non verò potest Deus ponere visionem in lapide per modum actionis vitalis: quia actio vitalis dicit essentialiter ordinem ad suum principium, & ab illo essentialiter dependet. Ex quo solùm sequitur Deum destructo obiecto notitiæ intuitiuæ posse conseruare notitiam intuitiuam in ratione notitiæ, non verò per modum intuitionis, & vt intuitiua est. Ad secundam confirmationem dicatur, ordinem notitiæ intuitiuæ ad obiectum non postulare existentiam, ex conceptu communi ordinis transcendentalis, sed ex conceptu peculiari, & quia talis ordo transcendentalis est, vt diximus in Logica de sex vltimis prædicamentis. Et ratio est. Nam ordo transcendentalis distinguitur à prædicamentali, in hoc, quòd transcendentalis terminatur ad terminum non sub ratione termini, sed sub ratione causæ effectus, vel obiecti. Prædicamentalis verò terminatur ad terminum præcisè sub ratione correlatiui, & termini. Petere autem existentiam termini, non est de essentia ordinis transcẽdentalis. Iste enim ordo vtrumque permittit, & existentiam, & non existentiam termini. Prædicamentalis verò necessariò petit sicut causa efficiens exi-

existentiam in suo termino. Replicabis. Id quod est de essentia superioris est de essentia inferioris: sed permittere existentiam, & non existentiam termini est de essentia ordinis transcendentalis; ergo etiam erit de essentia notitiæ intuitiuæ, quæ ordo trãscendentalis est. Respondetur, quòd non omnis ratio, quæ est de essentia superioris, est de essentia inferioris. Quia esse genus est de essentia superioris (verbi causa animalis) & non est de essentia inferioris, scilicèt hominis, sed tantum id, quòd est de essentia superioris, non habens repugnantiam cum inferiori, sicut sunt prædicata quidditatiua.

6 Obijcies quarto. Si quis intuitiuè vnico actu attingat quatuor homines, potest manere notitia intuitiua omnium illorum quatuor vno destructo; ergo poterit notitia intuitiua similiter manere destructis omnibus. Probatur antecedens. Non minus dependet relatio prædicamentalis ab existentia reali sui termini, quàm notitia intuitiua à præsentia physica sui obiecti: sed relatio prædicamentalis (verbi gratia) paternitas terminata ad quatuor filios potest inuariata manere vno illorum destructo; ergo pariter notitia intuitiua ad quatuor obiecta terminata inuariata, remanere poterit aliquo illorum destructo. Minor est probabilis, & communis sententia Thomistarum. Consequentia tenet. Maior verò probatur. Sicut notitia intuitiua est ipsum exercitium intuendi obiectum, ita relatio est ipsum exercitium respiciendi terminum; ergo non minus dependet relatio prædicamentalis ab existentia reali sui termini, quàm notitia intuitiua à præsentia physica sui obiecti. Respondetur negando antecedens. Notitia enim intuitiua illorum quatuor hominum vno destructo, licèt inuariata maneat, quoad entitatem notitiæ intuitiuæ, variatur tamen quoad formalitatem intuitionis illorum quatuor hominum; quia destructo vno, destruitur notitia quatuor hominum. Similiter ergo relatio paternitatis ad quatuor filios terminata vno destructo licèt maneat eadẽ, quoad entitatem relationis paternitatis: nõ tamen manet eadem, quoad formalitatem relationis paternitatis terminatæ ad quatuor filios. Quia vno destructo, destruitur relatio formaliter, vt terminata ad quatuor filios. Vndè eadem ratio vtrobique currit. Vel secundò dicatur, quòd est disparitas inter relationem paternitatis ad quatuor filios terminatam, & inter notitiam intuitiuam terminatam ad quatuor homines. Nam relatio paternitatis respicit omnes quatuor filios sub ratione producti, & filij. Cum autem destructo vno filio in alijs tribus residuis maneat ratio producti, & filij: hinc prouenit, quòd destructo vno filio manet eadem relatio pater-

ternitatis quoad entitatem; quia perseuerat idem terminus formaliter. At verò notitia intuitiua terminata ad quatuor homines, non terminatur ad illo sub ratione hominis, sed sub ratione quaternitatis, & vt quatuor sunt, & cum destructo vno non perseueret quaternitas: hinc prouenit, quòd non maneat eadem entitas notitiæ intuitiuæ; quia destructo obiecto, destruitur etiam entitas notitiæ intuitiuæ, vndè non est eadem ratio.

7 Obijces quintò. Angelus cognoscit intuitiuè Petrum ante quam existat; ergo datur notitia intuitiua rei non existentis. Dices Angelum cognoscere Petrũ non existentem intuitiuè in actu primo, non verò in actu secundo. Sed contra. Quando Petrus actu existit, Angelus habet notitiam intuitiuam illius in actu secundo; ergo etiam quando non existit habebit notitiam intuitiuam illius in actu secundo. Probat. conseq. Notitia, quam habet Angelus de Petro non existente absque aliqua mutatione intrinseca, trãsit ad esse notitiam Petri existentis: ergo si notitia Petri existentis est intuitiua in actu secundo, etiã notitia Angelica Petri non existentis erit intuitiua in actu secũdo. Prob. conseq. Non enim stat transitus ab vno contradictionis extremo ad aliud, sine intrinseca mutatione; ergo non stabit transitus à non actuali notitia intuitiua ad actualem notitiam intuitiuam, sine intrinseca mutatione. Respondetur, quòd ab vno extremo contradictionis ad aliud, quãdo aliud consistit in aliquo positiuo intrinseco, non datur transitus absque intrinseca mutatione; secus verò, quando extremum ad quod est transitus consistit in denominatione extrinseca; licèt enim paries non possit transire ab albo ad non album, sine intrinseca mutatione, tamen benè potest transire à cognito ad incognitum, & è conuerso sine intrinseca mutatione: cùm autem notitia intuitiua consistat in denominatione extrinseca obiecti præsentis terminantis, benè potest transire de non intuitiua ad intuitiuam absque intrinseca mutatione. Ex dictis sequitur sensus exteriores nullo modo posse intuitiuè cognoscere obiecta, quæ non sunt præsentia. Cuius ratio est. Nã visus v. g. habet pro obiecto coloratum lucidum: sed non existens non est coloratum lucidum; ergo non est obiectum visus. Et consequenter non potest terminari ad illud. Idemque dico de alijs sensibus respectu suorum obiectorum.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm in sensibus exterioribus possit dari notitia abstractiua?

1 REsolutoriè dicendum est, in sensibus exterioribus non posse dari notitiam abstra-

ſtractiuam. Probatur hæc concluſio primò. Implicat poni actum aliquem abſque termino phiſicè, vel intentionaliter exiſtente: ſed terminus actionis ſenſuum exteriorum, quando eſt abſens, non exiſtit, nec phiſicè, nec intentionaliter; ergo implicat, quòd in ſenſibus exterioribus detur notitia abſtractiua rei abſentis. Min. probat. quoad ſecundam partem. Senſus enim exterior non producit idolum, ſeu verbum in quo obiectum illius exiſtat intentionaliter; ergo terminus actionis ſenſus exterioris, quando eſt abſens, non exiſtit intentionaliter, & cum phiſicè ſit euidens, quòd non exiſtat: fit conſequens, quòd nullomodo exiſtat. Dices ſufficere exiſtentiam intentionalem in ſpecie, ad hoc, quòd terminus actionis ſenſus exterioris illam terminet. Sed contra eſt. Obiectum in ſpecie non exiſtit vt terminus, ſed vt principium; ergo exiſtentia in ſpecie non ſufficit ad terminandam actionem ſenſus exterioris. Contra iſtam concluſionem obijces primò. Ex Diuo Thoma 3. part. q. 76. art. 9. vbi docet aliquando in Euchariſtia apparere puerum, abſque vlla mutatione ſpeciei ſacramentalis ſola mutatione facta in potentia viſiua. Ex qua doctrina ſic argumẽtor. In tali caſu potentia viſiua videt puerum: & tamen ibi non eſt puer; ergo datur in illa notitia rei abſentis. Reſpondetur cum Magiſtro à S. Thoma dupliciter poſſe ſenſum exteriorem moueri. Vel per veram elicientiam viſionis, & hoc modo ſemper requirit obiectum exterius phiſicè præſens, vel per imaginitiuam viſionem, quatenus, & ſi viſionem nõ eliciat, imaginatur tamen illam elicere, & ſe videre puerum in hoſtia exiſtentem. Vndè potentia viſiua verè in caſu Diui Thomæ non videt puerum, licèt imaginetur puerum videre, & hoc modo explicabitur Diuus Thomas quoties in contrarium venerit.

2 Obijcies ſecundo. Viſus poteſt percipere præteritum; ergo, & abſens. Prob. anteced. viſus poteſt percipere motum, cùm ſit ſenſibilis; ergo poteſt eius partes attingere. Quandoquidem totũ non poteſt attingi, ſine attingentia partium, tunc ſic: ſed partes motus altera eſt præterita, altera verò futura; ergo viſus poteſt percipere præteritum. Confirmatur Deus poteſt in abſentia obiecti conſeruare ſpeciem in oculo; ergo poteſt viſus attingere obiectum abſens, intentionaliter præſens in ſpecie. Reſpondetur, quòd & ſi partes motus non exiſtant per ſe, exiſtunt tamen ratione inſtantis vtramque partem continuantis. Vndè nunquam viſus attingit præteritum. Vel ſecundò dicatur motum, vtpotè ſenſibile commune non attingi à viſu ratione ſui, ſed ratione ſenſibilis proprij exiſtentis. Et hoc modo non eſt inconueniens, quòd obiectum abſens attingatur à viſu.

Ad

Ad confir. constat ex probatione nostræ concl. Vltimo Obijcies absente pane in Eucharistia datur in visu notitia illius; ergo in sensibus exterioribus datur notitia rei absentis. Conf. Infidelis post consecrationem videt panem, non intuitiuè, vt dictum est; ergo abstractiuè, ac perconsequens in sensibus exterioribus datur notitia abstractiua. Resp. neg. anteced. Non enim visus habet notitiam panis post consecrationem. Quia cum panis solum sentiatur per accidēs quatenus sustentat accidentia sensibilia per se; hinc prouenit, quòd solum sentiatur, quando actu sustentat talia accidentia: & cū post consecrationē non sustentet actu, nec actu sentitur. Ad confirm. dicatur infidelem post consecrationem solum videre accidentia panis: non tamen videre ipsum panem: licet imaginetur panem videre. Hæc autem imaginatio non fit per potentiam visiuam, sed per imaginatiuam.

3 Ex dictis colligo notitiam intuitiuā posse dari in intellectu. Cuius ratio est; nam licet cognitio immediata intellectus, quæ specificatur ab obiecto immediato nō sit intuitiua, quia specificatur ab obiecto abstracto, & obiectiuè præsenti, tamē mediata cognitio, qua intellectus determinatus à phantasmate specificatur à singulari existente, attendendo existētiam, & præsentiam obiecti est intuitiua. Et hæc dicta sufficiant de ista disputatione applicando litteræ sapientissimi Magistri Soto, lib. 1. summular. cap. 3. Lect. vnica.

DISPVTATIO octaua de conceptibus.

QVÆSTIO I.

Vtrùm diuisio conceptus in vltimatum, & non vltimatum sit bona?

1 QVamuis conceptus omnium signorum sit via ad alios conceptus formandos, tamen dialecticus considerans principaliter voces, non propriè vocat conceptum non vltimatum, nisi conceptum vocis significantis, nec vltimatum, nisi conceptū significati per vocē. Etsi in re omnis conceptus signi sit non vltimatus, & cōceptus signati sit vltimatus. Hoc supposito, resoluto riè dico primo. Hæc diuisio est bona. Probatur hæc conclusio. Dialecticus agit de vocibus, quatenus sunt significatiuæ: ergo apud illum solum datur conceptus vocis, & cōceptus rei significatæ, tunc sic: sed conceptus vocis est non vltimatus, & cōceptus rei significatæ est vltimatus; ergo hæc diuisio dialecticè facta, est bona. Dico secūdo. Prædicta diuisio est essentialis. Probatur hæc conclusio. Conceptus vltimatus, est conceptus signati, & conceptus non vltimatus est conceptus signi, sed signum, & sig

nū-

natum distinguntur essentialiter; ergo, & ipsi conceptus, ac proinde diuisio est essentialis. Dico tertio. Conceptus nō vltimatus relatione positiua refertur ad vltimatū. Explicatur hæc conclusio, aduertendo, quòd ista nomina *vltimatus, & non vltimatus* duplici relatione vnum ad alterum potest referri. Vel relatione positiua, quando vnum positiuè dicit respectū ad alterum, sicut pater ad filium, vel relatione negatiua, quando vnum non dicit respectū ad aliud; sicut hoc nomen *primogenitus* patris dupliciter potest sumi, vel quatenus dicit relationem positiuam ad aliū filium non primogenitum, & in hoc sensu, hæc propositio filius æternus est primogenitus patris æterni est hæretica. Alio modo potest cōsiderari hoc nomen *primogenitus*, quatenus dicit relationem negatiuam, ideſt, quia nullus ante ipsum filius fuit. In quo sensu intelligitur Sacra Scriptura filium primogenitum patris apellans. Hoc supposito. Probatur conclusio. Cognitio vocis significatiuæ nunquam sistit in illa sed transit ad rem significatā; ergo conceptus vocis positiuè respicit conceptum rei, & consequēter conceptus non vltimatus respicit positiuè vltimatum. Dico vltimo. Conceptus vltimatus aliquando positiuè respicit non vltimatum; aliquando autem solum negatiuè respicit non vltimatum. Prima pars conclusionis probatur. Aliquando conceptus vltimatus est conceptus alicuius rei significatæ per vocem significatiuam. vt conceptus quem habeo de homine, præuia cognitione vocis illum significantis; ergo vltimatus aliquando respicit positiuè nō vltimatum. Secunda pars conclusionis probatur. Conceptus petrini præuia vocis cognitione est vltimatus, & tamen non respicit positiuè alium conceptum non vltimatum; ergo aliquando conceptus vltimatus non respicit positiuè non vltimatum.

2 Contra primam conclusionem obijcies. Cōceptus huius vocis *bliſiri*, nec est vltimatus. Cùm non sit conceptus rei significatæ per terminum. Nec est non vltimatus. Cum non sit cōceptus vocis significantis: ergo prædicta diuisio non est bona. Confirmatur. Conceptus vocis nudè sumptę nō est vltimatus, nec non vltimatus; ergo prædicta diuisio est mala. Respondetur conceptum huius vocis *bliſiri* esse vltimatum negatiuè. Quia est conceptus vocis *bliſiri* sumptæ per modum rei, & non est via ad alium conceptum formandum. Ad confirmationem eodem modo respondetur. Conceptus enim vocis nudè sumptæ est vltimatus, quia nō est via proxima ad alium conceptus formādum, quantumuis sit via remota, quatenus potest imponi ad significandum aliquid.

3 Contra tertiam conclusionē obij-

obijcies primo. Si conceptus non vltimatus positiuè respiceret vltimatum, sequeretur dari æquiuocationem in mente: Consequens est falsum; ergo, & antecedes. Sequela probatur. Hæc vox *canis* haberet conceptum nõ vltimatum ordinatum ad tres conceptus vltimatos in nullo conuenientes; ergo daretur æquiuocatio in mente. Conseq. prob. Ideò iste terminus *canis* est æquiuocus, quia subordinatur tribus conceptibus non ordinatis, & conuenientibus; ergo si conceptus non vltimatus huius vocis *canis* ordinatur ad tres conceptus vltimatos non conuenientes, etiam erit æquiuocus. Cõfirm. conceptus non vltimatus huius vocis *canis* est cõceptus illius, vt significantis; ergo si vox ista *canis* repræsentat illos tres conceptus æquiuocè, etiam conceptus non vltimatus illius repræsentabit æquiuocè tres conceptus vltimatos. Resp. quòd supposito conceptum non vltimatum non repræsentare vocem nude sumptã, nec secundum quòd in communi significat, sed secundũ quòd hoc, vel illud in particulari significat, neganda erit sequela. Et ratio est; quia non vnicus conceptus nõ vltimatus, sed triplex huic voci *canis* correspõdet. Eo quod ista vox habet tres significationes. Vndè hæc vox non respicit tres conceptus vltimatos medio vnico nõ vltimato, sed mediis tribus non vltimatis, & mediis tribus relationibus. Quia cum conceptus vltimati differant specie, dicendum erit, quòd sunt plures conceptus non vltimati pluribus relationibus vltimatos respicientes. Sed contra replicabis; vnuoci debet correspõdere vnicus conceptus non vltimatus; ergo solutio est nulla. Probat. antec. Vni rei debet correspõdere vnicus conceptus vltimatus; ergo pariter vni voci debet correspondere vnicus conceptus non vltimatus. Respon. neg. antec. Quãdo enim eadem vox habet tres significationes, sicut tres repræsentat conceptus vltimatos, ita correspondent illi tres non vltimati, quorum quilibet sit via ad vnum ex vltimatis.

4 Ex dictis sequitur conceptum vltimatum esse conceptum rei, qui non est via ad alium conceptum formandum, & non vltimatum esse conceptum termini, seu signi, qui est via ad alium conceptum formandum. Vndè omnis conceptus, qui non fuerit via ad alium conceptum formãdum, erit in re vltimatus. Et omnis, qui ad alium formandum fuerit, via erit in re non vltimatus.

QVÆSTIO II.

Vtrùm conceptus non vltimatus repræsentet terminum, secundum quòd est significatiuus?

1 RESolutoriè dico primo. Conceptus non vltimatus, non est conceptus vocis nude sumptæ, sed quatenus est signifi

ficatiua. Prob. hæc conclusio primo. Conceptus non vltimatus est conceptus termini, sed solum vox significatiua est terminus; ergo conceptus non vltimatus est conceptus vocis, vt significatiuæ. Cõfirmatur conceptus, non vltimatus est via ad alium conceptũ formandum: sed conceptus vocis nudè sumptæ, non est via ad alium conceptum formandum; cum nõ habeat significatum ad cuius conceptum formandum sit via; ergo conceptus vocis nudè sumptæ nõ est conceptus non vltimatus. Probatur secundo conclusio. Conceptus huius vocis *blictiri*, non est cõceptus non vltimatus, non alia de causa, nisi quia non est conceptus vocis, vt significatiuæ; ergo conceptus non vltimatus, non est conceptus vocis nudè sumptæ.

2 Dico secundo. Conceptus non vltimatus, non repræsentat vocem, secundum quod in cõmuni est significatiua, sed quatenus in particulari hoc, vel illud significat. Prob. hæc conclusio. Si conceptus non vltimatus repræsentaret vocem, secundum quod in cõmuni significat, non esset magis via ad hunc, quam ad alium conceptum vltimatum formandum: sed conceptus non vltimatus debet esse via ad aliquem conceptũ vltimatum in particulari formãdum: ergo conceptus non vltimatus non est conceptus vocis, vt significatiuæ in communi. Min. probat. Conceptus nõ vltimatus debet esse via ad vltimatum: ergo talis conceptus nõ vltimatus in particulari debet esse via ad talem vltimatum in particulari. Dico vltimo. Conceptus non vltimatus, non repræsentat rem significatã per vocẽ cuius est conceptus non vltimatus. Oppositum habuit sapientissimus Magister Soto in prima editione Summularum, sed re melius inspecta mutauit sententiam in hoc 1. lib. cap. 3. not. b. 8. Et prob. Conceptus non vltimatus sõlum repræsentat illud cuius est naturalis similitudo: sed solùm est naturalis similitudo vocis, non autem rei significatæ per vocem; ergo cõceptus non vltimatus, solum est conceptus vocis, & non rei significatæ per vocem. Conf. Si conceptus nõ vltimatus repræsentaret rem significatam per vocem, repræsentaret ad placitum. Consequens est falsum; ergo, & anteced. Sequela probat. Repræsentaret rem, quatenus vox cuius est conceptus illam repræsentat: sed vox repræsentat rem significatam ad placitum, & dependenter ab impositione; ergo conceptus non vltimatus si rem significatam per vocẽ repræsentaret, illam ad placitum, & dependenter ab impositione repræsentaret.

3 Cont. conc. Obijcies primo. Auditis istis propositionibus: *Homo currit*, *homo significat hominem*, distinctum conceptum, non vltimatũ habeo de subiecto vnius, ac de subiecto alterius: sed de subiecto secundæ habeo conceptum non vltimatum repræsentantem hanc

hanc vocem *homo*, vt significatiua est; ergo conceptus non vltimatus quem habeo de subiecto primæ, non repræsentat vocem, vt significatiua est. Patet cõsequent. Nam non est alia differentia. Confirm. Rusticus audita hac voce *homo* formar conceptum non vltimatum, & tamen prædictus conceptus non est conceptus vocis, vt significatiua est. Siquidem ipse rusticus linguam Latinam ignorans nescit eius significationẽ; ergo conceptus non vltimatus, non est conceptus vocis, vt significatiua est. Resp. quòd conceptus illarum propositionum non sunt distincti essentialiter, sed solũ accidentaliter penes implicitum, & explicitum. Conceptus enim non vltimatus subiecti primæ propositionis hominem implicitè, & in actu exercito significat. Subiectũ autem secundæ explicitè, & in actu signato significat hominem. Vndè conceptus non vltimatus subiectorum vtriusque propositionis est conceptus vocis, vt significatiua est, & distinguntur, quia conceptus non vltimatus subiecti primæ repræsentat vocem, vt significatiua est implicitè, & conceptus non vltimatus subiecti secundæ repræsentat vocem, vt est signatè, & explicitè significatiua. Ad confirm. dicatur rusticum non habere conceptum non vltimatum vocis Latinæ, sed huic voci *homo*, correspondet in intellectu rustici conceptus vltimatus, sicut in omniũ intellectu correspondet cõceptus vltimatus huic voci *blicti*, i. Quia apud rusticum hęc vox *homo*, ita se habet, ac si significatiua non esset.

4 Obijcies secundo. Si conceptus non vltimatus repræsentaret vocem, vt significatiua est, daretur æquiuocatio in mente. Consequens est falsum; ergo, & antec. Sequela prob. idem conceptus, & repræsentaret vocẽ, & repræsentaret significationem illius; ergo daretur æquiuocatio in mẽte. Respond. neg. sequelam. Ad probationem dicatur, quòd licet conceptus non vltimatus repræsentet vocem, vt significatiua est, non tamen repræsentat significationem signatè, sed solum exercitè, id est, repræsentat vocem, vt stat sub significatione non repræsentãdo naturam significationis. Et ideò talis conceptus non est æquiuocus, sicut conceptus hominis albi repræsentans hominem, vt stat sub albedine, non est æquiuocus.

5 Contra vltimam conclusionem obijcies primo. Ideò scriptura significat rem significatam per vocem cuius est scriptura, quia cũ voce similitudinem habet: sed cõceptus non vltimatus habet similitudinem cum voce; ergo repræsentabit rem significatam per vocem cuius est conceptus non vltimatus. Resp. esse disparitatem inter scripturam, & conceptum nõ vltimatum, quæ consistit in hoc. Nam voces, & scripturæ, cum ad placitum significent, ad idem significandum imponi possunt. Non autem conceptus, cuius significatio

tio desumitur ex naturali similitudine, quam cum re significata habet. Quapropter, licet conceptus non vltimatus repræsentet vocem, vt significatiuam, tanquam naturalis similitudo illius, tamen nō repræsentat rem significatam per vocem, quia res illa non habet naturalem similitudinem cum voce, sed tantum ex beneplacito hominum.

Vltimo obijcies per conceptum non vltimatum cognoscitur vox, quatenus est signum rei significatæ; ergo & res ipsa significata cognoscitur: ac per consequens, & repræsentatur in ipso conceptu non vltimato. Probatur cōsequentia. Signum, & signatum sunt simul cognitione; ergo si per conceptū non vltimatum cognoscitur signum, etiam eius signatum cognoscitur. Respondetur concedendo antecedens, & distinguendo consequens. Cognoscitur res significata in recto, nego consequentiam. In obliquo concedo consequentiam. Per conceptum enim non vltimatum vocis, vt significatiua est, cognoscitur rei sinificata in obliquo, ad quam cognitionem, non requiritur quòd res significata in tali conceptu repræsentetur. Sicuti per conceptum patris cognoscitur in obliquo filius, quatenus est terminus relationis paternitatis, & tamen filius per conceptum patris non repræsentatur.

QVÆSTIO III.

Vtrùm ad cognoscendum conceptum directum requiratur conceptus reflexus?

1 COnceptus reflexus est conceptus alterius conceptus in eodē cognoscente. Conceptus autem directus, est, qui non est conceptus alterius conceptus in eodem cognoscente. Difficultas modo est, an ad cognoscēdum conceptum directum requiratur conceptus reflexus. Pro cuius resolutione aduertendum est duplex esse intelligibile, & vtrumque in genere intelligibilis, vnum intelligibile actiuum, & aliud intelligibile passiuum, quorum quodlibet habet suam vltimam actualitatem dicentem perfectionem simpliciter simplicem. Vltima enim actualitas intelligibilis passiui est verbū, seu species expressa, & vltima actualitas intelligibilis actiui est intellectio. Deindè supponendum est, quòd eodem actu quo cognoscitur res repræsentata in conceptu directo, cognoscitur etiam ipse conceptus directus, *vt quo*, & quatenus est ratio formalis. Vndè difficultas solùm est, an ad cognoscendum conceptum directum, vt *quod* requiratur cōceptus reflexus.

2 Resolutoriè dicendum est, ad cognoscendum conceptum directum requiritur conceptus reflexus realiter ab ipso distinctus. Hæc conclusio est expressa. Diui Thom. 4. contra gentes, cap. 11.

Et probatur primo ratione. Vltima actualitas generis importantis perfectionem simpliciter simplicem solum potest identificari cum illo, quod est infinitum in tali genere: Sed verbum, seu conceptus est vltima actualitas in genere intelligibili passiuo dicente perfectionem simpliciter simplicem; ergo solum potest identificari cum illo, qui in tali genere est infinitus. Tunc sic: sed conceptus directus, vtpote entitas creata non est infinitus in genere intelligibili passiuo; ergo non potest secum identificare verbum, seu speciem expressam, ac proinde medio verbo, seu conceptu reflexo à se realiter distincto intellectionem terminabit. Maior constat. Ideo enim actio intelligendi nequit identificari cum principio intellectionis, nisi sit infinitum, quia est vltima actualitas in genere intelligibilis actiui; ergo vltima actualitas generis importantis perfectionem simpliciter simplicem, solum potest identificari cum illo, quod est infinitum in tali genere; & ratio est manifesta. Nam limitatio actus sumitur à potentia in qua recipitur: sed actus identificatus cum illo quod actuat, in illo realiter non recipitur. Quandoquidem nihil seipsum possit recipere; ergo quando vltima actualitas identificatur cum aliquo in aliquo genere, illud in tali genere erit infinitum, & etiam vltima actualitas in tali genere infinita erit. Minor vero in qua est difficultas probatur. Illa est vltima actualitas in aliquo genere, qua posita non expectatur vlterior actualitas in tali genere: sed posito verbo, seu conceptu non expectatur vlterior actualitas in genere intelligibilis passiuo, illique repugnat per aliam actuari actualitatem; ergo verbum seu conceptus est vltima actualitas in genere intelligibilis passiuo. Minor autem sub sumpta probatione non indiget.

3 Respondebis, quòd adhuc posito verbo seu conceptu restat intellectio, quæ verbum terminat ac proindè verbum non est vltima actualitas generis intelligibilis passiui. Sed contra est. Intellectio non est vltima actualitas generis intelligibilis passiui, sed actiuitas spectare actualitatem pertinentem ad aliud genus, non tollit ab illo, quòd spectat rationem vltimæ actualitatis in proprio genere; ergo quod verbum, seu conceptus expectet intellectionem, non aufert ab illo rationem vltimæ actualitatis in genere intelligibilis passiui. Minor constat, licet enim existentia sit determinabilis, & actuabilis per accidentia spectantia ad genus distinctum nimirum ad genus accidentis, nihilominus tamen est vltima actualitas in genere substantiæ. Maior verò probatur. Intellectio est vltima, actualitas in genere intelligibili acti-

actiuo; ergo non est vltima actualitas generis intelligibilis passiui. Patet consequentia. Genera namque distincta diuersas vltimas debent habere actualitates. Quapropter substantiæ, & accidenti diuersas assignamus existentias. Respondebis secundo actionem intelligendi posse considerari dupliciter, & actiuè, vt actio est, & passiuè per modum passionis. In prima acceptione est vltima actualitas generis intelligibilis actiui, & in secunda est vltima actualitas generis intelligibilis passiui. Sed contra replicatur primo. Extrinseca denominatio cogniti proueniens obiecto ab actione intelligendi passiuè sumpta, non potest esse vltima actualitas obiecti terminantis intellectionem; ergo solutio est nulla. Probatur antecedens. Extrinseca denominatio visi proueniens parieti ab actione visiua, non est vltima actualitatis parietis, vt terminantis visionem, sed quid consequutum ad terminare visionem; ergo pariter vltima actualitas obiecti cogniti non erit denominatio extrinseca cogniti proueniens illi ab actione intellectiua ad ipsum terminata. Secundo impugnatur solutio. Illa est vltima actualitas in genere intelligibili passiuo, ratione cuius obiectum terminat intellectionem: sed hoc est verbum, seu conceptus; ergo verbum, & non actio intelligẽdi erit vltima actualitas generis intelligibilis passiui. Minor constat. Intellectio est, quæ terminatur ad obiectum; ergo non est ratio ratione cuius obiectum terminet intellectionem. Maior verò probatur sicut intelligibile actiuum consistit in potentia ad actiuè intelligendum, ita intelligibile passiuum consistit in potentia ad terminandam intellectionem; ergo sicut illa forma est vltima actualitas intelligibilis actiui per quam intelligibile actiuum redditur actiuè intelligens, ita illa forma erit vltima actualitas intelligibilis passiui, per quam intelligibile passiuum actu terminat intellectionem; ergo sicut intellectio est vltima actualitas intelligibilis actiui; quia primum præstat, ita verbum, seu conceptus erit vltima actualitas intelligibilis passiui, quia præstat secundum. Confirmatur extrinseca denominatio cogniti proueniens obiecto ab actione intellectiua conuenit illi in quantum passiuè se habet ad intellectionem: sed vltima actualitas generis intelligibilis passiui non debet esse aliquod passiuum, per quod constituatur obiectum effectus, sed per quod constituatur, vt causa; ergo extrinseca denominatio cogniti proueniens obiecto ab actione intellectiua, non potest esse vltima actualitas obiecti terminantis cognitionem.

4 Secundo probatur noſtra concluſio. Subſtantia Angeli eſt perfectioris immaterialitatis, quam conceptus directus: & tamen ſi ſubſtantia Angeli intelligeretur, ſine verbo, ſeu conceptu à ſe diſtincto eſſet infinita; ergo pariter, ſi conceptus directus ſine verbo, ſeu conceptu reflexo à ſe realiter diſtincto, foret infinitus in genere intelligibilis paſſiui.

5 Contra concluſionem obijcies primo. Obiectum viſibile identificat ſibi vltimam actualitatem terminandi viſionem: & tamen non eſt infinitum; ergo licet conceptus directus identificet ſibi vltimam actualitatem terminandi intellectionem non erit infinitus. Confirmatur ex eo quod Angelus ſecum identificet rationem ſpeciei impreſſæ, non ſequitur ſecum identificare potentiam proximè intellectiuã, & intellectionem; ergo pariter ex eo quod aliquid ſecum identificet verbum, non ſequeretur eſſe infinitum, & ſecum identificare intellectionem. Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Diſparitas conſiſtit in hoc. Nam obiectum viſibile non habet ab intrinſeco, & eſſentialiter terminare viſionem; ſed ſolum ab extrinſeco ratione connexionis viſionis cum ipſo. Et ideo terminare viſionem non eſt vltima actualitas viſibilis paſſiui. At verò verbum ab intrinſeco, & eſſentialiter habet terminare intellectionem. Qua propter eſt vltima actualitas intelligibilis paſſiui. Et ratio huius differentiæ eſt; nam intellectus ob ſui perfectionem petit vniri cum obiecto, & cum illo intentionaliter identificari, non ſolum in actu primo ratione ſpeciei impreſſæ, ſed etiam in actu ſecundo ratione verbi. At verò potentia viſiua, quia vltimum tenet locum in genere cognoſcitiuo iſtam vnionem non petit: ac proinde, nec eius obiectum exigit aliquam vltimam actualitatem, ratione cuius terminet viſionem. Vel ſecundo dicatur obiectum viſibile habere ex ſe proportionem cum potentia viſiua abſque aliquo ſibi ſuperaddito pro venire illi ex imperfectione potentiæ viſiuæ non exigentis perfectiorem vnionem, nec perfectiorẽ actualitatem; quia ipſa potẽtia viſiua non poteſt producere verbũ. Vndè, quod obiectum viſibile nõ acquiratur per actualitatem à ſe diſtinctam, tandem reducitur ad imperfectionem potentiæ viſiuæ. Vnde vltima actualitas obiecti viſibilis eſt actualitas alicuius dicentis imperfectionem, qua propter vltima actualitas obiecti viſibilis poteſt identificari cum obiecto viſibili, vel quia non dicitur, ad perfectionem,

vel

nem, vel quia est inactuabilis per aliam actualitatem ab extrinseco, quatenus potētia visi, a nō potest producere verbum; nam si illud produceret per illud obiectum visibile actuaretur, & ratione illius terminaret visionem. At verò verbum ab intrinseco est vltima actualitas inactuabilis per aliam. Ad confirmationem concedo antecedens, & nego consequentiā. Disparitas consistit in hoc, quòd species impressa non est vltima actualitas in genere intelligibilis passiuo, nec ordinatur per se ad intellectionem; cum solum gerat vices obiecti, & obiectum non ordinetur per se ad intellectionem. Vndè ex eo, quòd substantia Angeli identificet sibi rationem speciei impressę, non sequitur esse infinitam in genere intelligibilis passiuo, nec secum identificare suam intellectionem. At verò verbum est vltima actualitas generis intelligibilis passiui per se ordinata ad intellectionem. Vndè obiectum identificans sibi verbum est infinitum in genere intelligibilis passiui. De quo plura dicemus in libris de Anima.

Obijcies secundò. Materia prima identificat sibi vltimam actualitatem vnionis: & tamen non est infinita; ergo identificare vltimam actualitatem non arguit infinitatem. Minor cum consequentia tenet. Maior verò constat in sententia negante modum vnionis distinctum à materia prima. Confirmatur. Causa finalis identificat sibi vltimam actualitatem finalizandi, & tamen non est infinita; ergo quamuis conceptus directus identificet sibi vltimam actualitatem terminandi cognitionem, non erit infinitus. Respondetur vltimam actualitatem materiæ primæ in suo conceptu importare limitationem. Quia est vltima actualitas recipiendi. Vnaquæque enim res per hoc, quòd aliquid recipiat, limitatur. Quapropter ex quod materia prima sibi identificet vltimam actualitatem recipiendi, nō arguitur in illa infinitas. Ad confirmationem eodem modo dicatur, quòd vltima actualitas causæ finalis creatæ importat imperfectionem, quia nihil ponit in voluntate; sed solum illam mouet excitando, & inuitando, & ideò vocatur causalitas methaphorica, quo circa potest cum fine identificari, quin finis euadat infinitus.

6 Obijcies tertio. Conceptus directus, se ipso est intra intellectum, & se ipso est proportionatus cum intellectu; ergo non indiget conceptu reflexo, vt cognoscatur. Probatur antecedens. Proportio obiecti cum intellectu prouenit ab immaterialitate: Sed cōceptus directus omni caret materia; ergo est proportionatus cū intellectu. Confirmatur. Conceptus reflexus non est magis immaterialis, quàm directus; ergo si

directus ratione reflexi proportionatur cum intellectu ratione sui eandem proportionem habebit. Respondetur negando antecedens. Licet enim conceptus directus sit intra intellectum intrinsicè, & in esse rei, non tamen est intra intellectum intentionaliter, & in esse obiecti, & ad hoc ponitur conceptus reflexus. Quamuis enim conceptus directus careat omni materia physica, non tamen caret materia methaphisica, quia conceptus directus per modum rei consideratus est in potentia ad vlteriorem actum, nimirum ad verbum, qua propter licet sit proportionatus cum intellectu in actu primo, non tamen in actu secundo, & instio argumentum. Substantia Angeli caret omni materia physica, & est physicè, tam immaterialis, ac est intellectio; ergo se ipsa absque intellectione distincta potest intelligere; est mala consequentia. Similiter; ergo philosofandum est de conceptu directo. Ad confirmationem dicatur, quòd conceptus directus est æqualis immaterialitatis physicæ cum reflexo, non verò est equalis immaterialitatis metaphisicæ cum reflexo, si directus sumatur per modum rei, & in actu signato, & reflexus, vt exercet rationem conceptus, & vt *quo* inspiciatur.

7 Obijcies quarto. Ratio formalis non indiget alia ratione formali. Sed conceptus directus est ratio formalis cognoscendi obiectum; ergo erit ratio formalis se ipsum cognoscendi. Dices conceptum directum posse considerari dupliciter, vel vt exercēs rationē cōceptus, & imaginis, qua ratione est ratio formalis cognoscē di obiectum, & hoc modo consideratus se ipso, & sine conceptu reflexo cognoscitur ab intellectu. Alio modo potest considerari, nimirum in actu signato, & per modum rei, & qualitatis, & isto modo consideratus non est ratio formalis cognoscendi obiectum, & indiget conceptu reflexo, vt ab intellectu cognoscatur. Sed contra replicatur, se ipso conceptus directus cognoscitur sub prima consideratione, & tamen non est infinitus; ergo pariter ex eo quòd sub secunda consideratione se ipso cognoscatur ab intellectu, non euadet infinitus. Confirmatur. Species impressa est ratio cognoscendi obiectum per modum principij, & tamen est ratio cognoscendi seipsam per modum rei; ergo si conceptus directus est ratio formalis cognoscendi obiectum per modum termini; etiam erit ratio formalis cognoscendi se ipsum, quatenus, qualitas est. Respondetur solutionem datam esse legitimam, & ad replicam, concedo antecedens, & nego consequentiam. Conceptus enim directus sub prima consideratione non exercet rationem obiecti, sed rationem con-

conceptus, & imaginis, & ideo non arguitur infinitas, quamuis seipso ab intellectu cognoscatur, quia non cognoscitur, vt quod, sed solum vt quo, sicut existentia, vt est ratio formalis ponendi rem extra causas seipsa existit, & tamen considerata per modum rei, & vt non est ratio formalis, non potest seipsa existere. Ad confirmationem dicatur identitatem cum formalitate speciei impressæ non arguere infinitatem. Quia manet vndè species impressa limitetur, nempè ab obiecto distincto. Quo circa species impressa poterit esse ratio formalis cognoscendi obiectum, & cognoscendi seipsam per modum rei. At verò si ratio verbi identificaretur cum aliquo, non maneret vndè limitaretur obiectum identificans verbum, & hæc dicta sufficiant de ista disputatione applicando litteræ sapientissimi Magistri Soto, libro primo Sumularum capitulo tertio, Lectione vnica.

DISPVTATIO nona de termino in communi.

QVÆSTIO I.

Vtrùm diffinitio termini sit bona?

1 QVAMVIS terminus in cõmuni diffiniatur per hoc, quod sit signum suppositiuum cathegoricæ propositionis compositiuum. Quia tamen proprium munus dialectici est agere de vocibus, vt sunt significatiuæ, ideò sapientissimus Magister Soto in hac secunda editione Summularum terminum per vocem diffiniuit: *Terminus enim est vox significatiua ad placitum, ex qua simplex conficitur propositio.* Quæ diffinitio est propria termini vocalis, & paucis mutatis facilè adaptabitur termino mentali. Hoc supposito, resolutoriè dicendum est hanc diffinitionem esse bonam. Hæc conclusio non aliter probatur, nisi authoritate tanti magistri illam tradentis, & explicantis.

2 Contra illam obijcies primo. Vnius diffinitionis vnica debet esse differentia: sed hæc diffinitio habet plures differentias; ergo non est bona. Minor probatur. Omnes particulæ illius præter *vocem* ponuntur loco differentiæ, vt

testatur ipse sapientissimus Magister; ergo hæc diffinitio habet plures differentias. Confirmatur. Omne quod excluditur per particulas antecedentes istam particulam: *Ex qua simplex conficitur propositio.* Excluditur per istam particulam; ergo omnes particulæ antecedentes istam vltimã particulam erunt superfluæ. Respondetur distinguendo maior. Vnius diffinitio vnica debet esse differentia totalis, & completa, concedo maiorem; partialis, & inadæquata nego maiorem. Et sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Licet enim in ista diffinitione inueniãtur plures differentiæ partiales, & inadæquatæ; tamẽ solum inuenitur vna adæquata, & totalis differentia, quam per tot particulas circumloquimur. Ad confirmationem dicatur, quòd omne quòd excluditur per particulas antecedẽtes, vltimam particulam excluditur per vltimam, vt supponentem antecedentes particulas; non tamen per vltimam, secundum se sumptam. Vndè antecedentes particulæ nõ sunt superfluæ. Quia vltima particula non est differentia vltima termini, nisi vt supponens alias antecedentes particulas. Eo quòd voces non significatiuæ non excluduntur à ratione termini per vltimam particulam, nisi vt alias antecedentes supponentem.

3 Obijcies secundo. *Blictiri* est terminus: & tamen illi non conuenit diffinitio; ergo prædicta diffinitio est mala. Maior probatur. Hæc vox *blictiri*, componit propositionem simplicem; ergo habet secundam intentionem termini, ac per consequens erit terminus. Dices, quòd hæc vox *blictiri* componit materialiter, ideſt, non substituendo pro alio à se distincto, simplicem propositionem. Non tamen componit illam formaliter, ideſt significatiuè, & substitutiuè. Ex quo solum infertur, quòd habeat secundam intentionem incompletam termini, & quòd sit incomplè, & secundum quid terminus, sed contra replicatur. Hæc vox *blictiri* habet secundam intentionem termini; ergo est formaliter, & completè terminus. Probatur consequentia. Effectus formalis secundæ intentionis termini est facere terminum subiectum in quo inuenitur; ergo si hæc vox *blictiri* habet secundam intentionem termini, erit formaliter terminus. Patet cõseq. Effectus enim formalis nihil aliud est quàm forma communicata. Respondetur solutionem datam esse legitimã, & ad replicam dicatur hanc vocem *blictiri* habere secundam intẽtionem termini incõplete sumptam. Eo quòd secunda intentio termini non est in prædicta voce, tanquam in subſtracto ab ipsa petito. Quia ipsa exigit pro subſtracto proprio vocem significatiuam. Quocirca non reddit prædictam vocem formaliter, & cõplete terminum, sed solùm illi præstat effe-

fectum inadæquatum, nimirum relatæ ad propositionem. Duplex enim effectus quasi inadæquatus, præstatur à secunda intentione termini. Primus est relati ad propositionem, & hunc præstat cuilibet subiecto in quo inuenitur. Secundus est relati per modum termini, & substitutiui ad propositionem, & hunc solum præstat subtracto significatiuo, quod est proprium subiectum ab ipsa exactum. Sicut secunda intentio speciei non reddit animam, vel punctum speciem completam. Quia solùm inuenitur in anima, vel puncto, tanquam in subiecto extraneo, & non proprio à se perito. Vndè sicut anima, vel punctum non dicitur species, ita pariter hæc vox *blictiri*, non dicitur terminus.

4 Obijcies tertiò. Hæc vox *blictiri* est significatiua, & aliàs componit propositionem; ergo est terminus. Probatur antecedens. Hæc vox *blictiri* significat sui prolatorem; ergo est significatiua. Dices quòd hæc vox *blictiri* significat naturaliter suum prolatorem, non tamen ad placitum, & ideò non est terminus. Sed contra replicatur. Ad hoc, quòd hæc vox *blictiri* sit terminus, sufficit quòd significet naturaliter; ergo solutio est nulla. Probatur antecedens. Ad hoc quod conceptus sit terminus sufficit, quòd significet naturaliter; ergo pariter ad hoc quòd hæc vox *blictiri* sit terminus, sufficiet, quòd naturaliter significet. Confirmatur. Hæc vox *blictiri* habet proprietates termini; ergo est terminus. Probatur antecedens. Suppositio est proprietas termini; sed hæc vox *blictiri* supponit pro se; ergo habet proprietates termini. Respondetur solutionem datam bonam esse; & ad replicam nego antecedens, ad cuius probationem concedo antecedens, & nego consequentiam. Significatio enim naturalis solum conducit ad hoc, quòd significans naturaliter sit terminus mentalis, si sit notitia intra intellectum existens, non tamen conducit ad hoc, quòd significans naturaliter sit terminus vocalis: quia terminus vocalis debet esse vox supponens pro illo quod significat, & nulla vox supponit pro illo quòd naturaliter significat: cum autem hæc vox *blictiri* solum possit habere rationem termini vocalis, & non mentalis. Quandoquidem non est notitia intra intellectum existens, & significatio naturalis nihil conducat ad rationem termini vocalis? Hinc prouenit, quòd hæc vox *blictiri* nullatenus sit terminus, *quia non significat, quatenus significare attribuitur vocibus*, vt docet sapientissimus magister in hoc capitulo lectione secunda notabili secundo. Ad confirmationem dicatur, quòd non quælibet suppositio est proprietas termini, sed solum supposita forma-

malis, quæ est substitutiua pro re significata, & distincta à voce. Cũ autem hæc vox *blictiri*, non supponat formaliter: hinc fit quòd non habet proprietatem termini. Nisi dicas similam proprietates hominis habere.

5 Obijcies vltimo. Ista vox *ergo* est terminus, & tamen non componit propositionem; ergo diffinitio est mala. Prob. antec. Nunquàm reperitur in propositione; ergo nunquam componit propositionem. Prob. antec. Semper reperitur medians inter duas propositiones cathegoricas, scilicèt inter antecedens, & consequens; ergo nunquam reperitur in propositione simplici; ac per consequens non potest simplicem propositionem componere. Respondetur, quòd hæc vox *ergo* est terminus synchategorematicus, & cum reperiatur inter duas propositiones chategoricas, & medium participet ab vtroque extremo, vtramque modificat, & modificando componit.

QVÆSTIO II.

Vtrùm signum sit genus in diffinitione termini?

1 SVppono cum Diuo Thoma 1.2.q.53.art. 2. Signum esse genus physicum in diffinitione physica termini. Nam vt ait ipse Angelicus Magister, quãdo accidens diffinitur in concreto subiectum ponitur loco generis, & forma accidentalis loco differentiæ. Dicimus enim, quòd *simus est nassus curuus*: & cum terminus sit accidens, & diffiniatur in concreto, restat quod in diffinitione physica illius signum sit genus physicum. Vndè difficultas solùm est, an diffinitione methaphysica termini signum sit genus metaphysicum. Et resolutoriè dico primò. Signum non est genus metaphysicum in diffinitione termini. Hæc conclusio probatur primò. Genus metaphysicum, & species illius debent esse in eodem genere; sed signum, & terminus non sunt in eodem genere; ergo signum non est genus metaphysicum ad terminũ. Maior constat. Genus enim debet essentialiter prædicari de sua specie: sed illa, quæ sunt in diuersis generibus, non possunt vnum de alio essentialiter prædicari; ergo genus metaphysicum, & species illius debent esse in eodem genere. Minor verò principalis probatur. Terminus est in genere entis rationis dialectici, & signũ est in genere entis realis, & si aliquod est in genere entis rationis, sicuti signũ ad placitũ non est in genere entis rationis dialectici, id est ordinati ad aliud componẽdum, sed in genere entis rationis polytici, id est ordinati ad conuersationes humanas; ergo signum, & terminus non sunt in eodem genere. Confirmatur. In diffinitione metaphysica albigenus non est subiectum, id est corpus, sed genus

nus est color; ergo pariter in definitione metaphisica termini genus non erit signum, quòd est subiectum, sed secundum intentionatum dialecticum. Secundò probatur conclusio. Sic se habet ratio signi ad rationem termini, sicut ratio termini ad rationem subiecti, & prædicati: sed ratio termini non est genus, sed quid præsuppositum ad rationem subiecti, & prædicati; ergo ratio signi non erit genus, sed quid præsuppositum ad rationem termini. Confirmatur hæc ratio. Signum per nullam differentiam essentialem potest respicere propositionem: sed terminus essentialiter respicit propositionem; ergo terminus non est species signi; ac per consequens signum non est genus ad terminum. Maior probatur. Signum præcisè respicit essentialiter signatum, & secundum diuersos modos respiciendi illud diuersificatur essentialiter signum; ergo per nullam differentiam sibi essentialem respicit propositionem. Dices. Signum partiale essentialiter respicit signatum partiale: & cum signatum partiale ordinetur ad propositionem, etiam signum essentialiter respicit propositionem. Sed contra est. Signatum partiale, licèt ordinetur ad propositionem obiectiuam, nō tamen ordinatur ad propositionem formalem: sed terminus essentialiter respicit propositionē formalem, & per ordinem ad illam cōstituitur; ergo signum per nullam differentiam sibi essentialem respicit propositionem respectu cōstituente terminum. Cōfirmatur. Licèt signum partiale respiciat signatum partiale, & signatum totale, tamen ordo ad signatum totale solùm accidentaliter determinat rationem signi, & ordo ad signatum partiale essentialiter determinat rationem signi; ergo signum per nullam differentiam sibi essentialem potest respicere propositionem. Denique probatur conclusio. Variata essentialiter ratione generica nō potest non variari essentialiter ratio specifica: sed variatur essentialiter ratio signi manente inuariata essentialiter ratione termini; ergo signum non est genus ad terminum. Minor probatur. Homo, & equus in ratione signi differunt essentialiter specificè: & tamen in ratione termini solùm differunt numericè. Cum vterque sit terminus chathegorematicus; ergo variatur essentialiter ratio signi inuariata manente ratione termini. Minor probatur. Ly *homo*, & ly *equus* habent signata distincta specie; ergo differunt specie in ratione signi. Patet consequentia. Quia distinctio signorum desumitur à distinctione signatorum.

2 Dico secundò. Signum est quid de materiali essentialiter præsuppositum ad rationem termini. Hæc conclusio breuiter probatur. Nam vltima differentia termini est componere significatiuè

tiuè propositionem, vt infra dicemus; ergo signum est quid de materiali essentialiter præsuppositum ad rationem termini. Dico tertiò. Genus metaphisicum ad terminum est secunda intentio, vel secundùm intentionatum rationis abstrahens à secunda intentione termini, & à secunda intentione propositionis. Hæc conclusio constat ex dictis. Nam aliquod debet esse genus ad terminū; non signum; ergo secundum intentionatum rationis. Confirmatur secunda intentio abstrahens à secūda intentione termini; & propositionis essentialiter prædicatur per modum superioris determino; ergo erit genus ad illum.

3 Obijcies primò contra primam conclusionem. Ratio signi contrahitur essentialiter per differentiam essentialem termini; ergo est genus ad terminū. Prob. antec. Terminus cathegorematicus, & syncathegorematicus essentialiter distinguntur in sentētia probabili asserente diuisionem termini in cathegorematicum, & syncathegorematicum esse essentialem: sed prædicti termini solū distinguntur essentialiter in ratione termini per diuersas significationes; ergo signum essentialiter contrahitur per differentiam termini. Min. prob. Prædicti termini per ordinem ad propositionem non distinguntur essentialiter; ergo solùm distinguntur essentialiter per diuersas significationes. Prob. anteced. ordines, quos dicunt prædicti termini ad propositionem non distinguntur essentialiter; ergo prædicti termini, non distinguntur essentialiter per ordinem ad propositionem. Probatur anteced. Termini ordinis, quem dicit cathegorematicus, & ordinis, quem dicit syncathegorematicus, nō distinguntur essentialiter; ergo ordines, quos dicūt prædicti termini ad propositionē non distinguntur essentialiter. Patet consequētia. Respectus enim, & ordines à suis terminis accipiunt vnitatem, & distinctionem. Antec. autem prob. Terminus ordinis, quem dicit cathegorematicus, est propositio composita ex cathegorematico termino, & terminus ordinis, quem dicit syncathegorematicus est propositio ex ipso composita: sed propositio composita ex termino cathegorematico non differt essentialiter à propositione composita ex syncathegorematico termino; ergo termini ordinis, quem dicit syncathegorematicus, & ordinis, quem dicit cathegorematicus nō distinguntur essentialiter. Resp. neg. antec. Licèt enim terminus cathegorematicus, & syncathegorematicus respiciant eandem materialiter propositionem, non tamen respiciunt propositionem eandem formaliter, & in ratione termini. Quia eadem materialiter propositio, vt terminat ordinem termini cathegorematici, distinguitur essentialiter à se ipsa, vt terminat ordinem termini syn-

ca-

catheg oremat ici, ſicut idem materialiter compoſitum ſubſtantiale, provt terminat ordinem materiæ primæ diſtinguitur eſſentialiter à ſe ipſo provt terminat ordinem formæ ſubſtantialis. Similiter idem punctum provt terminat motum rectum diſtinguitur ſpecie à ſe ipſo, quatenus terminat motum obliquum. Vndè terminus catheg oremat icus, & ſyncatheg oremat icus non, diſtinguntur penes diuerſas ſignificationes, ſed formaliter in ratione termini diſtinguntur per ordines diuerſos ad eandem materialiter propoſitionem, diuerſam tamen formaliter, & in ratione termini.

4 Obijcies ſecundò ex ſapientiſsimo Magiſtro Soto in hoc capitulo vbi dicit, quòd ſignificatio eſt forma termini ſed non eſt forma ſpecifica. Aliàs ſignum totale, & partiale ſolùm numericè diſtinguerentur, quòd eſt falſum; ergo eſt forma generica. Confirmatur. Eo ipſo, quòd aliquid ſit ſignum partiale eſt terminus: ſed ſignum eſt genus ad ſignum partiale; ergo ſimiliter erit genus ad terminum. Reſpondetur, quod ſignum eſt forma termini materialiter ſumpti, quatenus vox per ſignificationem formatur ad hoc, quòd ſit ſubſtractum ſecundæ intentionis termini. Ex quo ſolùm infertur ſignum eſſe, quid de materiali neceſſariò præſuppoſitum ad rationem termini formaliter ſumpti, in quo ſenſu intelligendus eſt ſapientiſsimus magiſter Soto.

Ad cõfirmationem dicatur, quòd ſignum partiale formaliter conſtituitur per ordinem ad ſignatũ partiale, ſupra quem fundatur alius ordo ad propoſitionem, qui conſtituit formaliter terminum. Vndè ſignum partiale ſolùm eſt, quid eſſentialiter præſuppoſitum ad rationem termini.

5 Obijcies vltimo. In vltima differentia termini intelligitur cõponere propoſitionem ſignificatiuè; ergo ſignificare eſt genus termini patet conſequentia. Quia in vltima differentia hominis intelligitur animal, animal eſt genus illius. Antec. autem prob. Ideo *blitãri* non conuenit vltima differẽtia termini, quia non cõponit ſignificatiuè propoſitionem; ergo in vltima differentia termini intelligitur componere propoſitionem ſignificatiuè. Confirm. Illud eſt genus ad terminũ, in quo radicatur vltima differentia termini. ſed vltima differẽtia termini radicatur in ſignificatione; quandoquidem eſt cõponere propoſitionẽ ſignificatiuè; ergo ſignificare eſt genus ad terminum. Reſp. quòd ſignificare intelligitur in vltima differẽtia termini, non tanquam genus, ſed tanquam fundamentũ. Sicut albedo intelligitur in vltima differentia relationis ſimilitudinis albi ad albũ, & generatio in vltima differentia paternitatis, & ſicut optimè colligitur ex eo, quòd aliquis non generauit, quòd non habet relationem paternitatis, ita ſimiliter benè colligitur ex eo,

quòd

quòd aliqua vox non sit signum quòd non sit terminus. Non quia illi deficiat genus termini, sed quia illi deficit fundamentum necessario requisitum ad rationem termini. Ad confirmationem dicatur, quòd vltima differentia termini radicatur in significatione tanquam in ratione necessariò præsuppositа ad rationem termini, non tamen, tanquam in ratione generica propter dicta in ratione probatiua nostræ conclusionis.

QVÆSTIO III.

Vtrùm hæc propositio. Terminus est vox sit vera?

1 REsolutorie dicendum est hãc propositionem esse veram. Hæc conclusio probatur vnica ratione. Propositio affirmatiua in qua extrema supponunt pro eodem est vera, sed prædicta propositio est affirmatiua in qua extrema supponunt pro eodem; ergo est vera. Min. prob. Subiectum prædictæ propositionis, cum sit concretum, supponit pro subtracto termini, quòd est vox: ac proinde supponit pro voce, sed prædicatum etiam supponit pro voce; ergo idem est id pro quo supponit subiectum, & id pro quo supponit prædicatum: ac per consequens extrema prædictæ propositionis supponunt pro eodem. Vndè propositio erit vera.

2 Contra istam conclusionẽ obijcies primò. Pars non potest prædicari de toto: sed vox est pars termini; ergo non potest verè prædicari de termino. Dices, quod pars phisica non potest prædicari de toto, benè verò pars metaphisica, quæ est simul totum potentiale continens in potentia quidquid est in toto, vt diximus in Logica lib. 3. capitulo de genere. Sed contra replicatur. Pars phisica etiam continet in potentia quidquid est in toto; & tamen non potest prædicari verè de toto; ergo solutio est nulla. Minor constat. Nam hæc propositio, homo est materia prima, est falsa. Maior verò probatur. Materia prima est pars phisica continens in potentia quidquid est in toto: & tamen non prædicatur de toto; ergo quamuis pars metaphisica contineat in potentia quidquid est in toto, non prædicabitur verè de illo. Secundò impugnatur prædicta solutio. Vox non est pars metaphisica termini; ergo solutio est nulla. Prob. antec. vox solùm est subiectum termini; ergo non est pars metaphisica illius. Respõdetur solutionem dãdam esse legitimam, & ad replicam dicatur, quòd materia prima, licèt contineat in potẽtia phisica, quid quid est in toto: tamen dicit priuationem illius: & cum priuatio formæ non possit verè prædicari de composito substantiali habente formam: hinc prouenit, quòd hæc propositio est falsa *homo est materia prima*. At verò vox contiret in potentia per modum subiecti non dicentis priuationem quid-

quidquid est in toto. Vndè non est eadem ratio. Quæ solutio magis constabit ex dicendis in solutione sequentis argumenti. Insuper est alia ratio discriminis, quæ consistit in hoc, quòd materia prima solùm supponit pro materia prima. Compositum autem substantiale supponit pro toto composito. Vndè extrema huius propositionis *homo est materia prima*, non supponunt pro eodem. Secus verò contingit in ista propositione, *terminus est vox*, vt constat ex probatione conclusionis. Ad secundam replicam dicatur, quòd verùm est vocem non esse partem metaphisicam termini; cæterum quantũ ad hoc, quòd est prædicari de termino, sortitur munus partis metaphisicæ. Quia sicut pars metaphisica est totum potentiale determinabile per differentiam, ita vox est subiectum potentiale determinabile per secundam intentionem termini: & cum in cõcretis *cum his*, & accidentalibus, ratio subsistendi sumatur à materia, pro qua supponunt: hinc prouenit, quòd vox, quæ est materia huius concreti *terminus* verè prædicetur de illo.

3 Obijcies secundò. Hæc propositio *cathedra est lignũ* absolutè negatur à Philosofo septimo metaphisicæ, & à Diuo Thoma in eodem loco; ergo pariter, hæc propositio *terminus est vox* absolutè debet negari. Patet consequentia. Sicut enim cathedra fit ex ligno; ita terminus fit ex voce; ergo si prima propositio absolutè negatur ab Aristotele, ita secunda absolutè ab eius discipulis debet negari. Confirmatur. Ens reale non potest verè prædicari de ente rationis: sed vox est ens reale, & terminus est ens rationis; ergo vox non potest verè prædicari de termino. Ad hoc argumentum multi multa dicunt. Quorum solutionibus omissis, respondetur concedendo antecedens, & negando consequetiam. Disparitas consistit in hoc, quòd cathedra fit ex ligno importante priuationem cathedræ, & cum priuatio nõ possit prædicari de illo, quòd habet formam, hinc prouenit hanc propositionem esse falsam, *cathedra est lignum*. At verò terminus fit ex voce tanquam ex subiecto non dicente priuationem termini; quapropter vox poterit verè de termino prædicari; quæ solutio desumitur ad litteram ex Diuo Thoma supra locum citatum Aristotelis, vbi enim ait Angelicus magister, quòd quando aliquid fit ex aliquo significato per nomen importans priuationem, id ex quo fit non potest verè prædicari de illo, quòd fit. Vndè negatur hæc propositio *Sanus est infirmus*; quia sanus fit ex infirmo, & hoc nomẽ *infirmus* importat priuationem sanitatis. Cæterum quando aliquid fit ex aliquo significato per nomen importans meram rationem subiecti, tunc id ex quo fit potest verè prædicari de illo, quod fit. Quapropter concedit Angelicus

licus præceptor hanc propositionem *sanus est homo*; quia licèt sanus fiat ex homine, tamen hoc nomen *homo* non importat priuationem sanitatis, sed merum subiectum illius: cum autem hoc nomen *lignum* importet rationē materiæ formæ artificialis cathedræ, & etiam priuationem illius; quia (vt ait Diuus Thomas) *in aliquibus priuatio est immanifesta, & innominata, vt priuatio cuiuscumque formæ artificialis in ære. Et ideò vtimur materia pro materia, & priuatione simul*: hinc prouenit, quòd hoc nomen *lignum* importet priuationem cathedræ, & quòd de cathedra non possit verè prædicari. Si autem inquiras, cur hoc nomen *vox* non importat priuationem termini. Respondeo primo, rationem esse, quia in significatione nominum consulendæ sunt aures (vt ait sapientissimus Magister Soto) & attendendus est modus concipiendi, quando enim audimus hoc nomen *vox*, nō concipimus priuationem termini, sed subiectum illius; quando verò audimus hoc nomen *lignum*, priuationem formæ artificialis cathedræ concipimus. Insuper assigno aliam rationem. Nam lignum permutatur, & aliquid ab illo auferetur per instrumētum artificiale physicum, ad hoc quod ex illo fiat cathedra. At verò vox non permutatur physicè per hoc, quòd aliquid ab illa auferatur, ad hoc, vt ex illa fiat terminus. Quapropter hoc nomen *vox* importat solum rationē subiecti respectu termini, & non priuationem illius. Secus verò se habet hoc nomen *lignum* respectu cathedræ. Denique assigno aliā rationem. Nam forma artificialis cathedræ physicè educitur ex ligno. At vero secunda intentio termini non educitur physicè ex voce, sed fit per intellectum, ita vt vox solum sit subiectum denominationis illius. Quo circa hoc nomen *lignum* importabit priuationem cathedræ, & hoc nomen *vox* non significabit priuationem termini. Si autem istæ rationes arguenti displiceant, inquiratur ab illo, cur hoc nomen *homo* non importat priuationem sanitatis, sed subiectum illius, vt docet Diuus Thomas loco proximè citato, & quòd ipse dixerit, nos respondimus. Ad cōfirmationem dicatur, quòd licèt terminus pro formali sit ens rationis, tamen pro materiali est ens reale, quòd sufficit ad hoc, vt vox verè prædicetur de termino, quia terminus non supponit pro formali, sed pro materiali, quòd est vox. Qua propter subiectum, & prædicatum huius propositionis. *Terminus est vox*, supponunt pro eodem, & consequenter propositio est vera.

4 Obiicies vltimo. Abstractum non potest verè de concreto prædicari: sed vox est abstractum, & terminus est concretum; ergo vox non potest verè prædicari de termino. Minor probatur. Hoc nomen *vocalis*, vel *vocale* est con-

concretum; ergo hoc nomen *vox* erit abstractum. Confirmatur. Hæc propositio, *terminus est vox non significatiua* est falsa; ergo etiã hæc propositio terminus est vox erit falsa. Patet consequentia. Nam vox non dicit vocem significatiuam sed à significatiua, & non significatiua præscindit. Respondetur admittendo maiorem, & negando minorem. Vox enim habet duplex concretum nimirum hoc nomen *vocalis vel vocale*, & hoc nomen *vox*. Abstractum autem illius est hoc nomen *vocalitas*, vel *voceitas*. Sicut homo habet duplex cõcretum, nempè hoc nomen, *humanum*, vel *humanatum*, & hoc nomen *homo*. Abstractum verò illius est hoc nomen *humanitas*. Vel secundo dicatur, quod licet hoc nomen *vox* esset abstractum adhuc prædicta propositio esset vera. Quia vox est substractum secundæ intentionis termini. Quapropter extrema prædictæ propositionis supponerent pro eodem. Eo quod vox supponeret pro voce, & terminus etiam supponeret pro voce, quia supponit pro substracto, quod est vox, sicut ob hanc rationem concedũt logici istam propositionẽ, *species est specieitas*, & nos illam concessimus in libro de prædicationibus. Ad confirmationẽ concedimus antecedens, & negamus consequentiã. Cuius ratio est. Nã hoc nomẽ *vox non significatiua* determinatè importat priuationem termini, vel priuationẽ substracti termini. Et ideò hæc propositio, *terminus est vox non significatiua* est *falsa*. At verò hoc nomẽ *vox* non importat determinatè priuationẽ substracti termini, sed præscindit à voce significatiua, & nõ significatiua, vtramque in potentia continẽdo. Cum autẽ ad hoc, vt propositio sit vera, sufficiat, quod prædicatũ contineat in potentia, quidquid in actu dicit subiectum: hinc fit, quod hæc propositio, *terminus est vox* sit vera. Et instо argumẽtũ. Nã negatur hæc propositio, *homo est animal non rationale*, & cõceditur ista, *homo est animal*; ergo similiter negabitur hæc propositio *terminus est vox non significatiua*, & concedetur ista *terminus est vox*.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm hæc propositio, terminus est ens rationis sit vera?

1 TOta igitur difficultas consistit, an iste terminus *ens rationis* sit cõnotatiuus, & supponat pro habente entitatẽ rationis in quo fundãtur Authores defendẽtes prædictã propositionẽ esse verã. Pro quo suppono rationes trãscẽdentales: Cũ transcẽdãt omnẽ rationẽ cuiuscumque rei, siue sumantur in cõcreto, siue in abstracto prædicantur de quacũque re. Et ipsæ in abstracto significatæ prædicãtur de seipsis in concreto significatis & è conuerso, ita vt hæc propositio sit vera, *entitas est ens*, & etiã ista, *ens est entitas*. Et ratio est. Nam ipsa ratio entis potest accipi per modum formæ, & tũc dicitur entitas, & etiã potest accipi per modũ subiecti habentis

entitatem, & tunc dicitur ens. Cæterum quando ratio entis sumpta per modum subiecti dicitur ens ab entitate, non denominatur à forma à se distincta, sed ab eadem forma entis sub conceptu formæ considerata. Ex quo vlterius sequitur nomina connotatiua esse in duplici differentia. Alia enim connotant formam distinctam à subiecto, pro quo supponunt. Vt album significat albedinem, quæ distinguitur *à corpore pro quo* ly *album* supponit. Alia enim important formam nullo modo distinctam ab ipso subiecto habente formam. Vnde cum eadem forma possit distingui ab aliquo subiecto, & non distingui à se ipsa concepta per modum subiecti, diuersis nominibus connotatiuis significatur, verbi gratia, entitas rationis significatur in concreto per istos duos terminos, scilicet, *entitatiuum rationis*, *ens rationis*: cum hac tamen differentia, quod ly *entitatiuum* rationis significat entitatem rationis secundum quod est forma distincta à subiecto pro quo supponit. Ly autem *ens rationis* significat entitatem rationis, quatenus non distinguitur nisi in modo significandi à subiecto pro quo supponit ly *ens rationis*. Quando autem forma significata ita est transcedens, quod à nullo subiecto distinguitur, tunc in re idem est vnus terminus connotatiuus, ac alius. Idem enim est *ens, & entitatiuum*. Quando quidem de nullo prædicatur *ens*, de quo non prædicetur *entitatiuum*. At verò quando forma non est ita transcendens, quod ab aliquo subiecto non distinguatur, non de quocumque prædicatur vnus terminus connotatiuus, prædicatur, & alius. Vt non de quocumque prædicatur *entitatiuum rationis*, prædicatur *ens rationis*.

2 Hoc supposito resolutoriè dicendum est prædictam propositionem esse falsam. Probatur hæc conclusio. Entitas rationis distinguitur à subiecto, pro quo supponit ly *terminus*; ergo hæc propositio, *terminus est ens rationis* est falsa. Patet consequentia. Ens enim rationis prædicatur in prædicta propositione de subiecto, pro quo supponit ly *terminus*; ergo si ens rationis distinguitur à subiecto pro quo supponit ly *terminus*, extrema prædictæ propositionis non supponunt pro eodem, & consequenter erit falsa. Antecedens autem principale probatur. Subiectum, pro quo supponit ly *terminus*, est vox, vel scriptura, aut conceptus: sed ens rationis distinguitur à voce, à scriptura, & à conceptu; ergo entitas rationis distinguitur à subiecto, pro quo supponit ly *terminus*. Confirmatur hæc ratio. Extrema prædictæ propositionis nō supponunt pro eodem; ergo prædicta propositio est falsa. Consequentia est euidens. Antecedens verò probatur. Subiectum supponit pro voce, & prædicatum pro en-

entitatē rationis: sed vox, vt potè ens reale distinguitur ab entitate rationis; ergo non est idem id pro quo supponit subiectum, & id pro quo supponit prædicatum, & consequenter extrema prædictæ propositionis non supponunt pro eodem.

3 Contra istam conclusionem obijcies primo. Hæc propositio est vera, *diffinitum in diffinitione termini est ens rationis*; ergo pariter hæc erit vera, *terminus est ens rationis*. Probatur consequentia. Diffinitum in diffinitione termini est terminus; ergo si hæc propositio est vera, diffinitum in diffinitione termini est ens rationis, etiam hæc erit vera, terminus est ens rationis. Respondetur concedēdo antecedens, & negando consequentiam. Disparitas autem consistit in hoc, *nam* ly *diffinitum* supponit pro ratione, quæ diffinitur. Cum autem ratio, quæ diffinitur in diffinitione termini sit secunda intentio *rationis*: hinc prouenit, quod ly *diffinitum* supponat pro entitate rationis, pro qua supponit ens rationis. Vnde extrema huius propositionis, *diffinitum in diffinitione termini est ens rationis* supponunt pro eodem. At verò ly *terminus* supponit pro voce, pro qua non supponit ens rationis. Vnde extrema huius propositionis *terminus est ens rationis* non supponunt pro eodem; & consequenter prædicta propositio est falsa. Ista autem propositio *diffinitum in diffinitione termini est terminus* est vera. Nam diffinitum supponit pro secunda intentione termini significata in concreto, & ly *terminus* supponit pro voce denominata à secunda intentione termini, quod est idem, ac supponere pro secunda intentione termini in concreto significata. Vnde extrema prædictæ propositionis supponunt pro eodem, & cōsequenter est vera. Videantur logici in diffinitione generis similem doctrinam tradentes.

4 Obijcies secūdo. Ens rationis verè prædicatur de formali termini: sed in prædicta propositione ens rationis prædicatur de formali termini; ergo prædicta propositio est vera. Minor probatur. Terminus secundæ intentionis cōueniens rebus, & nō vocibus appellat suprà formale subiecti. Vt ait sapientissimus Magister Soto in regulis appellationis simplicis: sed prædicatum prædictæ propositionis est terminus secundæ intentionis conueniens rebus, & non solum vocibus; ergo ens rationis in prædicta propositione prædicatur de formali termini. Confirmatur hoc argumētū primo. Hæc propositio est vera, *terminus est habens entitatem rationis*; ergo hæc etiam erit vera, *terminus est ens rationis*. Probatur consequentia. Omnis terminus connotatiuus prædicatur verè de subiecto habēte formam per terminum connotatiuum significatam; sed ly *ens rationis* est terminus connotatiuus; ergo verè prædi-

d cabitur de habente entitatem rationis. *Minor probatur. Ly ens rationis* differt in modo significādi à ly *entitas rationis*: sed ly *entitas rationis* est terminus absolutus significans entitatem rationis in abstracto; ergo ly *ens rationis* est terminus connotatiuus significans entitatem rationis in concreto. Cōfirmatur secundo. Hæc est bona consequentia, *habet entitatem realem; ergo est ens reale*; ergo similiter hæc erit bona, *habet entitatem rationis; ergo est ens rationis*; ac per consequens si hæc propositio est vera, terminus habet entitatē rationis, hæc etiam erit vera, terminus est ens rationis. Respondetur concedendo maiorem, & negādo minorē. Ad probationē dicatur, quod illa regula debet intelligi, quando prædicatū est secūdæ intētionis, & est terminus connotatiuus importans formā distinctā à subiecto, pro quo supponit. Nam in absolutis non habentibus proprietates termini connotatiui, prædicta regula non tenet. Vt in prædicto loco fatetur sapientissimus Magister Soto. Cūautē prædicatū prædictæ propositionis non sit terminus cōnotatiuus significans formam distinctā à subiecto, pro quo supponit; hinc prouenit, quod non appellet sub formale subiecti. Ad primā confirmationem concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem dicatur, quod licet terminus connotatiuus importans formam distinctā à subiecto verè prædicetur de subiecto habente formam. Vt hæc propositio est vera, *homo est albus*, tamē terminus connotatiuus non importans formam distinctā à subiecto, pro quo supponit non verè prædicatur de subiecto habente formam. Quia huiusmodi cōnotatiuus, cum supponat pro forma considerata per modum subiecti, quantum ad prædicari, idem est; ac si esset absolutus, & abstractus. Et cum ly *ens rationis*, licet sit terminus connotatiuus, nō importet formam distinctam à subiecto, pro quo supponit: hinc prouenit, quod solum supponat pro forma distincta à voce, pro qua supponit terminus, & quod verè non prædicetur de termino. Ad secūdam cōfirmationē dicatur, quod illa prima consequentia est bona materialiter. Eo quod ens rationis nō potest esse subiectū entitatis realis, vnde habens entitatem realē, & ens reale idem sunt. Cæterū si ens rationis posset esse subiectū entitatis realis, illa cōsequētia malaesset, & instaretur in alia similis formæ, nimirū in ista *habet entitatem rationis; ergo est ens rationis*. Cum autē ens reale possit esse subiectū entitatis rationis hinc prouenit, quod non est idē *habens entitatem rationis*; ac *ens rationis*. Nam *habens entitatem rationis* potest supponere pro ente reali, & *ens rationis* semper supponit pro ente rationis.

5 Obiicies vltimo. Hæc propositio, *relatiuum rationis est ens ratio-*

tionis, est vera ; ergo etiam ista erit vera, *terminus est ens rationis*. Probatur consequentia. Terminus est relatiuum rationis: ergo si hæc propositio est vera *relatiuum rationis est ens rationis*, etiam hæc erit vera *terminus est ens rationis*. Confirmatur. Hæc propositio absolutè est vera, genus *est ens rationis*; ergo & hæc absolutè erit vera *terminus est ens rationis*. Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam. Disparitas autem est, quod ly *relatiuum rationis* aliquãdo supponit pro aliquo ente rationis denominato à relatione rationis. Et ideò hæc propositio *relatiuum rationis est ens rationis*, cũ sit indefinita est vera. At vero terminus nunquam supponit pro aliquo ente rationis. Quapropter hæc propositio *terminus est ens rationis* semper est falsa. Hæc autem *terminus est relatiuum rationis* etiam est vera, quia ly *relatiuum rationis* est terminus cõnotatiuus importans formam distinctam à subiecto, pro quo supponit. Vnde aliquando supponit pro ente reali, & aliquando pro ente rationis. Quapropter verificatur hæc propositio *terminus est relatiuum rationis*. Quia aliquod ens reale, quale est subſtractum termini potest denominari à relatione rationis, & esse relatiuum rationis. Ad confirmationem concedo antecedens, & nego consequentiam. Ratio discriminis est, quia subſtractum generis aliud est ens reale, & aliud ens rationis. Quo circa *ista indefinita genus est ens rationis* est vera. Quandoquidem aliquod subſtractum generis aliquando est ens rationis. At vero ly *terminus* semper importat subſtractum, quod est ens reale. Vnde semper erit falsa hæc propositio, *terminus est ens rationis*.

QVÆSTIO V.

Vtrùm vltima differentia termini sit componere propositionem?

1 REsolutoriè dicendum est vltimã differentiã termini esse secundã intẽtionẽ partis, ratione cuius terminus, vt pars refertur ad propositionẽ. Hęc cõclusio probatur hac vnica ratione. Vltima differentia termini est esse partẽ propositionis. Sed per secundam intentionem rationis constituitur in ratione partis propositionis; ergo secunda intentio rationis, per quam terminus, vt pars refertur ad propositionem est vltima illius differentia. Maior patet. Constitutiuum enim, & distinctiuum alicuius rei sunt idem: sed terminus per esse partem propositionis distinguitur ab omni alio, quod non est terminus; ergo vltima differentia termini est esse partem propositionis. Minor verò principalis probatur. Per secundam intentionẽ rationis terminus refertur ad propositionem

non relationē totius; ergo relatione partis; ac per consequens per secundam intentionem rationis constituitur terminus in ratione partis.

2 Contra istam conclusionem obijcies primo. Componere propositionem conuenit propositioni; ergo non est vltima differentia termini distinguens terminum à propositione. Antecedens probatur. Hæc propositio *homo est animal* componit hanc propositionem, *homo est animal est verum*: ergo componere propositionem conuenit propositioni. Confirmatur. Componere propositionem conuenit diffinitioni; ergo non est vltima differentia termini. Probatur antecedens. Diffinitio componit hanc propositionem, *homo est animal rationale*, in qua prædicatum est diffinitio hominis. Ergo componere propositionem conuenit diffinitioni. Respondetur vltimam differentiam termini non esse componere propositionem quo modocumque, sed componere illam per se, id est, tanquam pars, quæ per primam formam ordinatur per se ad propositionē componendam; vna autem propositio, si aliam componit solum est per accidens. Quia per primam formam quam habet, nimirum per secundam intentionem propositionis, nunquam aliam componit, sed componit aliam, per secundam intentionē incompletam termini illi posteà aduenientem: cum autem omnis forma, quæ post primam formā venit sit per accidens: hinc prouenit, quod propositio solum per accidens aliam propositionem componat. Recolantur dicta in prima quæstione huius disputationis. Ad confirmationem eodem modo dicatur. Sed contra istam solutionem replicatur primo. Vltima differentia alicuius rei, nec per accidens potest alteri conuenire; ergo si componere propositionē conuenit propositioni per accidens, non est vltima differentia termini. Antecedens probatur. Vltima differentia hominis, nec per accidens potest equo conuenire; ergo vltima differentia alicuius rei, nec per accidens potest alteri conuenire. Secundo. Vna propositio componit aliam per se; ergo solutio est nulla. Probatur antecedens. Hæc propositio, *homo est animal est verum*, est totum per se; ergo hæc propositio *homo est animal* componens illam, componit illam per se. Probatur consequentia. Totum habet esse à partibus; ergo totum per se habet esse à partibus per se; ac per consequens si hæc propositio *homo est animal est verum* est totum per se, etiam hæc propositio, *homo est animal*, erit pars illius per se. Respondetur solutionem datam esse legitimam. Et ad primā replicam dicatur cōponere propositionem eo modo quo est vltima differentia termini, nec per ac-

accidens competere propositioni. Nam componere propositionem, vt est vltima differentia termini est componere illam per modum partis per se ordinatę ad propositionem componendam. Et hoc modo cõponere propositionem, nec per accidens competit propositioni. Ad secundam replicam dicatur, quod ad hoc vt hæc propositio, *homo est animal est verum* sit totum per se, non requiritur, quod omnes partes sint partes per se perfeitate partis, sed sufficit, quod fiat partes per se, perfeitate ordinis, id est, quod cum ordine ingrediantur. Sicut propositio hypotetica est totum per se, & tamen chathegoricæ illam componentes, non sunt partes per se. Et similiter numerus non est totum per accidens, & tamen partes illum componentes non habent aliam perfeitatẽ, nisi perfeitatem ordinis. Illa autem consequentia, *totum habet esse à partibus*; ergo *totum per se à partibus per se*, non valet, nisi distinguatur consequens à partibus per se perfeitate ordinis; concedo consequentiam: à partibus per se nego consequentiam. Vel secundo dicatur, quod ad hoc quod aliquod totum sit totum per se, sufficit, quod pars formalis illius sit pars per se, non tamẽ requiritur, quod omnes partes sint partes per se. Sicut ad hoc quod aliquod totũ sit formale, sufficit, quod aliqua pars, quæ est forma illud componat formaliter, vt constat in propositione chathegorica cepta ex vocibus ne significatui: cum autem copula sit forma propositionis, sufficit, quod copula sit pars per se, & forma, is ad hoc, quod propositio cõposita sit totũ per se, & per se. Vnde in illa consequetia, quali variatur appellatio, nã in antecedẽti totum appellat infra quamlibet partem, & in consequenti totum appellat supra aliquam partem, nimirum supra formam, à qua habet propositio aliquam veritatem complexam significare. Et intto consequentiam faciam in argumento. Hæc enim est mala consequentia, *propositio copulativa habet esse à partibus*; ergo *propositio copulativa falsa habet esse a partibus omnibus falsis*; cum possit esse falsa, vna sola parte existente falsa. Similiter ergo consequentia facta in argumento non valebit.

3 Obijcies secundo. Componere propositionẽ conuenit prædicato in quantum prædicatum; sed prædicatum in quãtum prædicatum non est terminus; ergo componere propositionem non est vltima differentia termini. Minor probatur. Prædicatum in quantum prædicatum non recipit propositionem; ergo non est terminus. Confirmatur. *Elidiri* est prædicatum formaliter: & tamen non est terminus; ergo prædicatum formaliter non est terminus. Respondetur negando

maiorem. Prædicatam enim reduplicatiuè in quantum prædicatum non habet componere propositionem. Quia per secundam intentionē prædicati solum respicit subiectum, & subiectum per secundam intentionem subiecti solum respicit prædicatum. Secunda autem intentio termini non respicit prædicatum, nec subiectum, sed propositionem. Vnde eadem vox per diuersam secundam intentionem constituitur in ratione termini, & in ratione prædicati, & subiecti. In ratione enim prædicati constituitur per secundam intentionem relationis ad subiectum, & in ratione subiecti per relationem ad prædicatum, in ratione vero termini constituitur per secundam intentionem partis respicientis propositionem. Quapropter secunda intentio subiecti, & secunda intentio prædicati, & secunda intentio termini sunt intentiones distinctæ, licet secunda intentio termini, quæ est ordo compositiuus propositionis ad secundam intentionem subiecti, & prædicati, quæ sunt ordines actualiter componentis præsupponatur. Ad confirmationem, quatenus nobis potest obstare dicatur quod *blyclini* non est predicatum formaliter, non quia illi deficiat secunda intentio prædicati, sed quia illi deficit secunda intentio termini, quæ præsupponitur ad secundam intentionem prædicati. Vnde secunda intentio prædicati, solum incompletè erit in ista voce *blyclini*. Quia hæc vox non est subtractū proprium sui, & à se petitum.

4. Obijcies tertio. Terminus extra propositionem est terminus; & tamen extra propositionem non componit propositionem; ergo vltima differētia termini non est componere propositionem. Dices terminum extra propositionem non componere propositionem actu, componere tamen illam potentia. Vltima enim differentia termini non est componere propositionem actu, sed in potentia. Sed contra replicatur; ergo terminus extra propositionem solum est in potentia terminus. Probatur consequentia. Solum in potentia componit propositionem; ergo extra propositionem solum est in potentia terminus. Patet consequētia. Nam solum in potentia conuenit termino extra propositionem componere propositionem. Secundo. Hæc propositio est impossibilis, terminus extra propositionem potest componere propositionem; ergo terminus extra propositionem non habet potentiam ad illam componendam. Probatur antecedens. Propositio de inesse huius propositionis, *terminus extra propositionē potest componere propositionem*, est impossibilis; ergo etiam ipsa modalis erit impossibilis. Probatur antecedens, propositio de inesse illius modalis est ista, *terminus extra pro-*

propositionem componit propositionem. Sed hæc est impossibilis; ergo propositio de inesse illius modalis est impossibilis; & consequenter ipsa modalis impossibilis erit secundum regulam sapientissimi Magistri Soto, libro tertio Summularum, capitulo sexto, lectione tertia, notabili secundo. Respondetur solutionem datam esse legitimam, & ad primam replicam negamus consequētiam; licet enim terminus extra propositionem actu non componat illam, tamen actu refertur ad illam per relationem partis compositiuæ. Qua propter extra propositionem actu est terminus; quia actu habet relationem compositiui, in qua consistit vltima differentia termini. Ad secundam replicam dicatur, quod hæc propositio modalis, terminus *extra propositionem potest cōponere propositionē* non est impossibilis, quamuis sua de inesse sit impossibilis, quia veritas propositionis modalis diuisæ, qualis est ista, non debet probari per suam de inesse, sed per suas resoluentes dicendo, hoc potest componere propositionē, signato termino, & hoc potest esse terminus extra propositionē; ergo terminus extra propositionem potest componere propositionem, quæ resoluentes sunt veræ, quia ly *potest* non facit sensum compositum, sed diuisum. Videatur sapientissimus Magister Soto loco citato. Et hæc dicta sufficiant de ista disputatione applicando litteræ sapientissimi Magistri Soto libro primo Summularum, capitulo secundo, lectione secunda.

DISPVTATIO dezima, de terminis in particulari.

QVÆTIO I.

Vtrùm diffinitio termini mentalis sit bona?

1 TErminus mentalis sic diffinitur à sapientissimo Magistro Soto. *Est notitia formaliter significatiua.* Quo supposito resolutoriè dico primo. Hæc diffinitio est bona. Hæc conclusio constabit ex solutione argumentorum. Dico secundo. Terminus mentalis est aliquid rationis. Probatur hæc conclusio. Terminus mentalis formaliter constituitur per relationem partis ad propositionem mentalem; sed hæc relatio est secunda intentio rationis. Quando quidem non existit à parte rei, ergo terminus mentalis est formaliter aliquid rationis.

2 Contra primam conclusionem obiicies primo. Illa particula *formaliter significatiua* nō est necessaria in diffinitione termini mentalis; ergo diffinitio est mala. Probatur antecedens. Omnis notitia est formaliter significatiua; ergo si in diffinitione termini men-

mentalis ponitur illa particula *notitia*, superfluit illa *est formaliter significatiua*: si dicas illam particulam poni ad maiorem explicationem. In contrarium est. illa particula ponitur ad excludenda signa ad placitum; ergo non ponitur ad maiorem explicationē: Respondetur illam particulam non tantum ad maiorem explicationem poni, sed vt excludat notitias non significantes à significantibus. Non enim omnis notitia est significatiua. Notitia enim visiua hominis. Cum non producat verbum non est formaliter significatiua.

3 Contra secundam conclusionem obijcies. Impossibile est, quod ens reale contrahatur per differentiam rationis: sed conceptus est signū reale, quod contrahitur per differentiam termini mentalis; ergo differentia vltima termini mentalis nō potest esse aliquid rationis. Maior probatur: ex contracto, & contrahente fit vnica essentia: sed ex ente reali, & rationis non potest fieri vnica essentia; ergo aliquid reale est impossibile, quod contrahatur, per differentiam rationis. Confirmatur. Id quod habēt termini vocales, suppositā impositione, habent termini mentales ex natura sua: sed termini vocales, suppositā impositione intrinsicè, & realiter, dicunt ordinem ad propositionem; ergo termini mentales ex natura sua dicunt ordinem ad propositionem. Respondetur concedendo maiorē, & negādo minorem, vt enim diximus in secunda quæstione præcedētis disputationis, signum nō est genus, quod contrahatur per differentiam termini; sed totū est subtractum illius, licet enim aliquod ens reale non possit cōtrahi per differentiam rationis, tamen potest esse, subtractum alicuius secundæ intentionis rationis. Vnde licet conceptus sit signum reale, poterit esse subtractum denominabile à secunda intentione partis, per quam refertur ad propositionem. Ad confirmationem dicatur, quod sicut termini vocales suppositā impositione indigent secunda intentione partis, vt referantur ad propositionem, ita termini mentales indigent secunda intentione partis suppositā sua naturali significatione, vt referantur ad propositionem. Ex quo solum infertur secundas intentiones termini mētalis, vocalis, & scripti differre tantum accidētaliter, & ex parte subiecti, quod nos libenter fatemur.

QVÆSTIO II.

Vtrùm diuisio termini in vocalem, mentalem, & scriptum sit essentialis, & vniuoca?

1 RESolutoriè dico primo. Prædicta diuisio est accidentalis. Hæc conclusio probatur hac vnica ratione. Prædicti termini solum distinguuntur ex

ex parte subſtracti; ergo prædicta diuiſio eſt accidentis in ſubiecta, ac per conſequens eſt accidētalis. Probo antecedens ſecunda intentio partis conſtituens iſtos tres terminos, ſolum diſtinguitur per hoc, quod in ſcripto habet pro ſubſtracto ſcripturā, & in vocali habet pro ſubſtracto vocem & in mētali habet pro ſubſtracto conceptum; ergo prædicti termini ſolum diſtinguūtur ex parte ſubſtracti. Confirmatur. Diuiſio albi in hominē, & equū, in amarum, & in dulce ſolum eſt accidentalis; ergo pariter diuiſio ſecundæ intentionis termini in vocem, ſcripturam, & conceptum ſolum erit accidentalis.

2 Dico ſecundo. Prædicta diuiſio eſt vniuoca. Hæc concluſio brebiter probatur. Secunda intentio partis ſimpliciter participatur à termino vocali, mentali, & ſcripto, ſine dependentia vnius ab alio; ergo prædicta diuiſio eſt vniuoca. Probatur antecedens. Omnes iſti prædicti termini ſunt ſimpliciter termini, & ſimpliciter reſpiciunt propoſitionem, vt partes illius; ergo ſecunda intētio termini ſimpliciter participatur ab iſtis terminis.

3 Contra primum concluſionem obijcies. Conceptus, vtpotè ſignum naturale, & ens reale, eſſentialiter diſtinguitur à voce, & à ſcriptura, quæ ſunt ſigna ad placitum; ergo terminus mētalis eſſentialiter diſtinguitur a vocali, & ſcripto. Confirmatur. Ens reale, & ens rationis non poſſunt vniuocè conuenire: ſed conceptus, vtpotè lignum naturale, eſt ens reale, & vox, & ſcriptura, vtpotè ſigna ad placitum ſunt entia rationis; ergo non poſſunt vniuocè conuenire. Reſpondetur, quod conceptus, licet ineſſe entis eſſentialiter diſtinguatur à voce, & à ſcriptura, tamen in ratione ſubſtracti ſecundæ intentionis termini cum voce, & ſcriptura vniuocè conuenit, & ſolum accidentaliter ab illis differt. Sicut ens reale, & ens rationis, licet ineſſe entis eſſentialiter diſtinguantur, & analogentur, tamen in ratione ſubſtracti ſecundæ intentionis generis vniuocantur, & ſolum accidentaliter differunt. Similiter homo, & equus licet diſtinguantur eſſentialiter in ratione entis, & ſecundum ſuas ſpeciales differentias tamen in ratione, albi, & in ratione ſubſtracti albedinis accidentaliter differunt. Ad confirmationem conſtat ex dictis, agētibus de ſigno naturali, & ad placitum, vbi docuimus diuiſionem ſigni in illis eſſe vniuocam. Vnde ſignum naturale, & ad placitum in ratione ſubſtracti ſecundæ intentionis termini, quod eſt ſignum vniuocè conueniunt.

4 Contra ſecundam concluſionem obijcies. Diuiſio hominis in hominem viuum, & pictum eſt analoga; ergo diuiſio termini in terminum vocalem, & ſcriptum analoga erit. Probatur conſe-

sequentia. Terminus scriptus est quædam pictura termini vocalis; ergo si diuisio hominis in viuum, & pictum est analoga, etiã diuisio termini in vocalem, & scriptum analoga erit. Respondetur, quod licet terminus scriptus sit quædam pictura termini vocalis, tamen habet eãdem formam, ac habet terminus vocalis, cuius est pictura. Quia eadem secunda intentio partis, quæ inuenitur in vocali, reperitur etiam in scripto. At vero homo pictus non habet eandem formam, ac habet viuus. Vnde non est eadem ratio.

QVÆSTIO III.

Vtrùm diuisio termini in terminũ vniuocum, & æquiuocum sit bona, & essentialis?

1 REsolutoriè dico primo. Prædicta diuisio est bona. Hæc conclusio probatur singula membra diuidentia huius diuisionis sunt inferiora diuiso, & simul sumpta exhauriunt totam confusionem diuisi; ergo prædicta diuisio est optima. Dico secundo. Prædicta diuisio est essentialis. Probatur hæc cõclusio. Differentiæ termini vniuoci, & termini æquiuoci contrahentes rationem termini vt sic differunt essentialiter; ergo prædicta diuisio est essentialis. Probatur antecedens. Relationes termini vniuoci, & æquiuoci, quæ sunt differentiæ constitutiuæ horum terminorum, habẽt diuersa essentialiter fundamenta; ergo ipsæ relationes essentialiter debent differre. Probatur antecedens. Relatio termini vniuoci ad propositionem fundatur in vna significatione, & relatio termini æquiuoci fundatur in pluribus significationibus: sed vna significatio, & plures significationes essentialiter distinguũtur; ergo fundamenta relationum quas dicunt prædicti termini ad propositionem essentialiter distinguuntur. Minor constat, Vnum enim & multa essentialiter distinguuntur.

2 Dico tertio. Prædicta diuisio est vniuoca. Hæc conclusio probatur. Terminus æquiuocus simpliciter participat rationem termini vt sic; ergo prædicta diuisio est vniuoca. Probatur antecedens. Terminus æquiuocus constituitur per vnam secundam intentionem termini fundatam in tribus secundis intentionibus signi; ergo est simpliciter vnus terminus. Probatur antecedens intellectus vtpotè reflexiuus supra tres secundas intẽtiones signi existentes in termino æquiuoco potest fundare vnam secundam intentionem termini, respectu cuius, tres secundæ intentiones signi se habent vt substractum; ergo terminus æquiuocus constituitur per vnam secundam intentionem termini fundatam in tribus secundis intentionibus signi. Ex dictis sequitur præ-

prædictam diuisionem esse generis in species; quod patet: omnis enim diuisio essentialis, & vniuoca est generis in species; sed prædicta diuisio est essentialis, & vniuoca, vt constat ex dictis; ergo prædicta diuisio est generis in species.

3 Contra primam conclusionem obijcies primo. Diuisum huius diuisionis conuertitur cum vno membro diuidente; ergo prædicta diuisio non est bona. Probatur antecedens. Diuisum est terminus vniuocus; sed vnum membrum diuidens etiam est terminus vniuocus; ergo diuisum conuertitur cum vno membro diuidente. Maior probatur diuisum est terminus in communi; sed terminus in communi significat sua significata, nimirum omnes terminos vnico conceptu, & prout conueniunt in ratione termini; ergo diuisum est terminus vniuocus. Respondetur negando antecedens. Licet enim terminus, vt sic, qui est diuisum sit vniuocus accidētaliter, & denominatiuè, quatenus denominatur à secunda intētione termini vniuoci, tamen nō est vniuocus vniuocans vt *quo* & essentialiter, sed solum est vniuocus vniuocatus, & vt quod. At verò membrum diuidens, nimirum terminus vniuocus est vniuocus vniuocans essentialiter, & vt *quo*. Vnde diuisum non conuertitur cum membro diuidente, nisi denominatiuè, & accidentaliter, quod non est inconueniens. Nam diuisio vniuersalis in quinque prædicabilia est bona: & tamen vniuersale, quod est genus diuisum cōuertitur accidentaliter cum genere, quod est membrum diuidens, quatenus ab illo denominatur.

4 Obijcies secundo. Membra huius diuisionis non distinguūtur inter se; ergo prædicta diuisio non est bona. Probatur antecedens. Vtrumque membrum diuidens est terminus vniuocus; ergo mēbra prædictæ diuisionis non distinguuntur inter se. Probatur antecedens. Terminus æquiuocus significat sua significata, scilicet, omnes terminos æquiuocos, vnico conceptu, & prout conueniunt in ratione termini æquiuoci; ergo terminus æquiuocus est vniuocus. Confirmatur. Membra huius diuisionis nō exhauriunt totam confusionem diuisi; ergo prædicta diuisio non est bona. Probatur antecedens. Terminus analogus continetur sub diuiso; & non sub aliquo ex membris diuidentibus; ergo membra diuidentia non exhauriunt totam confusionem diuisi. Respondetur, quod licet membra diuidentia huius diuisionis coincidant accidentaliter, & denominatiuè distinguuntur tamen essentialiter & suis rationibus formalibus. Quia terminus æquiuocus solum est vniuocus vniuocatus, & vt quod accidentaliter, & denominatiuè, quatenus

nus denominatur à secunda intentione termini vniuoci, qui est essentialiter vniuocus vniuocans *vt quo*. Vnde membra diuidentia non coincidunt essentialiter, sed solũ denominatiuè, in quo nullũ inuenitur inconueniens. Nam diuisio vniuersalis in quinque prædicabilia est bona, & tamen genus, quod est membrum diuidens coincidit accidentaliter, & denominatiuè cum specie, quæ est aliud membrum diuidens. Quandoquidem genus comparatiuè ad vniuersale, species ab specie denominatur. Et ratio huius à priori est. Nam in diuisione secundæ intentionis rationis in alias secundas intentiones, cũ vna secunda intentio possit accipi ab intellectu, vt substractum alterius; hinc prouenit, quod vnum membrum diuidens potest cum alio coincidere accidentaliter, & denominatiuè. Ad confirmationem dicatur, quod analogus vnius cõceptus ad vniuocum terminum reducitur; anologus verò plurium conceptuum ad terminum æquiuocum reducitur. Eo quod dialecticus non habet specialem considerationem de analogis.

5 Contra secundam conclusionem obijcies. Diuisio termini in vocalem, mentalem, & scriptum est accidentalis; ergo pariter diuisio termini in vniuocum, & æquiuocum erit accidentalis. Probatur consequentia. Ideò prima diuisio est accidentalis, quia prædicti termini solũ distinguũtur ex parte subtracti. Sed etiam terminus vniuocus, & æquiuocus distinguũtur solum ex parte subtracti; ergo si prima diuisio est ãccidentalis, etiam secunda accidentalis erit. Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentia. Ratio discriminis consistit in hoc, quod secunda intentio termini comparatur ad vocem, ad scripturam, & ad conceptum tãquam ad subtractum, in quo nulla est diuersitas in ratione fundandi secundam intentionem termini. Eo quod omnia illa subracta in ratione significandi requisita ad intentionem termini essentialiter conueniunt. At verò vox significans vniuocè, & vox significans æquiuocè in ratione signi & subtracti secundæ intentionis termini essentialiter distinguuntur. Quia vox significans vniuocè est vnum signum, vox autem significans æquiuocè est plura signa; cum ratio signi desumatur in ordine ad signatum, & vox significãs æquiuocè habet tria signata. Vnde fundamenta secundæ intentionis termini mentalis, scripti, & vocalis, non differunt essentialiter, sicut fundamenta secundæ intẽtionis termini vniuoci, & æquiuoci. Contra vltimam conclusionem obijcies primo. Hæc diuisio datur per vnum, & multa; sed diuisio per vnum & multa nõ est vniuoca; teste Diuo Thoma prima parte, quæst. 11. art. 1.

ad

ad 2. ergo hæc diuisio est analoga. Maior probatur. Hæc diuisio datur per vnam, & plures significationes; ergo datur per vnū, & multa. Confirmatur. Terminus æquiuocus excludit omnem vnitatem præter vnitatem vocis; ergo non habet vnam secundam intentionem termini. Probatur antecedens. Æquiuoca sunt quorum nomen est commune, ratio vero significata est omnino diuersa; ergo terminus æquiuocus præter vnitatem vocis omnem aliam excludit vnitatem. Respondetur negando maiorē. Licet enim diuisio signi in signū vniuocum, & æquiuocum sit per vnum & multa; quia signum æquiuocum non est vnum signum, sed plura signa, vt dictū est, tamen diuisio termini in terminum vniuocum, & æquiuocum non datur per vnum, & multa. Eo quod terminus æquiuocus nō constituitur in ratione vnius termini per significationē, sed per quandam secundam intentionem fundatam in tribus significationibus, per quam refertur ad propositionem, vnam in ratione propositionis, & plures in ratione signi, vt infra dicemus. Ad confirmationem dicatur cum Eminentissimo nostro Caietano capitulo primo de ante prædicamentis, quod æquiuoca non excludunt vnitatem intentionis rationis, per quam nomen æquiuocum constituitur; sed solum excludunt vnitatem significatorum. Si denique contra vltimum corollarium obijcies quod vniuocatio, & æquiuocatio sint proprietates termini; ac per consequens prædicta diuisio non erit generis in species. Respondetur, quod in præsenti non loquimur de vniuocatione, & æquiuocatione in actu secūdo sumpta pro significatione, sed de vniuocatione, & æquiuocatione radicali sumpta pro secunda intentione vniuocante, & æquiuocante. Licet enim vniuocatio, & æquiuocatio primo modo accepta sit proprietas termini; non tamen secundo modo sumpta.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm terminus æquiuocus, cui adiungitur adiectiuum vniuocū sit vniuocus?

1 REsolutoriè dico primò. Iste terminus *canis albus* est terminus æquiuocus. Hæc conclusio probatur hac ratione. Prædictus terminus complexus significat sua signata pluribus conceptibus; ergo est terminus æquiuocus. Probatur antecedens. Illud adiectiuum *albus* non restringit terminum æquiuocum pro aliquo solo significato; ergo prædictus terminus complexus significat sua significata pluribus conceptibus. Antecedens probatur. Illud adiectiuum *albus* est potens conuenire pluribus significantis de ly *canis*; ergo illud adiectiuū *albus*, non determinat ly *canis* pro

pro aliquo determinato significato. Confirmatur si ly *canis* imponeretur ad significandum ex canibus latrabilibus non omnes, sed aliquos determinatæ speciei, & ex marinis, non omnes, sed aliquos determinatos: tūc casus non esset dubium, quod esset terminus æquiuocus; sed quando dicimus *canis albus* ly *canis* præcisè determinatur non pro omnibus absolutè, sed pro albis; ergo non est dubium, quod sit terminus æquiuocus. Confirmatur secundo. Ita æquiuocè loquitur, qui dicit *canis est substantia*, ac ille, qui dicit *canis albus est substantia*, & sicut per primam locutionem nō possumus determinatum conceptum formare, ita nec per secundam; ergo ita est terminus æquiuocus ly *canis albus*, ac ly *canis*.

2 Dico secundo. Iste terminus complexus *canis latrabilis* est terminus vniuocus. Hæc conclusio probatur. Ly *canis* vt est pars huius complexi *canis latrabilis* significat sua significata vnico conceptu; ergo iste terminus complexus *canis latrabilis* est terminus vniuocus. Et similiter eius partes formaliter, vt sunt partes sunt terminivniuoci. Probatur antecedens. Illud adiectiuum *latrabilis* habet vim determinandi substātiuum, cui adiūngitur, & cum quo efficitur vnus terminus, pro vnico tantum significato, nimirum pro specie canis latrabilis; ergo ly *canis latrabilis* significat sua significata vnico conceptu, & prout conueniunt in aliqua ratione communi, & consequenter erit vniuocus. Confirmatur. Nullus terminus est ita æquiuocus, qui respectu vnius significati non sit vniuocus, (vt concedit sapientissimus Magister Soto in hoc libro capitulo quarto in solutione secundi argumenti) sed iste terminus *canis latrabilis* stat solum pro vnico significato huius termini *canis*; ergo est vniuocus.

3 Contra primam conclusionem obijcies primo. Iste terminus complexus *canis albus* habet vnam partem vniuocam, nimirum ly *albus*; ergo est terminus vniuocus. Probatur consequentia. Hoc complexum, Petrus, & Paulus, ly & diuisiuè sumptum est terminus communis, quia habet vnam partē communem; ergo pariter si iste terminus complexus *canis albus* habet vnam partem vniuocam erit vniuocus. Confirmatur. Ideò iste terminus *canis latrabilis* est terminus vniuocus, quia ly *latrabilis* applicat suam vniuocationē substantiuo; sed etiam ly *albus* applicat suam vniuocationem substantiuo, cui adiungitur; ergo si ly *canis latrabilis* est vniuocus, similiter ly *canis albus* vniuocus erit. Minor probatur. Vterque terminus est adiectiuus vniuocus: ergo si vnus applicat suam vniuocationem substantiuo, etiam alter ap-

applicabit. Patet consequentia à paritate rationis. Respondetur negando antecedens. Etenim ly *albus* in hoc complexo *canis albus* non est terminus vniuocus. Eo quod significat albedinẽ, vt applicatam ad significatum de ly *canis*. Cum autem significatum de ly *canis* sit diuersum, nimirũ tres canes distincti: hinc prouenit, quod ly *albus* in prædicto complexo significet albedinem cum diuersitate. Ad confirmationem ex dictis in præcedenti solutione constat solutio.

4 Obijcies secundo. Hoc complexum *canis albus* significat omnes canes prout conueniunt in ratione subtracti albedinis; ergo prædictum complexum est terminus vniuocus. Patet consequentia. Quia ly *genus* significat omnia subtracta prout conueniunt in ratione subtracti generis est terminus vniuocus; ergo pariter si ly *canis albus* significat omnes canes prout conueniunt in ratione subtracti albedinis erit terminus vniuocus. Confirmatur. Ly albus determinat significationẽ de ly *canis* in prædicto complexo; ergo prædictum complexum significat omnes canes sub ratione albi. Maior probatur. Ideò hæc est mala consequentia, omnis canis albus currit; ergo omnis canis currit, quia arguitur à restricto ad non restrictum; ergo ly *albus* determinat significationem de ly *canis* in prædicto complexo. Confirmatur secundò. Ly *canis albus* est terminus complexus; sed omnis terminus complexus est vniuocus; ergo ly *canis albus* est vniuocus. Minor probatur. Solus terminus vniuocus diuidit in complexum, & incõplexum; ergo omnis terminus complexus est vniuocus. Patet consequentia. Membra enim diuidentia debent participare rationem diuisi. Respondetur negando antecedens. Hæc enim est differentia inter adiectiuum, quãdo sumitur adiectiuè, & quando accipitur substantiuè. Quod quãdo substantiuè tenetur, affert secum suum suppositum, & importat subtractum sub ea præcisè ratione, qua substernitur formæ significatæ; vt si dicas album currit. At verò quando adiectiuum adiectiuè tenetur, non affert secum suum suppositum, sed applicat suum significatum ad significatum substantiui. Vnde licet in re idem sit *album*, ac *corpus album*, tamen differunt in modo significandi. Nam ly *album* non importat corpus sub ratione corporis, sed sub ratione subtracti, attamen ly *corpus albũ* importat corpus sub conceptu corporis, cui applicat albedo significata per ly *album*. Ex qua doctrina, quæ passim traditur à sapiẽtissimo Magistro Soto, & præcipuè libro secundo, capitulo de propositione, facilè erit argumento respõdere. Etenim in

hoc complexo *canis albus*, ly *albus* tenetur adiectiuè; vnde prædictum complexum non importat omnes canes sub ratione substracti albedinis, sed secundum proprias rationes particulares, & secundum proprios conceptus, quos habent. Quapropter prædictum complexum non est terminus vniuocus, sed æquiuocus. Ad primam confirmationem dicatur, quod ly *albus* determinat ly *canis* in prædicto complexo determinatione quoad suppositionem, vt solum supponat pro canibus albis; non tamen determinat quoad significationem, vt solum liter pro vno significato, vt constat ex ratione probatiua nostræ conclusionis. Vnde cum prædicta determinatione adhuc prædictum complexum importat diuersitatem, & cum æquiuocatione additur. Ad secundam confirmationem dicatur, quod ly *canis albus*, non est terminus complexus artificiosus, & qui possit esse medium in syllogismo demonstratiuo. Quapropter non est terminus vniuocus. Quia solum terminus complexus artificiosus est vniuocus, & membrum diuisionis, qua terminus diuiditur in complexum, & in complexum. Quãto autem adiectiuum, quod additur termino æquiuoco repugnat omnibus suis significatis, vt si dicas *canis* risibilis. Similiter discurrendum erit & dicendum quod est terminus æquiuocus.

5 Contra secundam conclusionem obijcies primo. Ly *canis* hoc complexo *canis latrabilis* retinet tres significationes; ergo ly *canis* in prædicto complexo est terminus æquiuocus. Probatur antecedens ly *canis* per hoc, quod illi adiungatur adiectiuum vniuocum non amittit suam impositionem; ergo retinet tres suas significationes. Confirmatur ly *canis* in prædicto complexo solum amittit exercitium termini æquiuoci; ergo manet cum essentia termini æquiuoci. Probatur antecedens. Solum amittit vsum, quo intellectus vtitur illo secundum tres significationes. Respondetur, quod ly *canis* (in prædicto complexo) nimis materialiter sumptum, quatenus accipitur pro voce, solum retinet materialiter tres significationes. Cæterum formaliter sumptum, & prout est substractum intentionis termini constituentis prædictum complexum amittit tres significationes, & solum habet vnam significationem, & similiter dico de impositione, nimirum, quod licet illam non amittat, tam nimis materialiter illam habet, ac si ibi non esset, & solum haberet impositionem ad significandum canem latrabilem. Ad confirmationem eodem modo dicatur, nimirum quod in prædicto complexo, ly *canis* formaliter sumptum, non retinet essentiam termini æquiuoci. Eo quod ab intentione termini æquiuoci non denominatur.

Obij-

6 Obijcies vltimo. Ly *canis* in hac propositione *canis est terminus*, est terminus æquiuocus, licet non exerceat suã significationẽ; ergo similiter ly *canis* in hoc complexo *canis latrabilis* erit terminus æquiuocus, licet non exerceat in illo suas significationes. Respondetur admittendo antecedens, & negando consequentiam. Ratio diuersitatis est. Nam ly *canis* in hac propositione *canis est terminus*, licet in exercitio non importet significationem, illam tamen importat in actu signato, & ideò in tali propositione est terminus, & æquiuocus. At verò in hoc complexo *canis latrabilis* ly *canis*, nec in exercitio, nec in actu signato importat tres significationes. Vnde non est eadem ratio.

QVÆSTIO V.

Vtrùm detur æquiuocatio in mente?

1 REsolutoriè dicendum est, nec in mente vltimata, nec in mente non vltimata posse dari æquiuocationem. Probatur primo hæc conclusio. Cõceptus est naturalis similitudo obiecti, sed implicat, quod idem cõceptus sit naturalis similitudo plurium vt plura sunt; ergo implicat dari æquiuocationem in mente. Patet consequentia. Nam dari æquiuocationem in mente, nihil aliud est, quàm quod detur vnus conceptus repræsentãs plura, vt plura sunt. Minor vero probatur. Implicat plura, vt distincta assimilari naturaliter vni tertio; ergo implicat, quod vnus conceptus sit naturalis similitudo plurium, vt distincta sunt. Probatur antecedens. Ea quæ assimilantur naturaliter vni tertio, naturaliter assimilantur inter se; ergo ea, quæ inter se naturaliter non assimilantur, non possunt vni tertio naturaliter assimilari; ac per consequens implicat plura, vt distincta vni tertio naturaliter assimilari. Secundo probatur conclusio. Terminus æquiuocus est, qui sua significata pluribus conceptibus repræsentat: sed vnus conceptus non potest sua significata repræsentare pluribus conceptibus; ergo conceptus non potest esse æquiuocus.

2 Contra istam conclusionem obijcies primo. Datur æquiuocatio in voce; ergo etiam dabitur in mente. Probatur consequentia. Vox significat medio conceptu; ergo vox æquiuoca significabit medio cõceptu æquiuoco; ac per consequens, si datur æquiuocatio in voce, dabitur etiam in mente. Respondetur, quod vox æquiuoca significat mediis conceptibus pluribus vniuocis in vna voce adunatis. Sed contra. Conceptus vniuocus nõ potest cum significatione æquiuoca vocis proportionari; ergo significatio æquiuoca vocis, non potest mensurari per plures con-

ceptus vniuocos. Patet consequentia. Mensura enim, & mensuratũ debent proportionari. Respondetur distinguendo antecedẽs. Non potest conceptus vniuocus proportionari cum significatione æquiuoca vocis, quãtum ad id quod habet de significatione, nego antecedens; quantum ad id quod de æquiuocatione, concedo antecedens. Et distinguo consequens, eadem distinctione. Vox enim æquiuoca quantum ad significationem solum à conceptu mensuratur, non verò quãtum ad æquiuocationem. Nam hæc prouenit ex vnitate vocis, in qua adunantur plures significationes, quarum quælibet habet in mente suum conceptum, & suam regulam mensurantem, & ratio disparitatis inter vocem & conceptum est; nam vox significat media impositione. Conceptus verò significat media naturali similitudine. Cum autem vox possit imponi ad significandum plura, vt plura sunt, & naturalis similitudo vnius nõ possit esse naturalis similitudo alterius distincti, & diuersi; vt naturalis imago hominis, nõ potest esse naturalis imago equi: hinc prouenit, quod quãuis vox repræsentet æquiuocè, cõceptus nõ possit æquiuocè repræsentare.

3 Obijcies secundo. Conceptus hominis repræsentat hominem vinum, & pictum: non vniuocè; ergo æquiuocè; ac per consequens datur conceptus æquiuocus. Maior probatur. Conceptus hominis est naturalis similitudo hominis viui: sed homo pictus est similis viuo; ergo conceptus hominis viui repræsentat hominem pictum. Confirmatur. Potest dari suppositio impropria in mente; ergo similiter potest dari æquiuocatio in mente. Respondetur negando maiorem. Homo enim pictus solum est similis viuo in lineamentis, & figura exteriori. nõ tamen est illi similis in forma, & in natura, quam conceptus hominis viui repræsentat. Quapropter cõceptus hominis viui non repræsentat hominem pictum; si tamen admittatur conceptum hominis viui repræsentare hominem pictum, debet id concedi in quantum homo viuus, & pictus assimilantur, & conueniunt. Quo circa adhuc hoc admisso non dabitur æquiuocatio in mente. Ad confirmationem suo loco respondebimus.

4 Obijcies tertio. Non implicat, quod idem conceptus secũdũ diuersas formalitates habeat tres repræsentationes diuersas, vt diuersas; ergo potest dari æquiuocatio in mẽte. Probatur antecedens. Non implicat, quod idẽ obiectũ secundũ diuersas formalitates habeat tres scibilitates diuersas, penes ordinem ad tres abstractiones, & scientias; ergo pariter non implicabit, quod idem conceptus secundũ diuersas formalitates habeat tres repræsentationes diuersas penes ordinem ad

tria

tria significata diuersa. Antecedens constat in hoc obiecto *terra est rotunda* habente tres scibilitates diuersas mediis, quibus à tribus scientijs diuersis attingitur. Et consequentia probatur. Sicut conceptus naturaliter repræsentat, ita obiectum est naturaliter scibile; ergo si idem obiectum secundum diuersas formalitates potest habere tres scibilitates diuersas. Similiter idem conceptus secundum diuersas formalitates, diuersas repræsentationes poterit habere. Confirmatur. Idem fundamentum secundum diuersas formalitates potest fundare diuersas relationes; ergo pariter idem conceptus secundum diuersas formalitates diuersas significationes poterit habere. Antecedens constat in albedine, quæ vna manens secundum diuersas formalitates fundat relationem prædicamentalem similitudinis ad aliud album, & dissimilitudinis ad nigrum. Consequentia vero probatur. Sicut conceptus naturaliter repræsentat, ita relatio naturaliter sequitur ad suum fundamentum; ergo si eadem entitas fundamenti secundum diuersas formalitates potest fundare relationes diuersas, similiter eadem entitas conceptus secundum diuersas formalitates diuersas repræsentationes poterit habere. Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam. Ratio enim discriminis est; nam scibilitas in obiecto desumitur à connexione obiecti cum suis proprietatibus: cũ autem idem obiectum possit habere diuersas passiones cum quibus cõnectatur secundum diuersas rationes, & abstractiones: hinc prouenit, quod idem obiectum secundum diuersas rationes potest habere diuersas scibilitates. At verò tota entitas conceptus est naturalis similitudo obiecti cuius est conceptus, ita vt in conceptu nihil aliud inueniatur, nisi naturalis similitudo sui obiecti: Cum autem naturalis similitudo vnius, qua ratione est naturalis similitudo illius non possit esse naturalis similitudo alterius distincti, vt distincti, & in conceptu nulla alia formalitas inueniatur, nisi ratio naturalis similitudinis sui obecti: hinc prouenit, quod conceptus secundum diuersas formalitates non possit habere diuersas repræsentationes. Ad confirmationem eodem modo respondetur. Etenim tota entitas albedinis non esse fundamentum relationis prædicamentalis similitudinis, sed est reddere subiectum album ad quod sequitur similitudo cum alio albo, & dissimilitudo cum nigro. Quapropter eadem albedo secundum diuersas formalitates fundat relationes prædicamentales formaliter diuersas. At verò tota entitas cõceptus est esse naturalem repræsentationem sui obiecti, ad quod

nullatenus sequitur esse naturalem repræsentationem rei distinctæ vt diuersæ. Quo circa idem conceptus non potest secundum diuersas formalitates habere diuersas significationes.

5 Obijcies vltimo. Conceptus Angeli superioris repræsentat plura, vt plura; ergo dabilis est aliquis cõceptus plura, vt plura repræsentans. Probatur antecedens. Angelus superior vnico conceptu cognoscit omnia quæ per speciem impressam sui repræsentãtur: sed species impressa Angeli superioris repræsentat plura, vt plura; ergo Angelus superior per vnicum conceptum plura, vt plura cognoscit; ac per consequens conceptus illius, plura, vt plura repræsentat. Minor probatur. Species impressa Angeli superioris repræsentat hominẽ, & equum secundũ suas vltimas differentias sed homo, & equus secundum suas vltimas differentias sunt plura vt plura; ergo species Angeli superioris repræsentat plura, vt plura cõfirmatur. In sententia probabili asserente propositionem enuntiatiuam esse simplicem, qualitatem, vnicus cõceptus correspõdet huic propositioni *homo non est lapis* sed iste conceptus repræsentat plura, vt plura. Quandoquidem repræsentat hominem, & lapidem; ergo dabilis est alionis conceptus plura vt plura repræsentans. Respondetur negando antecedens. Conceptus enim Angeli superioris non repræsentat plura vt plura. Licet enim conceptus Angeli superioris repræsentet omnia, quæ per suam speciem impressam repræsentantur: tamen per speciem impressam illius non repræsentantur plura, vt plura; quia per talem speciem, licet repræsententur homo, & equus secundum suas vltimas differentias; ac proinde vt sunt plura ex parte rei repræsentatæ, attamen non repræsentantur vt sunt plura ex parte rationis, vt quo repræsentantis. Eo quod per illam speciem, vt potè superiorem repræsentantur, quatenus conueniunt in ratione partis huius vniuersi, & in repræsentari per talem speciem. Quo circa nec conceptus Angelicus, nec eius species impressa plura, vt plura repræsentant. Quæ solutio desumitur ex D. Thoma quodlibeto septimo, articulo secundo. Ad confirmationem dicatur, quod admissa illa sententia, quam falsam esse infra probabimus. Dicendum est, quod conceptus correspondens tali propositioni repræsentat hominem, & lapidem, prædicatum, & subiectum vt conueniunt in ratione partis prædictæ propositionis. Quo circa non repræsentat plura vt plura. Quæ solutio desumitur etiam ex Diuo Thoma prima parte, quæstione 98. articulo secundo. An autem intellectus possit intelligere plura vt plura. Videatur Diuus Thomas, & cum illo Commentatores pri-

ma

ma parte, quæstione 85. articulo quarto.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm regulæ analogorum rectè traddantur à sapientissimo Magistro Soto?

1 PRima regula est. *Analogum per se sumptum stat pro famosiori significato*, id est, analogũ, quod non restringitur à significato minus principali, nec respectu illius subjcitur stat pro eo quod principaliter significat. Vt si dicas *homo est albus* homo non stat pro picto, sed pro viuo. Explicatur hæc regula. Etenim prædicta regula solum intelligitur de analogis plurium conceptum, siuè sint attributionis, vt *sanum* dictum de animali, vrina, & medicina, siuè proportionalitatis methaphoricæ, vt *risus* dictus de risu hominis, & de risu, seu amenitate prati. Eo quod in analogis pluriũ conceptuum ratio significata per nomen analogum solum reperitur propriè in vno significato principali, & in aliis solum metaphoricè, vt *risus* solum inuenitur metaphoricè in prato. In analogis autem attributionis ratio analoga solum inuenitur intrinsicè in vno analogato, in aliis vero solum extrinsicè, & per attributionem ad analogatum magis principale. Cum igitur nomen stet pro eo, in quo propriè, & intrinsicè reperitur ratio significata per ipsum: ideò in his analogis nomen analogum stat pro famosiori significato, nisi aliunde impediatur. In analogis vero vnius conceptus, cum ratio analoga propriè, & simpliciter reperiatur in vtroque analogato, ideò nomen analogum, non magis stat pro vno, quam pro alio analogato. Immo in hijs analogis multoties non datur analogatum magis principale. Nam *persona diuina* dicitur analogicè de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto: & tamen vna persona non est altera principalior. Aduertendum tamen est, quod ista regula aliquando extenditur ad vniuoca; vsus enim hominum receptum habet, quod quando aliquis eminet in aliqua arte, vel facultate nomen dictum de illo, & de alijs eiusdem facultatis absolutè prolatum stet pro illo, qui alios excedit in illa facultate: vt ly *Poeta* stat pro Virgilio, & ly *Orator* pro Cicerone. Et ratio est; quia ille qui alios excedit in aliqua facultate est quasi regula cæterorum, & ideò merito vendicat sibi nomen absolutè prolatum.

2 Secunda regula est. *Talia sunt subiecta, qualia permittuntur ab eorum prædicatis.* Hæc regula intelligenda est de eisdem analogis, de quibus prima regula intelligitur. Nam si dicimus, *ens est accidens*, ly *ens* non stat pro accidenti solum, sed pro substantia; quamuis de solo accidenti

verificetur verificatione propositionis. Ratio autem quare subiectum à prædicato alienatur est. Quia cum subiectum significet saltim minus principaliter rem illam, pro qua supponit prædicatum, & quam prædicatum significat, habet vim prædicatum ratione suæ significationis, vt faciat, quod subiectum stet pro significato minus principali, ratione cuius potest solum verè subijci formæ importatæ per prædicatum. Vt si dicas *homo est pictus* ly *homo* stat pro picto.

3 Contra primam regulam obijcies primo. In hac propositione homo alius est viuus, alius pictus, ly *homo* stat per se sumptum: & tamen non stat pro famosiori significato; ergo regula est falsa. Minor est certa. Maior vero probatur. Non restringitur à membro minus principali, nec alienatur ab illo; ergo stat per se sumptum. Confirmatur. In hac propositione. *Vrina est sana*; ly *sana* est analogum per se sumptum. Quandoquidem non subijcitur, respectu membri minus principalis: & tamen non stat pro famosiori significato; ergo regula est falsa. Respondetur negando maiorem. Etenim ly *homo* in prædicta propositione supponit simpliciter abstrahendo à viuo, & à picto, sicut quando dicimus materia propositionis est triplex. Ly *materia* supponit simpliciter; nostra autem regula debet intelligi de analogo, quando supponit personaliter. Ad confirmationem nego maiorem. Adiectum enim adiectiuè sumptum, cum applicet suum significatum substantiuo non stat per se sumptum. Regula autem intelligitur de nomine analogo, quando stat substantiuè, & affert secum suum suppositum.

4 Obijcies secundo. Ista regula nec tenet in analogis vnius conceptus, nec in analogis plurium conceptuum; ergo prædicta regula est male assignata. Antecedens pro prima parte patet. Nam in hac propositione, *sapientia est ens*, ly *sapientia* non stat pro increata, quæ est significatum principalius. Pro secunda vero parte probatur antecedens. Nam ens in sententia Caietani est analogum plurium conceptum: & tamen per se sumptum non stat pro famosiori significato. Aliàs hæc propositio esset vera, *omne ens est substantia*; ergo in nullis analogis prædicta regula tenet. Respondetur concedendo antecedens pro prima parte, & illud negando pro secunda, ens enim licet non habeat vnum conceptum perfectum, & omnino præcisum à suis inferioribus, habet tamen vnum conceptum confusum, & imperfectum, vt diximus in Logica. Quapropter ly *ens* non est analogum plurium conceptum, sed vnius conceptus.

Con-

5 Contra secundam regulam obijcies primo. Prædicatum non habet. Vim detrahendi subiectum pro improprio significato; ergo nec habet vim alienãdi illud pro improprio significato. Consequentia patet à paritate rationis. Antecedẽs vero probatur. In hac propositione *homo est animal irrationale*. Subiectum nõ detrahitur à propria significatione, sed supponit pro homine viuo, vt ait sapientissimus Magister Soto capitulo de ampliatione in fine; ergo prædicatum non habet vim determinandi subiectum pro improprio significato. Confirmatur. Prædicatum non habet vim restringendi subiectum quoad suppositionem; ergo nec quoad significationem. Antecedens probatur. Subiectum huius propositionis, *homo est albus* supponit pro omni homine, licet solum verificetur verificatione propositionis pro hominibus albis; ergo prædicatum non habet vim restringendi subiectum, quoad suppositionẽ. Confirmatur secundo. Ideò prædicatum. Haberet vim alienandi subiectum, quia est forma subiecti: sed hæc ratio non conuincit, aliàs probaret, quod illud restringeret; ergo prædicatum non habet vim alienandi subiectum. Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam. Ratio diſriminis est. Nam detrahere terminum est facere, quod terminus non supponat, (vt ait sapientissimus Magister loco in argumento citato) quod contingit, quando terminus repugnans adiungitur termino determinato, ita vt ex vtroque efficiatur vnus terminus. Vt si dicas *homo irrationalis*. Et ratio est, nam tunc casus non verificatur vterque terminus seorsim, sed verificatur in vi vnius termini pro nulla re supponentis. Quo circa à sua significatione detrahitur. At vero quando terminus repugnans est prædicatum, vt si dicas, homo est irrationalis, tunc terminus ex parte subiecti verificatur seorsim verificatione termini, & vt supponit. Vnde nõ remouetur, nec detrahitur à sua significatione. Cæterum in alienatione alia ratio currit. Nam prædicatum non facit, quod subiectum non supponat, sed quod supponat pro significato minus principali. Ad primam confirmationem concedo antecedens, & nego consequentiam. Ratio autem diſriminis tradita à sapientissimo Magistro Soto, vbi supra notabili 7. quæ consistit in hoc quod restrictio quoad suppositionem prouenit ex acceptione termini, & ideò adiectiuum non restringit substantiuum, nisi adiungatur illi, & fiat vnus terminus cum illo. At verò alienatio prouenit ex significatione. Quo circa ad alienationem non requiritur, quod terminus alienans ad-

adiũgatur alienato, & efficiatur vna, terminus cum illo, sed sufficit, quod ratione suæ significationis impropriæ determinet subiectum, vt illi subiiciatur. Ad secundam confirmationem distinguo maiorem: si ly *quia* dicat rationem adæquatam nego maiorem. Si dicat rationem inadæquatam concedo maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Ratio enim adæquata est, quod prædicatum est forma subiecti, & significat rem, quam subiectum impropriè, & minus principaliter significat.

6 Obiicies secundo. In hac propositione *homo est pictus*, ly *pictus* non alienat subiectum; ergo prædicta regula est falsa. Probatur antecedens. Prædicta propositio est falsa; ergo ly pictus nõ alienat subiectum. Confirmatur. Benè valet, homo est pictus; ergo homo est, sed in consequẽti ly homo stat pro vivo; ergo etiam in antecedẽti. Maior probatur. Argumentamur per quartam regulam ampliationis à magis restricto, ad minus restrictum affirmatiuè, & sine distributione; ergo benè valet. Confirmatur secundo. In hac propositione, *Petrus est quidam Nero*, ly *Nero* stat pro improprio significato; ergo non solùm tales sunt subiecta, qualia permittuntur ab eorum prædicatis, verũ etiam, talia sunt prædicata qualia permittuntur ab eorum subiectis. Respondetur negando antecedens. Ad probationem dicatur, quod licet illa propositio falsa appareat ignorantibus istam regulam, tamen in re est vera ratione huius regulæ. Aduertendum tamen erit, quod ly *pictus* potest sumi dupliciter, nimirum participialiter, & nominaliter, sumptus participialiter, idem valet, quod effigiatus, siue *retratado*, & in isto sensu conceditur h. c propositio. Omnes Reges Hispaniæ sunt sculti in arce Segouiense, in qua acceptione non alienat; sumptus verò nominaliter idem valet, ac effigies, in quo sensu habet vim alienatiuam. Ad primam confirmationem negamus maiorem. Arguitur enim in illa consequentia à dicto secundũ quid ad dictum simpliciter. Et ideò est mala. Ad secundam dicatur, quod ly *Nero* verum est, quod stat pro significato improprio, & minus principali. Cæterum hoc non prouenit, ex eo quod subiectum prædicatũ alienet. Quia cum subiectum sit materia respectu prædicati, non potest illud alienare, sed prouenit ex vsu loquendi, & ex sensu otius propositionis. Vt ait sapientissimus Magister Soto loco suprà citato.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm alienatio reddat propositionem necessariam, & distributio impediat alienationem?

1 Supono hanc propositionem, *homo est pictus* non

non esse necessariam ex vi terminorum. Quandoquidem non est æternæ veritatis, nec termini ex se essentialiter connectuntur. Restat solum difficultas, an prędicta propositio sit necessaria ex vi alienationis. In qua parte resolutoriè dico primo. Prædicta propositio absolutè est contingens. Probatur hæc conclusio. Prædicatum istius propositionis non conuenit subiecto necessario, & essentialiter, nisi ex vi alienationis; sed alienatio ex parte subiecti solum importatur exercitè; ergo prædicta propositio non est necessaria, sed absolutè contingens maior est certa. Consequentia constat. Nam quando prædicatū conuenit subiecto ratione alicuius se tenentis ex parte subiecti, si illud ratione cuius prædicatum conuenit, ponatur exercitè, & non signate, talis propositio redditur absolutè contingens. Vt patet in hac propositione, *homo est albus*, in qua, quia prędicatū cōuenit subiecto ratione albedinis, solū exercitè importatę ex parte subiecti, talis propositio absolutè est contingens. Minor vero probatur. In hac propositione, *homo pictus est pictus*, alienatio importatur ex parte subiecti signate; ergo in ista propositione, homo est pictus, alienatio solum importatur exercitè & ex parte subiecti. Secundò probatur eadem minor. In hac propositione *homo est albus*, albedo solum importatur exercitè ex parte subiecti; ergo pariter in hac propositione *homo est pictus*, pictura solum importabitur exercite ex parte subiecti, ac per consequens prædicta propositio erit absolutè contingens. Confirmatur prędicta propositio aliquando est vera, & aliquando falsa; ergo est absolutè contingens. Probatur antecedens. Rebus vt nunc est vera, & ante mundi constitutionem, & antequam ly *homo* esset impositus ad significandum hominem pictum erat falsa; ergo ptædicta propositio aliquando est vera, & aliquando falsa.

2 Dico secundo. Distributio non impedit alienationem. Probatur hæc conclusio, primo, supponendo, quod subiectum, quantum ad aliquam suppositionem dependet à prædicato, & quantum ad aliquam dependet à subiecto, vel à signo afficiente subiectum. Etenim dependet à prędicato quantum ad suppositionem personalem, simplicem, & materialem, impropriam, vel propriam. Dependet à signo afficiente subiectum quantum ad suppositionem distributiuam, vel particularem. Istę autem suppositiones prouenientes à prædicato, & à signo afficiente subiectū, ita se habent, quod si suppositio proueniens à prædicato repugnet cum suppositione subiecti proueniente à signo afficiente, tunc standum erit suppositioni proueniēti, à signo, & nihil curan-

randum de ſuppoſitione prouenient à prædicato. Et ratio eſt. Nam ſignum afficiens ſubiectum efficitur vnus terminus cum illo, & eſt intimius ſubiecto quam prædicatum. Quo circa ſuppoſitio proueniẽs à ſigno, habet maiorem vim, tollitque de medio ſuppoſitionem à prædicato prouenientem. Vt patet in hac propoſitione, *omnis homo eſt ſpecies*, in qua, quia ſuppoſitio ſimplex proueniens à prædicato, pugnat cum ſuppoſitione ſubiecti prouenient à ſigno. Subiectum non ſupponit ſimpliciter, ſed perſonaliter, & diſtributiuè, cæterum ſi ſuppoſitiones ſubiecti prouenientes à prædicato, & à ſigno afficiente ſubiectum inter ſe nõ pugnent, vtrique concedendus eſt locus. Ex quibus ſic probatur concluſio; ſed ſuppoſitio diſtributiua, & impropria non pugnãt inter ſe, nec vna aliam deſtruit; ergo quamuis ſubiectum ſupponat diſtributiuè, poterit alienari, & impropriè ſupponere. Minor probatur, ſtat ſubiectum ſupponere impropriè, & pro omnibus ſecũdario ſignificatis ſupponere; ergo ſuppoſitio diſtributiua, & impropria non pugnant inter ſe. Confirmatur. In hac propoſitione, *Omnis homo eſt pictus*, hoc prædicatum *pictus* poteſt conuenire, & de facto conuenit omnibus indiuiduis, & ſingularibus pictis; ergo ex eo quod diſtributio faciat ſubiectum ſtare pro indiuiduis, non impedietur alienatio. Secundo probatur cõcluſio. Prædicatum *pictus* habet vim alienandi ſubiectum pro improprio ſignificato, ſed ſi ſubiectum diſtribuatur, ſolum diſtribuitur pro improprijs ſignificatis; ergo. Confirmatur primo. Ante aduentum prædicati ſubiectum non ſupponit. Quandoquidem ſupponere hoc vel illo modo prouenit à prædicato; ergo etiamſi ſubiectum huius propoſitionis, *Omnes homo eſt pictus*, diſtribuatur ante aduentum prædicati, non ſupponet ex vi diſtributionis pro hominibus ſolum viuis; ac per conſequens, quando venit prædicatum *pictus*, alienabit ſubiectum pro ſignificatis omnibus improprijs, & pictis. Confirmatur ſecundo. Subiectũ huius propoſitionis, *aliquis homo eſt pictus* alienatur; ergo etiam ſubiectum huius propoſitionis *omnis homo eſt pictus*, alienabitur. Patet conſequentia. Nam ſi non ſtaret ſuppoſitio impropria cum diſtributiua, nec cum particulari ſtaret.

3 Contra primam concluſionem obijcies primo. Propoſitio mentalis, cui ſubordinatur hæc propoſitio, *homo eſt pictus*, eſt neceſſaria; ergo etiam ipſa neceſſaria erit. Antecedens probatur. Conceptus ſubiecti huius propoſitionis prædictæ, eſt conceptus picturæ; ſed de conceptu picturæ eſſentialiter prædicatur quod ſit pictura; ergo propoſitio mentalis eſt neceſſaria; ac per conſe-

quens

quens etiam vocalis necessaria erit. Confirmatur. Hæc propositio homo est pictus in eo sensu, in quo est vera est necessaria; sed absolutè est vera; ergo absolutè est necessaria. Maior probatur. Solum est vera, si subiectum stet pro homine picto; sed de homine picto essentialiter prædicatur, quod sit pictus; ergo prædicta propositio in eo sensu in quo est vera est necessaria. Respondetur negando antecedens. Subiectum enim propositionis mētalis correspondentis huic vocali, *homo est pictus* non est conceptus picturæ absolutè, sed est conceptus picturæ connotans hominem viuum, & alienationem exercitā, quam habet ly *homo* ex vi prædicati: cum autem hæc alienatio solum exercitè importetur in ipso conceptu: hinc prouenit, quod propositio mentalis, sicut, & vocalis sit absolutè contingens. Ad confirmationem dicatur, quod licet de homine picto prædicetur necessariò quod sit pictus, si ponatur significatè pictura ex parte subiecti, tamen de homine picto, pictura solum exercitè posita ex parte subiecti, non prædicatur necessariò, quod sit pictus.

4 Obijcies secundo, vel subiectū prædictæ propositionis, est homo viuus, vel pictus; si est homo viuus, propositio est falsa; si est homo pictus, propositio est necessaria, cum prædicatum sit de intrinseca ratione subiecti; ergo vel prædicta propositio est falsa, vel est necessaria. Respondetur, quod subiectum illius propositionis in voce est terminus, cuius primarium significatum est homo viuus, & secundarium, homo pictus. In re tamen subiectum illius propositionis est homo pictus, non absolutè, sed vt significatus per terminum alienatum. Cum autem alienatio solum ponatur exercitè ex parte subiecti: quia ex parte subiecti, pictura solum importatur exercitè; hinc prouenit, quod prædicta propositio sit absolutè contingens.

5 Contra secundam conclusionem obijcies primo. Distributio impedit suppositionē simplicem; ergo impediet alienationem. Consequentia patet à paritate rationis. Et antecedēs probatur. In hac propositione, *omnis homo est species*, subiectum non supponit simpliciter, sed personaliter; ergo distributio impedit suppositionem simplicem. Confirmatur. Propositio, in qua subiectū distribuitur, concipitur vt falsa, vt quando dicimus, *omnis homo est pictus*; ergo distributio impedit alienationē. Respondetur, concedendo antecedens, & negando consequentiam. Disparitas est. Nam suppositio simplex repugnat cum distributiua. Quandoquidem suppositio simplex est pro natura & pro homine in cōmuni, & distributiua est pro indiuiduis à parte rei existē-

ti-

tious. At verò suppositio distributiua, & impropria nō pugnāt. Quæ solutio constat ex dictis. Ad confirmationem dicatur, quod si hæc propositio omnis homo est pictus ab aliquibus cōcipitur, vt falsa, ideò est quia sumunt prædicatum principaliter. Et cum non omnis homo sit effigiatus, ideò illam concipiunt vt falsam.

6 Vltimo obijcies, suppositio distributiua est membrum suppositionis personalis, & suppositio personalis est membrum suppositionis propriæ; ergo non stat suppositionem esse distributiuā, & impropriam; ac per consequens istæ duæ suppositiones inter se pugnant. Respondetur, quod multæ subdiuisiones, quæ fiūt sub vna specie suppositionis possunt fieri sub alia. Vt suo proprio loco explicabimus.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm diuisio termini in cathegorematicum & sincathegorematicum, sit essentialis, & vniuoca?

1 OMissa quæstione parū vtili, quæ inquirit, an diuisum huius diuisionis sit terminus, vt sic, vt docet sapientissimus Magister Bannez, & fauet sapientissimus Magister Soto libro primo Simmularam capitulo sepimo, an verò diuisum huius diuisionis sit terminus vniuocus vt alij sentiunt. Resolutoriè dico primo. Prædicta diuisio est essentialis. Probatur hæc conclusio. Membra huius diuisionis diuidunt essentiam termini; ergo hæc diuisio est essentialis. Probatur antecedens. Membra huius diuisionis diuidunt rationem partis, & ordinem ad propositionem, sed in ratione partis ordinatæ ad propositionem consistit essentia termini; ergo mēbra huius diuisionis diuidunt essentiam termini. Maior probatur. Terminus cathegorematicus dicit ordinem ad propositionem per modum partis per se compositiuæ, & terminus sincathegorematicus dicit ordinem ad propositionem per modū modificatiui termini cathegorematici; ergo membra huius diuisionis diuidunt rationē partis per ordinem ad propositionem; ac per consequens differunt essentialiter in essentia termini, & in ratione componendi.

2 Dico secundo. Prædicta diuisio est vniuoca. Probatur hæc conclusio. Membra diuidentia simpliciter participant rationem diuisi, & vnum in ratione communi ab alio non dependet; ergo prædicta diuisio est vniuoca. Probatur antecedens. Terminus sincathegorematicus simpliciter participat rationem partis, in qua ratione à cathegorematico non dependet; ergo mēbra diuidentia simpliciter participant rationem diuisi, & vnum ab alio non depēdet. Antecedēs constabit ex solutione argumentorum.

3 Con-

3 Contra primam conclusionem obijcies. Idem diuisum non potest diuidi pluribus diuisionibus essentialibus; sed terminus essentialiter fuit diuisus in vniuocum, & æquiuocum; ergo non potest vlterius essentialiter diuidi in cathegorematicum, & sincathegorematicum; ac per consequens prædicta diuisio non est essentialis. Cõfirmatur. Terminus cathegorematicus, & sincathegorematicus solũ differũt in significatione; sed significatio non est essentia termini; ergo nõ differunt essentialiter. Maior probatur. Terminus cathegorematicus, & sincathegorematicus solum differunt in illo, quod explicatur in eorum diffinitionibus; sed in eorum diffinitionibus solum explicatur diuersa significatio; ergo solum differunt penes diuersam significationem. Respondetur distinguendo maiorem. Idem diuisum secundum eãdem rationem. Concedo maiorem, secundam diuersam rationem, nego maiorem. Et concessa minori, nego cõsequentiã. Licet enim idem diuisum secundum eãdem rationem non possit diuidi pluribus diuisionibus essentialibus: tamen secundum diuersam rationem benè potest pluribus diuisionibus essentialiter diuidi. Vt cõstat in lege, quę diuiditur quadruplici diuisione essentiali, & in notitia, quæ diuiditur essentialiter in notitiam substantiæ, & in notitiam accidentis, & insuper rursus diuiditur essentialiter in intuitiuam, & abstractiuam. Quia prima diuisio est diuisio notitiæ ex parte obiecti, & secunda est diuisio illius ex parte modi attigendi. Cum autem diuisio termini in vniuocum, & æquiuocum desumatur ex ordine diuerso fundato in vna vel in pluribus significationibus, & diuisio termini in cathegorematicũ, & sincathegorematicũ desumatur ex ordine diuerso ad propositionem fundato in diuerso modo significandi; hinc prouenit, quod terminus sub diuersa ratione diuiditur essentialiter in vniuocum, & æquiuocũ, in cathegorematicum, & sincathegorematicum.

4 Si autem inquiras, quæ regula est ad cognoscendum quando diuisio est essentialis. Respondeo, quod quando differentiæ diuidentes sunt intraneæ diuiso, tunc diuisio est essentialis. Tunc autem diferentiæ sunt intraneæ diuiso, quando proueniunt ab eadem forma, qua constituitur diuisum. Ideò enim rationale, & irrationale sunt differentiæ intraneæ animali, quia eadem forma, quę cõstituit animal, tribuit rationale, vel irrationale. Et ideo albũ, & nigrum sunt differẽtiæ extraneæ animali, quia eadem forma, quæ constituit animal non tribuit album, vel nigrum, sed ab alia forma hoc præstatur. Quapropter diuisio animalis in rationale, & irrationale

est

est essentialis. Et diuisio animalis in album, & nigrum est accidentalis. Ad confirmationem dicatur, quod terminus cathegorematicus, & sincathegorematicus non differunt solum in significatione, verum etiam differunt penes ordinem ad propositionem, quamuis haec differentia in eorũ diffinitionibus solum fundamẽtaliter explicetur. Quia huiusmodi concreta secundo intentionalia multoties, & benè per fundamentum diffiniuntur. Eo quod cum secunda intentio rationis sit minimè entitatis per fundamentum illius redditur nobis magis nota.

5 Contra secundam conclusionem obijcies primo. Terminus sincathegorematicus dependet à cathegorematico; ergo prædicta diuisio non est vniuoca. Respondebis terminũ sincathegorematicum dependere à cathegorematico in ratione particulari, non verò in ratione communi termini. Sed contra replicatur: sed dependentia termini sincathegorematici à chategorematico in ratione particulari est sufficiens ad causandam analogiam; ergo solutio est nulla. Probatur minor dependentia vnius analogati ab alio est sufficiens causare analogiã: sed vnum analogatum non potest ab alio dependere in ratione communi; ergo sufficit dependentia in ratione particulari ad causandam analogiam. Minor probatur. Si vnũ analogatum posset ab alio depẽdere in ratione communi accidens in quantum ens dependeret à substantia; consequens est falsum. Alias omne ens dependeret à substantia; ergo nõ est possibilis dependentia vnius analogati ab alio in ratione cammuni. Confirmatur. Quia accidens est modus substantiæ in genere entis ens dicitur analogicè de substantia, & de accidenti; sed tamen terminus sincathegorematicus est modus termini cathegorematici in genere termini; ergo terminus analogicè dicitur decathegorematico, & sincathegorematico. Respondetur solutionem datam esse legitimam, & ad replicam nego minorem. Accidens enim non solum dependet à substantia in sua ratione particulari entis, verum etiam in ratione communi entis. Quia cum in accidenti propter transcendentiam ratio particularis non possit præscindi à ratione communi, eo ipso quod accidens in ratione particulari à substãtia depẽdeat, dependet etiã ab illa in ratione cõmuni. Ex quo nõ sequitur, quod omne ens dependeat à substãtia. Nam quando dicimus *accidens in quantum ens dependet à substantia*, solum reduplicatur ratio entis reperta in accidenti, vt proportionata entitati substantiæ: & sensus illius propositionis est. *Accidens in ratione entitatis, quam habet proportionatam cum entitate substantiæ, dependet à substantia.* Vnde tertia ex-

exponens huius propositionis, *accidens in quantum ens dependet à substantia*, non est hæc, *omne ens dependet à substantia*, sed hæc, *omnis entitas accidentis proportionata entitati substantiæ dependet à substantia*, & hæc exponens vera est. At verò in termino sincathegorematico est duplex ratio, vna ab altera præcissa, nimirū ratio termini vt sic, & ratio particularis talis termini. Et licet terminus sincathegorematicus depēdeat à cathegorematico secundum rationem particularem, non tamen ab illo dependet secundum rationem communem termini, quæ à ratione particulari perfectè præscinditur. Quapropter dependentia termini sincathegorematici à cathegorematico, non est sufficiens causare analogiam; sicut inæqualitas, quæ inuenitur inter hominem, & equum in participādo rationem animalis, nō est sufficiens causare analogiam; quia est inæqualitas in particularibus differentijs contrahentibus, & participantibus, non verò in ratione communi animalis, quę per differentiam hominis, & equi contrahitur. Ad confirmationem dicatur terminum sincathegorematicum esse modū termini cathegorematici secundum rationem particularem termini sincathegorematici, non tamen secundum rationē communē termini. Quæ solutio constat ex dictis.

6 Obijcies secundo. Terminus sincathegorematicus est secundum quid terminus; ergo analogicè participat rationem diuisi. Antecedens probatur. Terminus sincathegorematicus componit secundum quid propositionem; ergo secundū quid est terminus. Probatur antecedens. Non componit propositionem vt subiectū, vel vt prædicatum; ergo solum secundum quid componit propositionem. Respondetur negando antecedēs. Licet enim terminus sincathegorematicus, vt actualiter, & in exercitio componat propositionem dependeat à cathegorematico, nihilominus tamē simpliciter illam componit, & est simpliciter pars illius. Sicut licet materia prima dependeat à forma, vt in exercitio componat totum substantiale, est tamē simpliciter pars compositi substantialis. Quod autem terminus sincathegorematicus, non possit esse subiectum, vel prædicatum in propositione, non probat, non esse partem simpliciter propositionis; sed solum probat, non esse partem principalem illius. Sicut quod tectum non possit esse cæmentum domus, & à cæmento dependeat, vt componat domum non probat tectum non esse simpliciter partem domus, sed solum probat non esse partem illius principalem.

QVÆSTIO IX.

Vtrùm ly Deus sit terminus communis?

1 SVppono, quod ly Deus significat rẽ singularẽ. Quapropter non potest esse terminus cõmunis ex parte rei significatæ. Vnde difficultas solum est, an ly *Deus* ex parte modi significãdi sit terminus cõmunis. In qua parte resolutoriè dicendum est, quod ly *Deus* absolutè est terminus communis. Probatur hæc conclusio. Primo ly *Deus* significat Deum, vt subordinatur cõceptui cõmuni; ergo est terminus communis. Probatur antecedens. Conceptus, cui subordinatur repræsentat Deũ, non exprimendo singularitatẽ; ergo subordinatur conceptui communi. Confirmatur hæc ratio. Ly *Deus* repræsentat Deũ, vt à nobis concipitur: sed à nobis concipitur cum præcisione à singularitate; ergo ly *Deus* habet modum significandi communẽ. Maior patet. Nam termini significãt res prout sunt in cõceptu, & quatenus à nobis cõcipiuntur. Minor vero probatur. Deus concipitur à nobis ad modum rerum materialiũ: sed res materiales à nobis cõcipiuntur cũ præcisione à singularitate; ergo Deus concipitur à nobis cũ præcisione à singularitate. Cõfirmatur secũdo. Ly *Deus* ex modo significãdi potest suppo nere pro pluribus; ergo ablolutè est terminus cõmunis. Patet consequẽtia. Nam vt ait D. Thomas prima parte, quæst. 13. art. 9. ad hoc quod aliquis terminus sit cõmunis, sufficit, quod ex modo significandi non repugnet illi supponere pro pluribus. Et antecedens probatur. Modus significãdi termini sequitur modum essendi rei in intellectu. Vt docet sapiẽtissimus Magister Soto libro 2. Summularum capitulo 14. lect. vltima: sed Deo secundum modum, quo est in intellectu nostro, non repugnat communicari pluribus; ergo huic termino *Deus* ex modo significandi nõ repugnat pro pluribus supponere. Minor probatur. Deus est in intellectu nostro ad modum rerũ materialium, ad quarum similitudinem concipitur: Sed rebus materialibus nõ repugnat pluribus cõmunicari; ergo Deo ex modo, quo est in intellectu nostro non repugnat pluribus communicari.

2 Secundo probatur conclusio. Vt aliquis terminus sit cõnotatiuus non requiritur quod significet accidens, sed sufficit, quod significet ad modum accidentis, quãuis res significata sit substantia; ergo pariter vt aliquis terminus sit cõmunis, nõ exigitur, quod res significata sit cõmunis, & pluribus cõmunicabilis, sed sufficiet, quod significetur ad modum rei communis pluribus cõmunicabilis: Tunc sic: sed non obstante summa Dei singularitate, potest Deus significari ad modum rei communis pluribus communicabilis; ergo non obstante, quod res significata per ly *Deus* sit singularis,

ris, poterit ly *Deus* esse terminus cõmunis. Minor sub sumpta probatur. Non minus repugnat substantiæ modus accidentis, quã rei singulari modus cõmunitatis; & nihilominus potest substãtia significari ad modum accidentis, vt cõstat in ly *rationale*; ergo pariter res singularis, qualis est Deus poterit significari ad modum rei cõmunis pluribus communicabilis. Cõfirmatur hæc ratio primo Infinitum potest finito modo cõcipi, & finitum modo infinito, materiale modo immateriali, & immateriale modo materiali; ergo id quod essentialiter est singulare poterit concipi modo communi, & ad modum rei communis significari: ac proinde quãuis Deus sit singularis, poterit per ly *Deus* modo communi significari. Confirmatur secundo. Ille terminus absolutè est communis, qui significat rem, vt stat sub conceptu cõmuni, sed ly *Deus* significat Deũ, vt stat sub conceptu communi; ergo ly *Deus* absolutè est terminus communis. Minor probatur. Ly *Deus* significat Deum, vt stat sub conceptu repræsentãte naturam sine singularitate saltim præcisiuè (vt constat ex dictis;) ergo ly *Deus* significat Deum, vt sub est conceptui communi.

3 Contra istam conclusionem obijcies primo. Singularitas est de essentia diuinę naturæ; ergo natura diuina non potest cõcipi, vt cõmunis, nec per terminum cõmunẽ significari. Antecedens est certum; & consequentia probatur. Si natura humana esset essentialiter singularis, etiam in intellectu deberet esse singularis, & nunquam posset concipi vt communis. Vt ait D. Thomas capitulo 4 de ente, & essentia; ergo pariter si singularitas est de essentia diuinæ naturæ, nõ poterit diuina natura concipi vt communis, & sine singularitate. Confirmatur. Non minus opponitur singularitas communitati, quam simplicitas compositioni: sed quia simplicitas est de essentia naturę diuinæ, non potest concipi vt composita; ergo pariter, quia singularitas est de essentia naturæ diuinę, non poterit concipi vt communis. Respondetur cõcesso antecedẽti, distinguo consequens. Si vt est in se, & adæquatè concipiatur cõcedo consequentiam. Si inadæquatè concipiatur, & ad modum rerum materialium, nego cõsequentiã. Licet enim natura diuina si adæquatè, & vt est in se concipiatur, non possit concipi vt communis, tamen si inadæquatè concipiatur, & secundum mæra prædicata naturæ potest cõcipi vt communis. Quia singularitas non est prædicatum naturæ, sed suppositi singularis. Ad authoritatẽ D. Thomæ dicatur D. Thomam loqui de natura humana, quæ à nobis adæquatè, & vt est in se cõcipitur. At verò natura diuina, non potest à nobis concipi adæquatè, & vt est in se, sed semper cõcipitur à nobis connotatiuè, & ad modũ rerum

materialium, in quibus natura à singularitate præscinditur, & sine illa concipitur. Ad confirmationē dicatur, quod sicut duplex est cōmunitas, nimirum communitas prædicabilis, & obiectiua ex parte rei conceptæ se tenens, & cōmunitas trascendentalis ex parte modi concipiēdi se tenens, ita est etiam duplex cōpositio, alia metaphysica se tenens ex parte obiecti, & cōstans, ex rationibus obiectiuis se mutuo excludentibus, quarum vna totaliter ab altera præscinditur, & alia transcendētalis se tenens ex parte modi concipiendi, & significādi. Quo supposito. Dico, quod sicut natura diuina non potest concipi, vt cōpositā compositione prædicabili obiectiua, & metaphysica. Benè tamen potest concipi, vt composita compositione transcendētali se tenente ex parte modi concipiendi & significandi. Ita similiter natura diuina, non potest concipi, vt communis communitate prædicabili, & obiectiua ex parte rei conceptæ se tenente: benè tamen potest concipi, vt communis communitate trascendentali ex parte modi concipiendi, & significandi se tenente.

4. Obijcies secundo. Deus vt significatus per istū terminū *Deus* importat implicitè singularitatem; sed singularitas implicita pugnat cum communitate; ergo Deus non significatur, vt cōmunis per istum terminum *Deus*. Minor probatur. Non minus opponitur singularitas communitati, quā diuersitas vnitati, seu vniuocationi: sed diuersitas implicita inente ab illo tollit vniuocationem implicitā, & explicitā; ergo pariter singularitas implicita importata in Deo, vt à nobis cōceptoab illo tollet cōmunitatē implicitā, & explicitā: ac per consequens ly *Deus* quāuis significet Deum, vt à nobis cōcipitur non significat illū vt communem. Confirmatur. In conceptu naturæ diuinæ, conceptæ sub conceptu naturæ solum implicitè importatur singularitas: & tamen hæc implicita singularitas tollit ab illa rationem speciei prædicabilis; ergo pariter singularitas in illa implicitè importata tollet ab illa ratio nē significati per terminū cōmunē. Respondetur cōcedendo maiorē, & distinguendo minorē: singularitas implicita pugnat cū cōmunitate Logica, & prædicabili, concedo minorē: cū cōmunitate transcendentali, & dialectica, nego minorē, & consequentiā: Ad probationē dicatur, quod diuersitas implicita pugnat cū vniuocatione Logica, & obiectiua, non tamen cum vniuocatione Dialectica. Quo circa iste terminus *ens* apud omnes Dialecticos est vniuocus. Et in isto argumentum. Nam in significato obiectiuo huius termini *ens* implicitè importatur singularitas: & tamen apud omnes Dialecticos prædictus terminus est communis; ergo pariter licet in significato huius termini *Deus* importetur implicitè singularitas erit prædictus ter-

terminus communis, si adhuc opponas; ergo sicut conceptus obiectiuus correspondens huic termino *ens* solum secundum quid est vnus, simpliciter tamen est diuersus propter diuersitatem implicitam, ita concepus obiectiuus correspondens huic termino Deus erit secundum quid communis, & simpliciter singularis propter singularitatem implicitam. Respondetur quod sicut conceptus obiectiuus entis mathaphisicè loquendo habet solum vnitatem secundum quid, & diuersitatem simpliciter. Et dialecticè loquendo habet vnitatem simpliciter. Ita similiter concepus Dei dialecticè consideratus erit simpliciter communis. Et ratio est, quia dialectica agēs de vocibus, illas vt significatiuas considerat. Cum autem in obiecto significato, vt significato, principaliter consideretur id quod explicitè importatur, minus verò principaliter id quod importatur implicitè. Et in conceptu obiectiuo entis explicetur vnitas, & non diuersitas, & in conceptu obiectiuo Dei, vt à nobis cōcipitur, explicetur cōmunitas, & non singularitas: hinc prouenit, quod dialecticè loquēdo. Conceptus entis sit simpliciter vnus, & *ens* inter terminos vniuocos numeretur, & conceptus Dei dialecticè sit simpliciter communis, & ly *Deus* inter terminos communes ponatur, & numeretur. Sicut cōpositio, quæ in Deo ex modo concipiendi inuenitur absolutè est secundum quid talis: Dialecticè tamen loquendo est ita simpliciter talis, sicut illa quæ in humanis reperitur. Quapropter iste, terminus *Deus* ita simpliciter est terminus concretus, sicut iste terminus homo. Ad confirmationem principalis argumenti dicatur, quod singularitas implicita tollit communitatem obiectiuam, & metaphisicā à natura diuina: & cum species prædicabilis exigat istam communitatē: hinc prouenit, quod natura diuina nō sit species prædicabilis.

5 Obijcies tertio. Deus à nobis concipitur finito, & materiali modo: & tamen non denominatur finitus, & materialis; ergo pariter, & si modo communi à nobis concipiatur, non denominabitur communis. Respondebis denominationem finiti, & materialis non consequi ad nostrum modum concipiendi: benè tamē denominationē communis. Quo circa diuersa est vtriusque ratio; sed contra. Denominatio speciei prædicabilis sequitur nostrū modū concipiendi: & tamē quāuis Deus à nobis concipiatur ad modum speciei prædicabilis, non denominatur species prædicabilis; ergo pariter & si communitas modū cōcipiēdi sequatur, & Deus ad modum rei communis concipiatur, non denominabitur communis. Respondetur solutionem datam esse legitimā, & ad replicam dicatur, denomi-

rationem speciei prædicabilis cõsequi ad nostrum modum intelligendi obiectiuè præscindente perfectè rationem communem ab inferiori. Cum autem in Deo, vtpotè actu puro hãc præcisionem noster intellectus nõ possit facere: hinc prouenit, quod Deus nõ denominetur species prædicabilis; at verò communitas præcissè dialectica talem præcisionem non desiderat. Vnde non est eadem ratio. Sed adhuc oppones. Non est ratio, cur ad rationẽ speciei requiratur perfecta obiectiua præcisio, & ad terminum communitatẽ sufficiat præcisio ex parte modi; ergo solutio est nulla. Confirmatur. Communitas ex parte modi concipiendi in Deo habet aliquod fundamentum; ergo hoc fundamentum erit sufficiens ad fundandam logicam cõmunitatem, & vniuersalitatem. Respondetur rationem esse, quia dialectica, vt à logica distinguitur cõsiderat per se primo terminos, & modum significandi illorum. Quapropter præcisio ex parte modi cõcipiendi sufficit ad hoc, quod ly *Deus* sit terminus cõmunis, & ad hoc quod Deus, vt stat sub modo passiuæ significationis, quatenus significatur per ly *Deus* sit communis. At verò vniuersalitas, & communitas logica, cum ordinetur ad ordinem prædicamẽti, quod est prædicabilium ordinatio se tenet ex parte obiecti, & petit obiectiuam præcisionẽ. Ad confirmationem dicatur illã præcisionẽ in Deo ex parte modi concipiendi habere pro fundamento eminentiam diuinæ naturæ, in qua nõ distinguitur natura à singularitate, quæ eminentia naturæ diuinæ comparata ad nostrum imperfectum modum concipiẽdi facit, quod intellectus noster diuersis conceptibus illã considerans concipiat naturæ cõceptũ ad modũ rei materialis, præscindẽdo falsitm ex parte modi naturam à singularitate. At verò ad vniuersalitatem logicã requiritur cõpositio methaphisica, & perfecta præcisio rationis superioris ab inferiori: Et cum in Deo hoc non inueniatur in illo, non inuenitur fundamentum ad vniuersalitatem logicam.

QVÆSTIO X.

Vtrùm diffinitio termini communis sit bona?

1 TErminus cõmunis sic diffinitur à sapiẽtissimo Magistro Soto. *Est qui significat plura diuisim.* Resolutoriè dicendum est hanc diffinitionem esse bonam, quod probatur authoritate tanti Magistri, & ex solutionem argumentorum.

2 Contra illam obijcies primo: Ly *homo* est terminus cõmunis: & tamen non significat plura diuisim; ergo prædicta diffinitio non est bona. Minor probatur. Ly *homo* significat naturã humanam secũdum se; sed hæc est vna; ergo non significat plura diuisim. Confirmatur primo. Secundum sa-

sapientissimum Patrē Magistrum Soto, libro 2. Summularum, capitulo tertio, Lectione secunda, notabili tertio, ly *homo* significat naturam humanam in communi, non verò Petrum, & Paulum; ergo ly *homo* non significat plura diuisim. Confirmatur secundo. Terminus æquiuocus significat plura diuisim: & tamen non est terminus communis; ergo diffinitio est mala. Respōdetur, quod ly *homo*, licet solum significet naturam humanam, prout est in mente impositoris est terminus cōmunis, quia significat plura diuisim in actu primo, quatenus natura humana, vt significata per ta ē terminū in pluribus est diuisibilis. Quod sufficit ad hoc, quod sit terminus communis. Eo quod hoc sufficit, vt à termino singulari vnum tantum significante distinguatur: per quod patet ad primam confirmationem. Ad secundam verò dicatur, quod licet terminus æquiuocus significet plura diuisim, significat tamen illa sine ordine, & pluribus conceptibus. Qua ratione non est terminus communis. Licet enim in diffinitione æquiuocorum dicatur, *quorum nomen est commune*, ibi communitas accipitur pro communitate vocis, in præsenti autem loquimur de termino communi communitate rei significatæ, vt significatæ.

3 Obijcies secundo. Iste terminus *quidam homo* est terminus communis: & tamen non significat plura diuisim; ergo diffinitio est mala. Minor probatur. Ly *quidam homo*, non potest supponere pro pluribus, sed semper supponit pro aliquo determinato; ergo non significat plura diuisim. Confirmatur. Terminus communis est capax distributionis. Sed ly *quidam homo* non est capax distributionis; ergo non est communis. Confirmatur secundo. Ly *quidam homo* significat hominem cum suo particulari modo existēdi; ergo non est terminus communis. Probatur consequentia. Ideò ly *Petrus* non est terminus communis, quia significat Petrum cum suo particulari modo; ergo si ly *quidam homo* significat hominem cum suo modo particulari existendi, non erit terminus cōmunis. Respondetur, quod ly *quidam homo* significat plura diuisim, quia licet significet naturam cum particulari modo, tamen iste modus etiam est communis potens pluribus vage conuenire. Ad primam confirmationem dicatur, quod omnis terminus communis congruè, vel incongruè est capax distributionis. Vnde ly *quidam homo* potest incongruè distribui. Dicendo, *omnis quidam homo*, licet hæc sit incongrua locutio. Ad secundam confirmationem, concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas consistit in hoc quod ly *Petrus* significat conditiones indiuiduantes, & modum determinatum. At verò ly *quidam ho-*

mo significat modum particulariter existendi abstractum ab hoc, vel illo individuo. Quia cum omnia individua conueniant in isto modo existendi ab illis est abstrahibilis aliqua ratio communis modi, in qua omnia individua existentia aliqualiter, & quodammodo conueniant.

4 Obijcies tertio. Ly *Petrus, & Paulus*, ly, *&* diuisiuè sumpto est terminus communis: & tamen non potest supponere pro pluribus; ergo diffinitio termini cōmunis est mala. Probatur minor. Prædictum complexum non potest verificari de pluribus; ergo nec supponere pro pluribus. Probatur antecedens. Obtenso. Petro falsum est dicere, *hic est Petrus, & Paulus*; ergo prædictum complexum non potest verificari de pluribus. Respondebis cum sapientissimo Magistro Soto libro tertio Summularum, capitulo nono, Lectione secunda, notabili secundo, quod verificatio prædicti complexi debet fieri mutata vniuersalitate de ly *&* in particularitatem de ly *vel* dicendo, *hic est Petrus, vel Paulus*. Sicut quando verificatur iste terminus, *omnis homo* mutatur vniuersalitas de ly *omnis* in particularitatem de ly *aliquis* dicendo, hoc est aliquis homo. Sed contra replicatur. Verificatio termini debet fieri inuariata significatione termini: sed si ly *&* mutatur in ly *vel* variatur significatio illius termini, *Petrus, & Paulus*; ergo non potest verificari mutādo ly *&* in ly *vel*. Confirmatur. Quando ly omnis efficitur pars extremi, debet fieri verificatio manente eadem vniuersalitate: sed ly *&* est pars huius extremi, scilicet, huius complexi prædicti; ergo non debet mutari in ly *vel* quando prædictum complexum verificatur. Respondetur solutionem datam esse legitimam, & ad replicam dicatur, verificationem termini debere fieri inuariata significatione termini cathegorematici, non tamen inuariata significatione totius termini etiam ex parte sincathegorematici. Videmus enim, quod hoc complexum *omnis homo* verificatur variato complexo ex parte sincathegorematici. Cum verificatio fiat per ly *aliquis homo*. Ad confirmationem dicatur aliud esse, quod ly *&* sic pars huius termini *Petrus, & Paulus*, aliud vero, quod efficiatur pars extremi. Certum enim est, quod in hac propositione, *omnis homo currit*, ly *omnis* est pars illius, & non est pars extremi. Aliàs in contradictoria illius non deberet mutari in particularitatem. Similiter dico, quod ly *&* diuisiuè sumptum est pars prædicti complexi: non tamen efficitur pars extremi. Aliàs in contradictoria illius non mutaretur in particularitatem de ly *vel*, quod est falsum.

5 Obijcies vltimo. De hoc complexo, *Petrus, & Paulus*, ly *&* diuisiuè sumpto prædicatur, quod

quòd sit terminus singularis; ergo non est terminus cōmunis; ac per cōsequens diffinitio termini cōmunis est mala. Siquidem cōuenit alijs à diffinito. Probatur antecedens. Ex sapientissimo Magistro Soto libro secundo Summularum, capitulo secundo, lectione secunda, argumento secundo, asserēte hanc propositionem esse veram. *Petrus, & Paulus est terminus discretus.* Confirmatur. Ite est bonus syllogismus, expositorius. *Petrus, & Paulus est animal, Petrus, & Paulus est homo; ergo homo est animal*; ergo ly *Petrus, & Paulus* est terminus singularis. Quandoquidem est medium in syllogismo expositorio. Respondetur, quod quando sapientissimus Magister Soto concessit hanc propositionem, *Petrus, & Paulus est terminus singularis* accepit ly *&* formaliter, & ly *Petrum*, & ly *Paulum* materialiter, quatenus coniunguntur per ly *&* formaliter sumptum, & vt coniungens alias partes materialiter sumptas. At verò si ly *&* efficiatur pars huius complexi *Petrus, & Paulus*, tunc prædictum cōplexum est terminus communis, quia omnes partes eodēmodo accipiuntur. Et quādo omnes partes huius cōplexi eodē modo sumuntur, hæc propositio est vera, *Petrus, & Paulus est terminus communis* & hæc est falsa, *Petrus, & Paulus est terminus singularis.* Ad confirmationem dicatur illum syllogismum, non esse expositorium, sed est in darapti. Sicut iste, *omnis homo est albus, omnis homo currit; ergo album currit;* & sicut in isto medium est terminus communis, ita pariter in syllogismo argumenti medium est terminus communis.

QVÆSTIO XI.

Vtrùm diffinitiones termini singularis, collectiui, & diuisiui sint bonæ?

1 TErminus singularis sic diffinitur à sapientissimo Magistro Soto. *Est, qui significat vnum tantum*, vt ly *Petrus*, terminus verò collectiuus diffinitur ab eodem sapientissimo Magistro. *Est qui in singulari* numero significat plura copulatim, vt ly *ciuitas.* Denique terminus diuisiuus sic diffinitur. *Est qui in singulari numero significat vnū, vel plura diuisim*, vt ly *Petrus*, vel ly *homo.* Quibus suppositis resolutoriè dico primo. Diffinitio termini singularis est bona. Explicatur hæc conclusio. Illa enim particula *terminus* posita in diffinitione termini singularis ponitur loco generis, & nō stat pro termino in tota sua latitudine, sed pro termino vniuoco. Illa verò particula *significat vnū tantū* ponitur loco differētiæ, & per illam explicatur fundamētū secundæ intentionis termini singularis, quæ sic debet intelligi *significat vnum tantum*, idest, *nō plura diuisim.* Etenim quādo duæ rationes oppositæ diffiniūtur in diffinitione vnius, debet accipi sensus oppositus ad diffinitionem alterius:

Cum

cum ergo terminus communis, & singularis sint duæ species termini oppositæ in diffinitione termini singularis, debemus dicere significat vnum tantum, ideſt, nō plura diuiſim.

2 Contra iſtam concluſionē obijcies primo. Hæc diffinitio nō conuenit ſingulari vago, nec ſingulari ex ſuppoſitione; ergo non eſt bona. Antecedens probatur. Ly *aliquis homo* eſt ſingulare vagum: & tamen non ſignificat vnum tātum, ſed plura diuiſim, & ſimiliter ly *Regis filius*, eſt ſingulare ex ſuppoſitione: & tamen ſignificat plura diuiſim; ergo prædicta diffinitio non conuenit ſingulari vago, nec ſingulari ex ſuppoſitione. Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Cum enim ſingulare vagum, & ſingulare ex ſuppoſitione abſolutè ſint termini communes, & ſecundum quid ſingulares, nihil mirum, quod illis non conueniat diffinitio termini ſingularis ſimpliciter, & propriè, ſicut diffinitio hominis non conuenit homini picto, quia homo pictus ſolum ſecundū quid eſt homo.

3 Obijcies ſecūdo. Ly *Petrus* eſt terminus ſingularis: & tamē non ſignificat vnum tantum; ergo diffinitio eſt mala. Minor probatur. Ly *Petrus* ſignificat omnes Petros; ergo non ſignificat vnum tantum. Confirmatur primo. Ly *Petrus*, & *Paulus*, ly & collectiuè ſumpto eſt terminus ſingularis, & tamen non ſignificat vnum tantum; ergo prædicta diffinitio eſt mala. Confirmatur ſecundo. Terminus ſingularis non poteſt diffiniri; ergo diffinitio illius eſt mala. Probatur antecedens. De ſingularibus nec datur ſcientia, nec diffinitio; ergo terminus ſingularis non poteſt diffiniri. Reſpondetur, quod ly *Petrus*, licet ſignificet omnes Petros (quod falſum eſſe iudico) tamen nō ſignificat illos vniuocè, ſed æquiuocè, vniuocè autem ſolum ſignificat vnum tantum Petrum: & cum terminus ſingularis debeat eſſe vniuocus: hinc prouenit, quod vniuocè tantum ſignificat vnum Petrum; ac per conſequens eſt terminus ſingularis. Ad primam confirmationem dicatur, quod ly *Petrus*, & *Paulus*, ly & collectiuè ſumpto ſignificat vnum tantum, ſicut intelligitur in diffinitione termini ſingularis, quia non ſignificat plura diuiſim. Ad ſecundam dicatur, quod licet terminus ſingularis in particulari non poſſit diffiniri, tamen ab omnibus terminis ſingularibus abſtrahibilis eſt aliqua ratio communis, quæ eſt ſingularis vt *quo*, & communis vt *quod*, & denominatiuè, in qua conueniunt omnes termini ſingulares, & hæc eſt, quæ diffinitur per diffinitionem termini ſingularis. Vnde diffinitum eſt ſpecies denominatiuè, & ſingulare, vt *quo*, & eſſentialiter. Recollantur dicta in diffi-

ni-

finitione termini æquinoci.

4 Dico secundo. Diffinitio termini collectiui est bona. Explicatur hæc conclusio. Genus in hac diffinitione est terminus vniuocus. Illa particula *in singulari numero* intelligitur *in singulari, vel in plurali*, dummodo significet rem singularem. Vt ly *Burgi*. Illa particula *plura copulatim* ponitur loco differentiæ, per illam enim differt terminus collectiuus à diuisiuo, & à communi, & etiam à singulari. Nam singularis in quantum singularis solum habet significare vnum tantũ, id est, non plura diuisim. Collectiuus verò habet significare plura copulatim. Vndè licèt omnis terminus collectiuus sit singularis, non verò omnis singularis est collectiuus.

5 Contra istam conclusionẽ obijcies primo. Terminus collectiuus significat vnum tantum. Quãdoquidem est terminus singularis; ergo non significat plura copulatim. Probatur consequentia. Significare vnum tantum, & significare plura copulatim opponuntur; ergo si terminus collectiuus significat vnum tantum, non significat plura copulatim. Confirmatur. Terminus singularis, vt ly *Salmantica* significat plura copulatim; ergo per significare plura copulatim non distinguitur terminus collectiuus à termino singulari. Respondetur, quòd licèt significare vnum tantum vnitate compositionis, & significare plura copulatim opponantur, tamen significare vnum tantum vnitate ordinis, & significare plura copulatim non opponuntur, immo idẽ est significare plura copulatim, ac significare vnum tantum vnitate ordinis. Et cum terminus collectiuus solum significet vnũ tantum vnitate ordinis: hinc prouenit, quod possit significare plura copulatim. Vt ly *Salmantica* significat ciuitatem vnam vnitate ordinis, & omnes ciues illam componentes, qui sunt plura copulatim. Ad confirmationem dicatur quod terminus singularis sub ratione termini singularis non significat plura copulatim, sed sub ratione termini collectiui. Istę enim rationes possunt in eodem coincidere, semper tamen sunt formaliter diuersæ.

6 Obijcies secundo. Ly *Petrus* significat plura copulatim: & tamen non est collectiuus; ergo diffinitio est mala. Probatur maior. Ly *Petrus* significat materiam, & formam copulatam Petri; ergo significat plura copulatim. Probatur antecedens. Significat Petrum: sed Petrus nihil aliud est quàm materia, & forma copulata; ergo significat materiam, & formam copulatam Petri. Probatur consequentia. Quia ly *homo* significat hominem, & homo nihil aliud est quàm animal rationale, ideò ly *homo* significat animal rationale; ergo si ly *Petrus* significat Petrum, &

Pe-

Petrus nihil aliud est quam materia, & forma copulata, ly *Petrus* significabit materiam, & formam, copulatam. Confirmatur. In diffinitione termini collectiui ingredetur diffinitum; ergo diffinitio est mala. Probatur antecedens. Illa particula *copulatim* idem est ac collectim; sed collectum idem est ac collectiuus; ergo in diffinitione termini collectiui ingreditur, diffinitur. Respondetur, quod ly *Petrus* nō significat materiam, & formam, sed compositum resultans ex materia, & forma, quia Petrus est vnum vnitate compositionis. Ciuitas verò est vnum vnitate ordinis. Vndè ly *Salmantica* significat omnes partes Salmanticæ simul sumptas, & ly *Petrus* significat compositum resultans ex materia, & forma. Et si argumētum aliquid probaret, probaret vtique quod ly *homo* est terminus collectiuus, quia homo etiā componitur ex materia, & forma copulata. Ad confirmationē dicatur diffinitum non ingredi diffinitionem. Nam *collectiuus*, *& copulatim*, distingutur tanquam terminus cathegorematicus, & sincathegorematicus. Vndè diffinitum non ingreditur diffinitionem. Quamuis in re idem sit diffinitum, & diffinitio cum distinctione tamē rationis, quod in omni diffinitione inuenitur: omnis enim diffinitio in re est idem cum diffinito, à quo solum per rationem distinguitur, tanquam explicitum ab implicito.

7 Dico vltimo. Diffinitio termini diuisiui est bona. Explicatur hæc conclusio. Genus in hac diffinitione est idem, ac in præcedentibus. Illa particula *in singulari numero* ponitur ad denotandum, quod plurale per singulare regulatur. Illa particula *vnum* non intelligitur sicut in diffinitione termini singularis, sed contra positiuè ad significare plura copulatim, ideſt, vnum vnitate cōpositionis, & non vnitate ordinis. Altera particula, *plura diuisim*, non intelligitur contra positiuè ad significare vnum tātum, sicut intelligitur in diffinitione termini communis, sed intelligitur contra positiuè ad significare plura copulatim.

8 Contra istam conclusionē obijcies primo. Omnis terminus diuisiuus est singularis; ergo illa particula *plura diuisim* redundat in diffinitione termini diuisiui. Probatur antecedens. Terminus singularis diuiditur in collectiuum, & diuisiuum; ergo omnis terminus diuisiuus est singularis. Patet consequentia. Ratio enim diuisi debet participari à membris diuidentibus; ergo si terminus singularis diuiditur in collectiuum, & diuisiuum, omnis terminus diuisiuus est singularis. Respondetur negando antecedens. Licèt enim terminus diuisiuus, quatenus est membrum diuidens terminum singularem, sit sin-

singularis, tamen potest dari, & de facto datur terminus diuisiuus, qui non est membrum diuidens terminum singularem, vt ly *homo* est terminus diuisiuus, & non est singularis. Sicut in simili exemplo docet sapientissimus Magister Soto. Nam corpus diuiditur in viuens, & non viuens, & tamen nō omne viuens est corpus. Quia Angelus est viuens: & tamen non est corpus.

9 Obijcies secundo. Nullus terminus singularis est diuisiuus; ergo in diffinitione termini diuisiui illa particula, *vnum* redundat. Probatur antecedens. Si aliquis terminus singularis esset diuisiuus, maximè ly *Petrus*: sed iste non; ergo nullus. Probatur minor. Si propter aliquam rationem ly *Petrus* esset terminus diuisiuus, maximè quia significat aliquid indiuisum in se, & diuisū à quolibet alio; sed ex hoc non sequitur quod sit diuisiuus; ergo non est terminus diuisiuus. Probatur minor. Etiam ly *Salmantica* significat aliquid indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio, & tamen non est terminus diuisiuus; ergo licèt ly *Petrus* significet aliquid indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio, non erit terminus diuisiuus. Probatur maior. Salmantica est indiuisa in se. Siquidem est adunata partes aduunatas habens, & diuisa à quolibet alio; ergo ly *Salmantica* significat aliquid indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio. Respondetur negando antecedens. Disparitas enim inter ly *Petrus*, & ly *Salmantica* consistit in hoc, quod ly *Petrus* significat aliquid indiuisum in sè entitatiuè, cuius partes non solum formaliter, verumetiam entitatiuè sunt vnitæ. Quia significat Petrum, cuius partes sant vnitæ entitatiuè. At verò ly *Salmantica* significat aliquid indiuisum formaliter, & ordinatiuè, diuisum tamen in se entitatiuè; quia significat Salmanticam: cuius partes, nimirum domus, sunt entitatiuè diuisæ, quamuis formaliter, & ordinatiuè sint vnitæ. Vndè non est eadem ratio.

QVÆSTIO XII.

Vtrùm diffinitiones termini connotatiui, & absoluti sint bonæ?

1 VTrumque terminum connotatiuum, scilicèt, & absolutum diffinit sapientissimus Magister Soto. Terminus connotatiuus est, *qui significat aliquid per modum alteri adiacentis, vel non adiacentis*, vt ly *album*, & ly *cæcus*. Terminus verò absolutus est, *qui significat aliquid per modum per se stantis*. Quibus diffinitionibus suppositis, resolutoriè dico primo. Diffinitio termini connotatiui est bona. Explicatur hęc cōclusio. Illa particula *terminus* ponitur loco ge-

generis, & intelligitur de termino vnuoca. Æquiuocus enim relinquitur ab arte; quia non potest esse medium in syllogismo demonstratiuo. Illa particula *significat aliquid* simul cum reliquis ponitur loco differentiæ, & omnes faciunt istum sensum. Terminus connotatiuus est, *qui ex modo significandi significat aliquã formam, siue realem, siue rationis, siue substantialem, siue accidentalem admodum formæ accidentalis adiacentis, supposito, quod per terminum connotatur.* Et hic est sensus breuis, & legitimus diffinitionis.

2 Dico secundo. Diffinitio termini absoluti est bona. Explicatur hæc conclusio. Illa particula *terminus* ponitur loco generis, & intelligitur sicut in præcedenti diffinitione. Illa verò *per modum per se stantis* ponitur loco differentiæ, & intelligitur contra positiuè ad alteri adiacere. Vndè sensus diffinitionis est. Terminus absolutus est, *qui significat aliquid per modum per se stantis, siue id quod significatur sit substantia siue sit accidens dummodo per modum per se stantis significetur.*

3 Contra primam conclusionem obijcies primo. Ly *Dominus*, & ly *Creator* sunt termini cõnotatiui: & tamen non significant aliquid per modum alteri adiacentis; ergo diffinitio est mala. Minor probatur. Prædicti termini sunt termini substantiui; ergo non significat aliquid per modum alteri adiacentis. Confirmatur ly *qui* est terminus connotatiuus; & tamen non significat aliquid per modũ alteri adiacentis; ergo diffinitio est mala. Respondetur cum sapientissimo Magistro toto, quod non est idē terminus connotatiuus, & concretus, & adiectiuus. Nam multi sunt termini concreti, qui non sunt connotatiui, vt ly *homo*, & ly *Deus*. Et multi sunt connotatiui, qui non sunt adiectiui, vt ly *Creator*, & ly *Dominus*. Vndè non valet, est terminus concretus; ergo connotatiuus. Licèt è conuerso benè valeat, est connotatiuus; ergo concretus, similiter nõ valet est cõnotatiuus; ergo adiectiuus, licèt è conuerso benè valeat, est adiectiuus; ergo connotatiuus. Quapropter ly *Dominus*, & ly *Creator* sunt termini connotatiui significantes rationem dominij, & Creatoris per modum adiacentis suppositõ, quamuis sint termini substantiui. Et idem dicimus de ly *artifex*, & de alijs similibus. Ad confirmationem dicatur, quod ly *qui* significat (si ita licèt loqui) qualitatẽ in concreto.

4 Obijcies secundo. Impossibile est, quod terminus connotatiuus significet per modum alteri non adiacentis; ergo illa particula, *vel non adiacentis* malè ponitur in diffinitione. Probatur antecedẽs. Impobissibile est, quod terminus connotatiuus significet per modum per se stantis; ergo impossibile erit, quod termi-

nus

nus connotatiuus significet per modum alteri non adiacentis. Probatur consequentia. Significare per modum alteri non adiacentis est significare per modum per se stantis, sicut significare per modum per se stantis est significare per modum alteri non adiacētis; ergo si est impossibile quod terminus connotatiuus significet per modum per se stantis, similiter impossibile erit quod terminus connotatiuus significet per modum alteri non adiacentis. Respondetur, quod prædicta particula ponitur in diffinitione termini connotatiui propter terminos priuatiuos, vt sunt ly *cæcus*, & ly *non videns*, qui termini, licèt significent adiacentiam priuationis, & negationis, quia tamē adiacentia priuationis, & negationis est non adiacentia formæ priuatæ, & negatæ, ideò ad hoc denotandum vsus fuit prædicta particula sapientissimus Magister Soto in diffinitione termini connotatiui, quæ magis ad explicationem ponitur, quàm vt pars essentialis diffinitionis, & sic debet intelligi, *vel non adiacētis formæ, adiacentis tamen priuationis, vel negationis.* Per quod omnia argumenta, quæ contra illam fieri solent faciliter soluuntur.

5 Obijcies tertio. Ly *non intelligibile* est terminus connotatiuus: & tamen nō significat aliquid per modum alteri adiacentis; ergo diffinitio est mala. Minor probatur. Ly *non intelligibile* significat non intelligibile: sed non intelligibile non potest significari per modum alteri adiacentis; ergo ly non intelligibile non significat aliquid per modū alteri adiacentis. Minor probatur. Non intelligibile non est significabile; ergo non intelligibile nō potest significari per modum alteri adiacentis. Probatur antecedens. Omne significabile est intelligibile: sed non intelligibile non est intelligibile; ergo non intelligibile non est significabile. Ad hoc argumentum, quod crucem Dialecticorum appellat sapientissimus Magister Soto, respondetur distinguendo maiorē. Ly *non intelligibile*, quatenus negat omnem intelligibilitatem, tā intrinsecam, quàm extrinsecam, tam realem, quàm rationis, est terminus connotatiuus, nego maiorem, ly *non intelligibile*, quatenus negat intelligibilitatem intrinsecam, & realem, non tamen extrinsecam, & rationis, est terminus connotatiuus concedo maiorem, & distinguo minorē: nō significat aliquid per modum alteri adiacentis, quatenus negat omnem intelligibilitatem concedo minorem, quatenus negat intelligibilitatem intrinsecam, & realem, non tamen extrinsecam, & rationis nego minorem, & consequentiam. Duplex enim assignatur intelligibilitas. Alia intrinseca, & realis, quam habet res à parte rei, & secundum sua præ-

prædicata essentialia. Alia verò est extrinseca, & ficta, quam fingit intellectus ad modum rei intelligibilis, vt quando cognoscit negationem intelligibilitatis intrinsicæ, & realis ad modum intelligibilitatis intrinsicæ, & realis, quæ negatio intelligibilitatis intrinsicæ est intelligibilis intelligibilitate extrinseca, & rationis. Hoc supposito dicimus, quod ly *non intelligibile* si neget omnẽ intelligibilitatem, non est terminus connotatiuus, nec est terminus, quia in hac acceptione nihil significat; quandoquidem negatio, cuiuscumque intelligibilitatis, nec est significabilis, nec intelligibilis. Si autem ly *non intelligibile* solum significet negationem intelligibilitatis intrinsicæ, & realis, ad quam significandam, meo videri, est impositum, est terminus cõnotatiuus significãs negationem intelligibilitatis intrinsicæ ad modum formæ adiacentis subiecto, vel obiecto non intelligibili intrinsicè, & realiter, intelligibile tamen extrinsicè, & per rationem fingentem.

6 Contra secundam conclusionem obijcies primo. Ly *albedo* est terminus absolutus, & tamen non significat aliquid per modũ per se stantis; ergo diffinitio termini absoluti est mala. Minor probatur. Hæc propositio est vera, *albedo inhæret*; sed si ly *albedo* significaret albedinem per modũ per se stantis, prædicta propositio esset falsa; ergo ly *albedo* non significat albedinem per modum per se stantis. Minor probatur primo. Prædicatum importat adiacentiam; sed adiacentia non cõuenit albedini per se stanti; ergo si ly albedo significat albedinem per modum per se stantis, prædicta propositio est falsa. Secundo, ideò hæc propositio, *essentia diuina generat* est falsa, quia licèt rei, quæ est essentia diuina competat generare, nõ tamen illi cõuenit, vt significatæ per istum terminũ *essentia diuina*: sed etiã albedini, vt significatæ per modum per se stantis non conuenit inhærentia, ergo si ly *albedo* significat albedinẽ per modum per se stãtis, hæc propositio *albedo inhæret* esset falsa. Respondetur negando minorem. Ad probationem dicatur, quod aliud est, quod adiacentia nõ competat albedini per se stãti, aliud autem, quod non competat albedini significatæ per modum per se stantis. Primum est verum. Nam albedini per se stãti, & separatæ à subiecto non cõuenit inhærere secundum est falsum Nam vt de albedine prædicetur, quod adiacet, necessarium est quod significetur per modum per se stantis. Quia significata per modum alteri adiacentis nõ potest inhærere, nam falsum est dicere, *album inhæret*. Ad secundã probationem dicatur quod illa propositio, *essentia diuina generat* est falsa, non præcisè propter modum significandi subiecti. Nam hæc propositio, *essentia diuina*

creat

creatæ est vera; & tamen subiectum illius habet eundem modum significandi: sed prædictam propositionem esse falsam, quia cum nihil posset generare seipsum, oportet, quod genitum distinguatur à generante realiter: & cum nullum suppositum deitatis realiter distinguatur ab essentia diuina: hinc prouenit prædictam propositionem esse falsam. Illa verò propositio *essentia diuina creat* est vera. Quia terminus creationis, scilicèt, creatura realiter distinguitur ab essentia diuina. De quo videantur Theologi prima parte quæst. 31. art. 2. ad secundum argumentum, insuper addo, quod modus significandi subiecti, aliquando transit ad rem significatam, aliquando non. Tunc modus significandi transit ad rem significatam, quando ex parte rei significatæ concipimus talem modum significandi, vt contingit in terminis connotatiuis, in quibus modus significandi transit ad rem significatam: quia ex parte rei concipimus actualem inhærentiam, & quando modus significandi subiecti opponitur prædicato, & transit ad rem significatam, redditur propositio falsa. Quapropter hæc propositio est falsa: *albedo inhæret*. Aliquando autem modus significandi subiecti, non transit ad rem significatam, vt contingit in termino communi, in quo modus significandi communiter non transit ad rem significatam, nec ex parte rei significatæ per ly *homo* concipimus ipsam communitatem, alias hæc propositio esset falsa, homo currit. Quia homo communis, nec currit, nec non currit. Pariter ergo modus significandi per modum per se stantis, non transit ad rem significatam, ita vt ex parte rei significatæ per ly *albedo* concipiamus separatiorem à subiecto, sed præcisè concipimus albedinem non concipiendo vllo modo subiectum; & quia albedo sic concepta potest esse separata, & potest esse coniuncta subiecto. Nam quod sit inhærens non impedit, quod sola concipiatur; ideò talis modus significandi subiecti, non falsificat hanc propositionem, *albedo inhæret*.

QVÆSTIO XIII.

Vtrùm regulæ assignatæ pro terminis connotatiuis habeant verum?

1 DVas regulas assignat sapientissimus Magister Soto ad cognoscendos terminos connotatiuos. Prima est, *quando modus significandi termini explicatur per ly habens, talis terminus est connotatiuus.* Secunda regula est, *quod quando aliquis terminus supponit pro aliqua re, & eadem re manente potest non supponere pro illa, tunc est terminus connotatiuus.* Vt ly *albū*, est terminus connotatiuus. Quia supponit pro corpore, & eodē corpore mānēte

potest desinere supponere pro illo. Hoc supposito resolutoriè dico primo. Prima regula est rectè assignata. Hæc conclusio constabit ex solutione argumentorum. Dico secundo. Secunda regula est etiam rectè assignata. Hæc conclusio similiter constabit ex solutione argumentorum.

2. Contra primam regulam obijcies. Modus significandi de ly *Deus* explicatur per ly *habens*: & tamen ly *Deus* non est terminus connotatiuus; ergo prima regula assignata à sapientissimo Magistro Soto, non tenet verum. Minor probatur. Ly *Deus* significat *habens deitatem*; ergo modus significandi de ly *Deus* explicatur per ly *habens*. Confirmatur. Modus significandi de ly *homo* explicitur per ly *habens*. Siquidem ly *homo* significat *habens humanitatem*; & tamen ly *homo* non est terminus connotatiuus; ergo prima regula est falsa. Ad hoc argumentum respondet sapientissimus Magister Soto prædictam regulam non esse vniuersaliter veram, sed solum in hoc sensu, *omnis terminus connotatiuus habet modum significandi, qui explicatur per ly habens*, non tamen omnis terminus, cuius modus significandi explicatur per ly *habens* est connotatiuus. In quo sensu argumentum factum nullam vim habet contra nos. Secundo respondetur distinguendo maiorem. Modus significandi de ly *Deus* explicatur per ly *habens*, ita vt ly *Deus* habeat eundem modum significandi, ac ly *habens* nego maiorem. Ita vt habeat diuersum modum significandi ac ly *habens* concedo maiorem. Et concessa minori nego consequētiam. Licèt enim in re sit idem *Deus*, ac *habens deitatem*, tamen in modo significandi distinguntur ly *Deus*, & ly *habens deitatem*, quia ly *Deus* significat substantiuè, & ly *habens deitatē* significat per modum adiectiui, qua ratione concedimus, quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt tres habentes deitatem, & negamus, quod sint tres Dij. Ex quo sequitur, quod modus significandi de ly *Deus* non explicetur per ly *habens*. Siquidem non habet eundem modum significandi, ac habet ly *habens*, licèt significatum de ly *Deus* explicetur per ly *habens*. Vndè regula non verificatur in isto termino Deus. Quia regula sic debet intelligi, quando modus significandi termini explicatur per ly *habens*, id est, *modus significandi termini est idem, ac modus significandi de ly habens*, tunc talis terminus erit connotatiuus; si autem terminus habeat diuersum modum significandi, ac ly *habens*; tunc eius modus significandi non explicatur per ly *habens*, etiamsi significatum eius explicetur per ly *habens*. Cum autem ly *Deus*, ly *homo*, & alij similes non habeant eundem modum significandi, ac habet ly *habens*; hinc prouenit, quod in illis

non

non verificetur regula, & consequenter, quod non sint termini connotatiui. Per quod patet ad confirmationem solutio.

3 Contra secundam regulam obijcies. Ly *homo* dictus de filio Dei nō est terminus cōnotatiuus: & tamen modo supponit pro aliqua re, & eadem remanente potest desinere supponere pro illa; ergo secunda regula non tenet verum. Minor probatur. Ly *homo* dictus de filio Dei supponit pro supposito verbi diuini, & si verbum diuinum derelinqueret humanitatem manente supposito verbi diuini, non supponeret pro illo; ergo ly *homo* dictus de filio Dei supponit pro aliqua re, & eadem re manente potest desinere supponere pro illa. Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem. Regula enim sic debet intelligi. *Quando terminus potest supponere pro aliqua re, ad cuius esse non trahitur forma significata per terminum, & eadem manente potest desinere supponere pro illa, tunc est terminus connotatiuus*, vt ly *album* in quo totum hoc verificatur: cum autem humanitas verbi diuini trahatur ad ipsum esse verbi diuini. Quandoquidem humanitas verbi diuini existit per existentiam diuini verbi; hinc fit, quod ista regula non verificatur de ly *homo* dictus de filio Dei. Nam hæc regula debet intelligi, sicut intelligitur diffinitio accidentis: & sicut diffinitio accidentis non verificatur de humanitate Christi respectu verbi diuini, etiam si posset ad esse, & abesse ab illo absque illius corruptione, quia trahitur humanitas ad esse supposiui diuini verbi, ita patiter non verificatur prædicta regula de ly *homo* dictus de filio Dei. Vel secūdo dicatur, quod quando regula dicit, *quando terminus supponit pro aliqua re*, &c. per ly *aliqua re*, intelligitur pro aliquo subiecto; & cum filius Dei non habeat rationē subiecti, sed suppositi respectu humanitatis: hinc prouenit, quod prædicta regula non verificetur de ly *homo* dictus de filio Dei. Aduertendum tamē erit, quod termini, in quibus verificatur ista regula sūt cōnotatiui, quamuis dentur aliqui termini connotatiui, in quibus regula ista non verificatur, vt ly *rationale*, & ly risibile, & si qui sunt alij similes. Vndè sensus prædictæ regulæ est. Quod *omnis terminus supponens pro aliqua re, & eadem re manente potens est desinere supponere pro illa, est connotatiuus*, non tamen omnis connotatiuus hoc debet habere. Quod sufficit ad hoc quod per istam regulā aliqui termini cōnotatiui cognoscātur.

QVÆSTIO XIV.

Vtrùm terminus connotatiuus significet subiectum?

1 OMnes dialectici vnanimiter conueniunt, quod terminus connotatiuus significat formam, discriminantur tamen

mea circa significationem subiecti materialis. Ego verò resolutoriè dico primo. Terminus connotativus non solum significat formam, verumetiam materiale subiectum. Probatur hæc conclusio. Id significat ly *album*, quod audito illo concipimus. sed audito illo non solum concipimus albedinem, sed etiam subiectum; ergo ly *album*, quod est terminus connotativus vtrumque significat, & albedinem, & subiectum. Minor probatur. Cõceptus de ly *album* vltimatus est conceptus subiecti, vt affecti albedine; ergo per conceptum albi significati per ly *album*, non solum concipimus qualitatem, scilicèt, albedinem, sed etiam subiectum, nimirum corpus, vt exercet rationem subsstracti albedinis. Confirmatur. Corpus, vt exercet rationem subsstracti albedinis, & albedo, vt actu afficiens corpus, possunt concipi vnico conceptu: sed iste conceptus exprimitur per ly *album*; ergo ly *album* significat vtrumque. Confirmatur secundo. Ly *album* supponit propriè pro corpore; ergo propriè significat illud. Patet consequentia. Suppositio enim propria est acceptio termini pro eo quod propriè significat; ergo si ly *album* propriè supponit pro corpore, propriè significabit illud.

2 Dico secundo. Terminus connotativus, non significat subiectum secundum proprium conceptum, sed præcisè vt exercet rationem subsstracti formæ. Probatur hæc conclusio. Per ly *album* non significatur corpus secundum proprium conceptum corporis, sed præcisè quatenus subest albedini; ergo terminus connotativus non significat subiectum secundum proprium conceptum. Probatur antecedens. Distinctò modo significatur corpus per istum terminum *corpus*, & per istum terminum *album*: sed per istum terminum *corpus* significatur corpus secundum proprium conceptum corporis; ergo per istũ terminum *album* non significatur corpus secundum proprium conceptum, sed præcisè, vt subest albedini, & cum sub eadem ratione substernatur albedini & nigredini: hinc provenit, quod ly *album*. & ly *nigrum* sub eadem ratione significent corpus.

3 Dico tertio. Terminus connotativus principalius significat formam. Suppono terminum connotativum non habere formaliter duplex significatum formam, scilicèt, & subiectum. Nam certum est, quod non habet, nisi vnicum tantum significatum conflatum ex subiecto, vt subest formæ, & ex forma vt actuãte subiectum; attamen quia in illo vnico significato ingrediuntur duo, forma, scilicèt, & subiectum, & aliqui dubitant quodnam illorum ingrediatur principalius significationem termini con-

connotatiui, ideò apponoistam conclusionem, quæ probatur hac ratione. Illud principalius ingreditur significationem termini, quod principalius intrat in concepta, quem explicat terminus, sed in conceptu albi principalius intrat albedo; ergo albedo principalius significatur per ly *album*. Minor probatur. In tali cõceptu albedo intrat secundum sibi propria, subiectum autem non nisi in confuso; ergo in conceptu albi principalius ingreditur albedo. Confirmatur. Forma determinat significationem de ly *album*; ergo forma est, quæ principalius significatur. Probatur antecedens. Album enim, & nigrum differunt ex parte significati, sed non differunt ex parte subiecti, nec in modo importandi illud, vt dictum est; ergo solum differunt ex parte formæ significatæ; ac per consequens forma determinat significationem de ly *album*.

4. Contra primam conclusionẽ obijcies primo. Ex Aristotele capitulo de substantia asserẽte, quod album solam qualitatem significat; ergo ly *album* non significat subiectũ materiale. Respondetur verba Aristotelis esse intelligenda iuxta tertiam conclusionem, scilicet quod album principalius solum significat formam, per quod non excluditur quod significet, etiam materiale subiectum.

5 Obijcies secundo. Ly *album* non significat materiale expresse, & explicitè; ergo nullo modo significat materiale. Antecedens constat ex dictis. Et consequentia probatur. Licet ly *homo* significet rationale confusè, & implicitè, quia tamen non significat rationale explicitè dicitur non significare rationale; ergo si ly *album* solum implicitè, & in confuso significat materiale, nullo modo illud significabit. Confirmatur. Ly *album*, & ly *albedo* differunt in modo significandi: sed si ly *album* significaret subiectũ, non solùm differrent in modo significandi, sed etiam differrent ex parte rei significatæ; ergo ly *album* non significat materiale subiectum. Respondetur, quod ly *album* significat expresse materiale subiectum, vt substractum est, licet sub alijs rationibus, nimirum sub ratione corporis illud confusè significet. Ad illud autem de rationale dicimus quod etiam significatur per istum terminum *homo*, non quidem explicitè, sed in confuso, quatenus est pars constitutiua hominis, qui per ly *homo* expresse significatur. Ad confirmationem dicatur, quod ly *album*, & ly *albedo* differunt solum ex modo significandi. Quia ly *albedo* significat albedinem in abstracto, & ly *album* in concreto. Cæterum ad significationem albedinis in concreto requiritur significatio subiecti materialis.

6 Obijcies tertio. Si ly *album*

significaret materiale esset terminus absolutus: consequens est falsum; ergo & antecedens. Probatur maior. Significaret aliquid per modum per se stantis, nimirum materiale; ergo esset terminus absolutus. Confirmatur. Quia ly *album* significat albedinem, vt adiacentem subiecto materiali est terminus connotatiuus; ergo pariter, quia significat subiectum materiale non per modum alteri adiacentis erit terminus absolutus, vel saltem mixtus ex connotatiuo, & absoluto. Respondetur negando sequelam. Ad hoc enim quod ly *album* esset terminus absolutus, necessum erat, quod eius significatum significaretur per modum per se stantis: cum autem eius significatum, nimirum albedo in concreto non significetur per modum per se stantis, sed per modum alteri adiacentis: hinc prouenit, quod non sit terminus absolutus. Namlicèt significet materiale tanquam pars sui significati; tamen non significat illud per modum per se stantis, sed vt pars significati, quod significatur per modum alteri adiacentis. Nom enim potest significari aliquid per modum alteri adiacentis, nisi significetur id quod adiacet, & id cui fit adiacentia. Vndè materiale subiectum licèt non significetur per modum alteri adiacentis, significatur tamen vt pars significati per modum alteri adiacentis. Qua ratione significatur materiale subiectum per modum alteri adiacentis, non positiuè, sed negatiuè, quatenus non significatur per modum per se stantis. Per quod ad confirmationem constat solutio.

QVÆSTIO XV.

Vtrùm diffinitiones termini primæ intentionis, & termini secundæ intentionis sint bonæ?

1 TErminus primæ intentionis sic diffinitur à sapientissimo Magistro Soto. *Est qui significat aliquid secundum id quod habet in re*, vt ly *homo*. Terminus verò secundæ intentionis sic diffinitur ab eodem sapientissimo Magistro Soto. *Est qui significat aliquid secundum id quod habet per ordinem ad conceptum mentis.* Suppono diuisionem termini in terminum primæ intentionis, & in terminum secundæ intentionis esse bonam. Quandoquidem nullus terminus vnivocus datur, qui non sit primæ, vel secundæ intentionis. Quo supposito, resolutoriè dico primo. Diffinitio termini primæ intentionis est bona. Hæc conclusio constabit ex solutione argumentorum. Et sic debet intelligi. *Terminus significans rem secundum prædicata*

ta

ta conuenientia illi provt res est à parte rei, est terminus primæ intentionis. Dico secundo. Diffinitio termini secundæ intentionis est bona. Hæc conclusiò sic intelligitur. *Terminus significans rem secundum illa prædicata, quæ habet provt subest alicui secundæ intentioni est terminus secundæ intentionis.* Vt ly *species*, & constabit soluendo argumenta.

2 Contra suppositionem factam obijcies ly *signum*, vt significat aliquid commune signo naturali & signo ad placitum, & ly *relatiuum* provt significat aliquid commune relatiuo reali, & relatiuo rationis, nec sunt termini primæ intentionis, nec secundæ intentionis; ergo diuisio termini in terminum primæ intentionis, & in terminum secundæ intentionis est mala. Probatur antecedens. Prædicti termini significant aliquid reale, & etiam aliquid rationis; ergo nec sunt termini primæ intentionis, nec secundæ intentionis. Respondetur prædictos terminos, & alios similes esse terminos primæ intentionis. Quia significant aliquid, quod saluatur, absque ordine ad conceptum mentis. Quãdoquidem ratio signi, & etiam ratio relatiui non postulant necessariò statum intellectus, siquidem à parte rei inueniuntur. Vndè prædicti termini sunt termini primæ intentionis. Eo quod diffinitio termini primæ intentionis sic debet intelligi. *Terminus primæ intentionis est qui significat aliquid secundum illud quod habet in re, id est, secundum prædicatum illud, quod non necessario postulat statum intellectus, & ordinem ad conceptum mentis.*

3 Contra primam conclusionem obijcies primo. Terminus significans primam intentionem in concreto est terminus primæ intentionis: & tamen non significat aliquid secundum id quod habet in re; ergo diffinitio est mala. Minor probatur. Ly *esse cognitum* significans primam intentionem significat aliquid proueniens ab intellectu; ergo non significat aliquid secundum illud quod habet in re. Confirmatur. Ly *ens rationis* est terminus primæ intentionis: & tamen non significat aliquid secundum id quod habet in re; ergo diffinitio est mala. Minor probatur. Significat aliquid quod habet esse per ordinem ad conceptum mentis; ergo non significat aliquid secundum id quod habet in re. Respondetur, quòd ly *cognitum*, & etiam *relatio rationis cogniti*, quæ est prima intentio, fundatur in re, & competit rei in se. Cum non competat illi secundum quod est cognita, vndè ly cognitum, & ly relatio rationis sunt termini primæ intentionis significantes rem, quatenus primo

cognoscitur, ac proinde secundum illud, quod habet in re, & non in statu, quē habet in intellectu. Quamuis prima intentio sit fundamentum prædicatorum conuenientium rei in statu intellectus. Ad confirmationem nego minorē. Etenim ly *ens rationis* significat ens rationis secundum se, & secundum primum conceptum, quo concipitur ens rationis. Sicut ly *homo* significat hominem secundum se, & non secundum aliquod prædicatum accidentale. Ad probationem dicatur aliud esse significare aliquid, quod habet esse per ordinem ad intellectum, aliud autem significare aliquid secundum illud esse, quod illi aduenit ex hoc quod sit in intellectu. Et ly *ens rationis* licèt significet aliquid, quod habet esse per ordinem ad intellectum, tamen non significat ens rationis secundum aliquod prædicatum accidentale conueniens illi ex hoc quod sit in intellectu. Quo circa est terminus primæ intentionis.

4 Obijcies secundo. Ly *quimera* est terminus primæ intentionis: & tamen non significat aliquid secundum id quod habet in re; ergo diffinitio est mala. Minor probatur. Quimera non habet esse in re; ergo ly *quimera* non significat aliquid secundum illud quod habet in re. Confirmatur. Iste terminus *homo* est primæ intentionis; & tamen significat id quod habet esse per ordinem ad intellectum; ergo diffinitio est mala. Minor probatur. Significat hominem in communi; sed homo in communi non est à parte rei; ergo significat aliquid secundum illud quod habet esse per ordinem ad intellectum. Respondetur negando minorem. Etenim ly *quimera* significat quimeram secundum se, & quatenus primo concipitur, non tamen secundum aliquod prædicatum accidentaliter illi conueniens ex eo quod sit in intellectu. Vndè ly *quimera* est terminus primæ intentionis. Ad confirmationem dicatur, quod ly *homo* non significat hominem in communi positiuè, & quatenus illi, vt est in intellectu, aduenit secunda intentio rationis speciei, sed significat hominem in communi negatiuè, id est, non determinatum ad aliquod singulare, sed secundum sua prædicata essentialia, & realia, qua ratione ly *homo* est terminus primæ intentionis.

5 Contra secundam conclusionem obijcies primo. Ly *reflexè cognitum* significat aliquid secundum id quod habet per ordinem ad conceptum mentis: & tamen non est terminus secundæ intentionis; ergo diffinitio termini secundæ intentionis est mala. Probatur maior. Significat rem, vt stat sub secundo conceptu necessario præsupponente primum; ergo significat aliquid secundum id,

id, quod habet per ordinem ad conceptum mentis. Respondetur negando maiorem. Istæ enim denominationes cogniti, & abstracti sunt primæ intentiones reales. Quia licèt proueniant ab intellectu cognoscente, non tamen proueniunt ab ipso, vt confingente, & dante rebus aliquod prædicatum accidentale rationis. Nam esse reflexè cognitum non est prædicatum rationis cõueniens rei vt cognitæ, ita vt fundetur in esse cogniti. Ad probationem dicatur, quod licèt ly *esse cognitum* significet rem, vt stat sub secundo conceptu præsupponente alium in ordine, eo modo, quo actus secundus suppon't primum, nõ tamen significat rẽ, vt stat sub secundo conceptu supponente alium, vt fundamentum formæ alicuius accidentalis superuenientis. Et ideò non est terminus secundæ intentionis.

6 Obijcies secundo. Terminus significans secundam intentionem est terminus secundæ intentionis: & tamen non significat aliquid secundum id, quod habet per ordinem, ad conceptum mẽtis; ergo diffinitio est mala. Minor probatur. Secunda intentio potest significari secundum se, & secundum sui prædicata essentialia; ergo terminus significans secundam intentionem, non significat aliquid secundum illud, quod habet per ordinem ad conceptum mentis. Confirmatur. Terminus secundæ intentionis est, qui signa ficat aliquid secundum id quod habet per ordinem ad secundum conceptum mentis; ergo malè dicitur in diffinitione, est qui significat aliquid secundum id quod habet per ordinem ad conceptum mentis. Respondetur terminum significantem secundam intentionem in concreto esse terminum secundæ intentionis; secus verò contingit si illam significet in abstracto, & secundum se. Vt dicemus in quæstione sequenti. Ad confirmationem dicatur sensum diffinitionis termini secundæ intentionis esse, quod significet aliquid secundum illa prædicata, quæ conueniunt rei vt est in intellectu, ac per cõsequens quod significet alĩ quid secundum illud quod habet per ordinem ad secundum conceptum mentis. Diffinitiones enim sunt tradendæ, & posteà sũt explicandæ.

QVÆSTIO. XVI.

Vtrùm terminus secundæ intentionis necessariò debeat esse terminus connotatiuus?

1 SVppono rationem termini connotatiui non esse essentialiter superiorẽ ad rationem termini secundæ intentionis. Quandoquidẽ istæ rationes sũt distinctissimæ desũptæq; ex diuersis cõsiderationibus, & modis significãdi. Quod autẽ inquiro est, an in termino secundæ intentionis debeat necessariò materialiter coincidere ratio termini connotatiui. In quo sensu re-

r...olutoriè dicendum est terminum secundæ intentionis necessariò debere esse terminum connotatiuum. Hæc conclusio videtur expressa D.ui Thomæ opusculo 42. capitulo 12. illis verbis. *Nomina secundæ intentionis sunt illa, quæ imponuntur rebus, non secundum quod in se sunt, sed secundum quod subsunt intentioni, quã intellectus facit de eis, vt cum dicitur, homo est species, animal est genus*: sed nomen significans aliquid vt subest formæ accidentali est terminus connotatiuus; ergo omnis terminus secundæ intentionis, debet esse necessariò terminus connotatiuus. Deinde probatur conclusio ratione. Terminus secundæ intẽtionis est, qui significat rem secũdum illa prædicata, quæ conueniunt rei, vt est in intellectu: sed impossibile est, quod res ita significetur, nisi per terminum connotatiuum; ergo terminus secundæ intẽtionis necessariò debet esse connotatiuus. Minor probatur. Terminus significans rem secundum illa prædicata accidentalia, quæ illi aduenient in statu intellectus, necessariò debet significare prædicatum accidentale per modum adiacentis tali rei; ergo necessariò debet esse connotatiuus. Confirmatur primo. Ly *specieitas* significat specieitatem secundum se, & secundum prædicata sibi essentialia. Sicut ly *homo* significat hominem secundum se: sed terminus secundæ intentionis, non significat rem secundum se, nec secundum sibi essentialia; ergo ly *specieitas* non potest esse terminus secundæ intentionis. Probatur maior. Specieitas habet vnum statum secundum se, & secundum sibi prædicata essentialia, & alium statum accidentalem, & secundum prædicata accidentalia illi conuenientia, prout est in intellectu; sed secundum istum secundum statum significatur per istum terminum *species*, ergo secundum primum statum significatur per istum terminum *specieitas*. Confirmatur secundo. Terminus secundæ intentionis est terminus significans rem prout stat sub secundo conceptu: sed ly *specieitas* non significat rem, vt stat sub secundo conceptu; ergo non est terminus secundæ intentionis. Minor probatur. Terminus abstractus significat formam secundum se, & secundum conceptum, quem primo formamus de illa, sed ly *specieitas* est terminus abstractus; ergo non significat specieitatem, prout stat sub secundo conceptu.

2 Contra istam conclusionem obijcies primo. Terminus primæ intentionis non requiritur quod sit connotatiuus; ergo pariter terminus secundæ intentionis non requiritur quod sit connotatiuus. Confirmatur. Si terminus primæ intentionis necessariò deberet esse connotatiuus vltima differentia termini connotatiui esset ratio constitutiua termini se-

secundæ intentionis: consequens est falsum; ergo & antecedens. Maior probatur. Isti duo termini *specieitas*, & *species* distinguuntur, quia primus est primæ intentionis, & secundus secundæ intentionis: sed nulla est ratio huius distinctionis, nisi quia primus terminus est abstractus, & absolutus, & secundus connotatiuus; ergo vltima differentia termini connotatiui est ratio constitutiua termini secundæ intentionis. Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam. Ratio discriminis est. Nam terminus primæ intentionis significat rem, aut secundum se, aut secundum prædicata illi conuenientia à parte rei; & quia hoc modo potest significari in concreto, & in abstracto, ideò non requiritur, quòd terminus primæ intentionis, necessariò sit connotatiuus. At verò terminus secundæ intentionis debet significare rem secundum prædicata accidentalia illi conuenientia in statu intellectus: & quia res hoc modo nequit significari, nisi per terminum connotatiuum (vt constat ex probatione conclusionis) ideò necessum est, quod terminus secundæ intentionis sit terminus connotatiuus. Ad confirmationem, nego maiorem. Ad probationem illius, nego minorē. Differunt enim ly *specieitas*, & ly *species* per hoc, quod ly *specieitas* significat rem, vt dicentem ordinem ad primum conceptum intellectus, & quatenus stat sub primo concepto, & ly *species* significat rem, vt dicentem ordinem ad secundum conceptum intellectus, & quatenus stat sub illo. Vnde non distinguūtur in ratione termini primæ, & secundæ intentionis, quia vnus est connotatiuus, & alius non, sed quia vnus terminus, nimirum *species* significat rem secundum illud, quod habet per ordinem ad conceptum mentis, & alius, scilicet, *specieitas* non ad quod concomitāter se habet, quod vnus sit cōnotatiuus, & alius non.

3 Obijcies secundo. Ly *specieitas* significat aliquid, quod habet esse per ordinem ad conceptum mentis; ergo ly *specieitas* est terminus secundæ intentionis. Antecedens constat. Nam significat specieitatem, quæ habet esse per ordinem ad conceptum mentis. Et consequentia probatur. Nam argumentamur à diffinitione ad diffinitum. Confirmatur. Ly *specieitas* significat aliquid rationis; ergo est terminus secundæ intentionis. Probatur consequentia. Omnis terminus significans aliqu'd reale, est terminus primæ intentionis; ergo omnis terminus significans aliquid rationis, erit terminus secūdæ intentionis. Respondetur cōcedendo antecedens, & negando consequentiam. Ad probationem, nego antecedens. Aliud enim est significare aliqu'd quod habet esse per ordinem ad concep-

ceptum mentis; & aliud est significare aliquid secundum illud, quod habet per ordinem ad conceptum mentis, & hoc secundum dicit diffinitio termini secundæ intentionis, vt legenti constabit. Quamuis enim ly *specieitas* significet aliquid quod habet esse per ordinem ad conceptum mentis, tamen non significat aliquid secundum illud, quod habet per ordinem ad conceptum mentis, vt constat ex dictis. Qua ratione non est terminus secundæ intentionis. Ad confirmationem concedo, antecedens, & nego consequentiam, illamque instо. Ly *Deus* significat aliquid singulare; ergo est terminus singularis, est mala consequētia, similiter hæc est mala consequētia. Ly *albedo* significat aliquid quod inhæret; ergo significat illud quatenus inhæret; ergo similiter hæc erit mala consequētia. Ly *specieitas* significat aliquid rationis; ergo est terminus secundæ intentionis. Et ratio omnium est. Nam ad constituendam speciem termini, non attenditur ad rem significatam, sed ad modum significandi. Vt constat in ly *rationale*; quod significat substantiam per se stantem, & non alteri adiacentem: & tamen quia ex modo significandi significat substantiam per modum alteri adiacentis est terminus connotatiuus. Ad probationem autem consequentiæ dicatur, quod omnis terminus significans aliquid reale est terminus primæ intentionis. Quia omne reale stat sub primo conceptu. At verò non omnis terminus significans aliquid rationis est terminus secundæ intentionis. Quia aliqua forma rationis potest significari, vt stat sub primo conceptu.

QVÆSTIO XVII.

Vtrùm diffinitiones termini complexi, & incomplexi sint bonæ?

1 VTerque terminus sic diffinitur à sapientissimo Magistro Soto terminus complexus est, *cuius partes sunt per se significatiuæ*. Terminus incomplexus est, *cuius partes non sunt per se significatiuæ*. Hoc supposito, resolutoriè dicendum est vtramque diffinitionem esse bonam. Hæc conclusio constabit ex solutione argumentorum: Et cōtra illam obijcies primo. Diffinitio termini complexi conuenit orationi; ergo est mala. Probatur antecedens. Oratio est vox significatiua ad placitum, cuius partes separatæ aliquid significant: sed terminus complexus etiam est vox significatiua ad placitum, cuius partes sunt per se significatiuæ; ergo diffinitio termini complexi conuenit orationi. Confirmatur. Hoc complexum *homo albus* est oratio imperfecta & tamen illi conuenit diffinitio termini complexi; ergo diffinitio termini complexi conuenit orationi. Respondetur negan-

gnlo antecedens. Ad probationē dicatur diffinitiones termini cōplexi, & orationis imperfectæ differre primo ex parte generis; nam in diffinitione termini complexi ponitur loco generis *terminus*, in diffinitione vero orationis ponitur loco generis *vox significativa*, vt abstrahit à voce significante complexè, & significāte incomplexè, ideſt, à voce significante veritatem, & à voce illam non significante. Secundo differunt ex parte illius, quod ponitur loco differētiæ. Nam illa particula, *cuius partes ſunt per ſe ſignificativæ* in diffinitione termini complexi significat fundamentū ſecundæ intentionis termini cōplexi, quod fundamentum nō debet eſſe neceſſariò aliquid complexum. Quandoquidem eadem ſecunda intentio termini complexi eſt intentio termini in complexi, ſolū diſtincta penes ſubſtractū denominatum, & cum ſecūda intentio termini in cōplexi non petat neceſſariò aliquid complexum pro ſubſtracto: hinc prouenit, quod ſecūda intentio termini cōplexi ſpecificè ſumpta non petat neceſſariò aliquid complexū pro ſubſtracto. At verò ſecunda intētio orationis, etiā ſpecificè ſumpta petit neceſſariò pro ſubſtracto aliquid complexum, & hoc explicatur per illam particulam, *cuius partes ſeparatæ aliquid ſignificāt*. Vnde iſta particula diuerſum ſenſum habet in diffinitione orationis, & in diffinitione termini complexi. Ad confirmationem reſpondetur diſtinguendo maiorem. Quatenus reſpicit ſuas partes ſiſtendo ibi: Cōcedo maiorē. Quatenus reſpicit ſuas partes ibi non ſiſtendo, ſed tranſeundo ad propoſitionem, in qua vltimatè ſiſtit talis ordo, nego maiorē, & diſtinguo minorem. Illi conuenit diffinitio termini complexi, ſi prædictum complexum ſumatur ſecundo modo; cōcedo minorē, ſi ſumatur primo modo, nego minorē, & conſequentiā. Itaque in eodē materiali coincidere poſſūt, & ratio termini cōplexi, & ratio orationis. Nam vnum, & idem complexum ſecundum diuerſas rationes poteſt fundare intentionem termini complexi, & ſecundam intentionem orationis. Vnde hoc complexum *homo* albus quatenus eſt pars complexa de ſe ordinabilis ad componendā propoſitionem, fundat intentionem termini, & quatenus eſt quoddā totum reſpiciens partes, ex quibus conſtat tanquam terminum vltimatum, fundat ſecundam intentionem orationis.

2 Obijcies ſecundo. Terminus complexus debet eſſe pars per ſe: Sed illud quod per ſe habet partes, nō poteſt eſſe pars per ſe; ergo nō benè diffinitur terminus cōplexus per hoc quod eſt habere partes per ſe. Minor probatur. Illud quod habet partes per ſe eſt totū per ſe: Sed totū per ſe nō poteſt eſſe pars per ſe; ergo ſi terminus cōplexus habet partes

per

per se, non potest esse pars per se. Respondetur, quod licet terminus complexus habeat partes, quia tamen habet illas ordinabiles ad aliud totum componendum, non est totum per se, sed pars per se. Non enim est contra rationem partis per se habere partes, dummodo non respiciat illas vltimatè, sed vt ordinabiles ad aliud componendum. Nam brachium est pars per se hominis, & tamen habet partes, ex quibus componitur. Et ratio à priori est. Nam pars per se diuiditur in partem incomplexam, & complexam, quæ licet habeat partes, & illas respiciat, quia tamen in illis non sistit, sed vlterius ordinat illas ad componendam propositionem in qua tanquam in fine, & termino vltimato sistit, cum autem species alicuius respicientis desumatur ab illo, quod vltimatè, & tanquam finem respicit; hinc prouenit, quod quamuis terminus cõplexus suas partes respiciat, non extrahatur aliena, & à ratione partis per se. Sed contra istam solutionem replicabis. Etiam oratio imperfecta vltimatè ordinatur ad componendã orationem perfectã: & tamen est totum per se; ergo solutio est nulla. Dices orationem imperfectam sub conceptu orationis & totius, non ordinari per se ad componendam orationem perfectam, sed solum per accidens, & tanquam existens in eodẽ genere totius, in quo est oratio perfecta. Nam oratio imperfecta est in genere totius in quo est oratio perfecta. Siquidẽ oratio, quæ est totũ, diuiditur in perfectam, & in imperfectam orationem. Sicut albedo imperfecta, & remissa est in eadem specie albedinis, in qua est albedo perfecta, & intensa: Cum autem id quod est in vno genere, seu in vna specie, non ordinetur per se ad aliud eiusdem generis, & eiusdem speciei hinc prouenit, quod oratio imperfecta non ordinetur per se ad perfectam componendam. Sed adhuc replicabis. Hæc oratio imperfecta *animal rationale* per se ordinatur ad componendam istam orationem perfectam, homo est animal rationale; ergo oratio imperfecta per se ordinatur ad perfectam componendam. Probatur antecedens. Hæc propositio *homo est animal rationale*, est in primo modo dicendi per se; ergo prædicatum est prædicatum per se: sed prædicatum est hæc oratio imperfecta *animal rationale*; ergo oratio imperfecta per se ordinatur ad perfectam componendam. Respondetur solutionem datam esse legitimam. Et ad replicam dicatur, quod in hac propositione *homo est animal rationale*, prædicatum non est diffinitio sub conceptu diffinitionis, sed sub conceptu termini complexi præsuppositi ad conceptum prædicati. Quando autem dicitur, quod prædicatum propositionis existentis in primo mo-

modo dicendi per se, debet esse diffinitio, debet intelligi de diffinitione pro materiali, sufficit enim, quod sit terminus includēs omne illud, quod diffinitio formaliter includit. Et similiter quādo dicitur, quod prædicatum debet esse per se, intelligitur, quod non sit prædicatum accidentale, non tamen quod sit pars per se, nisi sumatur prædicatum in ratione termini complexi, qui materialiter, entitatiuè, & coincidēter est diffinitio aliquando.

3 Obijcies tertio. Iste terminus, *omnis homo* est terminus cōplexus: & tamen non habet partes per se significatiuas; ergo diffinitio est mala. Minor probatur. Prima pars, scilicet, ly *omnis* non significat per se; ergo prædictus terminus non habet partes per se significatiuas. Probatur antecedens. Ly *omnis* est terminus sincategorematicus; ergo non significat per se Respondetur, quod ad rationem termini complexi sufficit vnam eius partem esse significatiuam per se, dummodo significatio totius resultet ex significatione partium. Namly *per se* in diffinitione termini complexi non sumitur contrapositiuè ad hoc, quod est significare aliqualiter, sed quatenus opponitur, cum hoc, quod est non significare resultante significatione totius ex significatione partium: Cum autem ly *omnis homo* significet taliter, quod significatio totius resultat ex significatione partium: & si vna pars à significatione sua deponeretur (vt si ly *omnis* imponeretur ad significandam particularitatem) totum complexum non significaret eodem modo, ac antea significabat. Hinc prouenit prædictum terminum esse complexum.

4 Obijcies quarto. Iste terminus *blyctiri, vel sel*, est terminus complexus: & tamen non habet partes significatiuas; ergo diffinitio est mala. Minor probatur. Partes prædicti termini sunt voces non significatiuæ; ergo prædictus terminus non habet partes per se significatiuas. Confirmatur. Si prædictum complexum haberet partes per se significatiuas, esset terminus cathegorematicus: consequens est falsum; ergo & antecedens. Confirmatur secundo. Ad rationem termini complexi requiritur, quod significatio totius resultet ex significatione partium: sed significatio prædicti complexi, non potest ex significatione partium resultare; ergo prædictum complexum nō est terminus complexus. Minor probatur. Partes illius nullo modo significant; ergo significatio totius, non potest ex significatione partium resultare. Respondetur admittendo maiorem, & distinguendo minorem. Non habet partes per se significatiuas propria significatione, concedo minorem; impropria significatione, nego minorem, & consequentiam. Licet enim prima, & tertia

pars

pars prædicti complexi non habeant propriam significationē; habent tamen impropriam significationem, quatenus sunt signa sui, & collocantur loco sui, ac si essent nomina imposita ad significandum seipsa. Quod sufficit ad hoc, quod complexum ex illis consurgens sit terminus complexus. Sed replicabis. Hæc impropria significatio non sufficit ad rationem termini incomplexi. Vt constat ex dictis in disputatione de termino in communi; ergo pariter non sufficiet ad rationem termini complexi. Respondetur solutionem datam esse legitimā. Et ad replicam, concedo antecedens, & nego consequentiam. Ratio autem discriminis est. Nā ratio formalis termini in complexi est ordo ad propositionem fundatus in significatione: Et cū impropria significatio consistens in repræsentatione nō sit significatio, hinc provenit, quod non sufficiat ad rationem termini in complexi exigentem pro fundamento propriam, & veram significationem. At verò ratio formalis termini complexi est ordo ad propositionem fundatus in cōpositione verè, & propriè significante. Cum autem totum compositum hoc, *blyclùi vel sel* verè, & propriè significet. Quandoquidem copula vtriusque partis, nempè ly *vel* propriè significat: hinc provenit, quod prædictum complexum verè, & propriè, sit terminus complexus conueniens vniuocè, cum alijs terminis complexis, quamuis ab illis habeat aliquam deficientiam physicam se tenentem ex parte subtractī, & rationis particularis: non tamen ex parte rationis communis termini complexi. Et ratio est. Nam ratio formalis termini cōplexi pensanda est secundum rationem, quæ ex compositione resultat, & non penes partes ex quibus fit compositio. Ad primam confirmationem, concedo maiorem, & nego minorem. Significatio enim termini complexi, non solum resultat ex partibus, sed etiam ex compositione exeisdē partibus, ita vt cū distincta cōpositione efficiatur ex distincta significatio. Ex quo provenit, quod licet nulla pars huius complexi, *blyclùi vel sel* significet aliquid per se, vt requiritur ad rationem termini cathegorematici, tamen totum complexum significat aliquid per se, cuius significatum resultat ex coniunctione partiū. Et ideò totum complexum est terminus cathegorematicus. Ad secundam confirmationem constat ex dictis in solutione argumenti.

5 Obijcies quinto. Si ly *A*, imponeretur ad significandum hominem album esset terminus cōplexus: & tamen non haberet partes per se significatiuas; ergo diffinitio termini complexi est mala. Maior admittitur à sapientissimo Magistro Soto. Minor verò probatur. Ly *A*, nullas habet par-

partes; ergo non habet partes per se significatiuas. Hoc argumentum quærit, an complexio, & incomplexio attendatur penes cõceptus. In qua parte suppono, quod vox complexa subordinata conceptui complexo est terminus complexus, vt ly *homo albus*. Siquidem illi cum omni rigore conuenit diffinitio termini complexi.

6 Hoc suppositò resolutoriè dico primo. Vox incõplexa subordinata pluribus conceptibus est virtualiter terminus vocalis cõplexus. Quod probatur. Talis vox est, vel vt duplex virtualiter vox. Siquidẽ quilibet conceptus postulat sibi vnam vocẽ, qua explicitur; ergo talis vox erit virtualiter terminus complexus. Sed contra istam rationem obijcies. Terminus mentalis complexus postulat duos terminos mentales formaliter ex quibus constet; ergo etiam terminus vocalis complexus postulabit duos terminos vocales formaliter ex quibus conficiatur. Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam. Ratio discriminis est. Quia forma termini vocalis est conceptus. Vnde multiplicatis conceptibus, multiplicatur etiam forma termini vocalis. Quapropter vox incõplexa subordinata pluribus conceptibus est virtualiter terminus complexus. Eo quod eius forma, nimirũ conceptus est cõplexa. At verò terminus mentalis, scilicet, conceptus cum non possit ab alio habere complexionem nisi à cõceptibus, necessum est, quod cõceptus multiplicentur formaliter, vt detur terminus mentalis complexus. Nec ex hoc sequitur terminum æquiuocum esse terminum complexum. Quia licet vox incomplexa æquiuoca, vt ly *canis* subordinetur pluribus conceptibus nullum inter se ordinem habẽtibus, tamen non subordinatur pluribus conceptibus ordinatis. Quod requirebatur, vt ly *canis* esset terminus complexus.

7 Dico secundo. Vox complexa subordinata vnico conceptui nullo modo est terminus complexus. Hæc conclusio probatur. Complexio attenditur penes cõceptus; ergo sine cõplexione cõceptuũ nõ potest dari terminus complexus. Cõfirmatur. Omnis ratio termini desumitur à cõceptu tanquam à mensura; ergo cõplexio, vel incomplexio termini, etiam desumetur à cõceptu. Antecedens constat. Nam vox ex se solũ habet esse aliquod materiale capax recipiendi intentionem termini. Sed contra istam conclusionẽ obijcies. Terminus est quoddam compositum accidentale, cuius subiectũ materiale est vox: sed in compositis accidentalibus vnitas, vel pluralitas sumitur à subiecto; vt si eadem albedo esset in duobus subiectis, essent duo alba; ergo si vox est complexa, quamuis forma, nempè conceptus, sit incomplexa, vox erit

terminus complexus. Confirmatur primo Ly *ens homo* est terminus complexus: & tamen subordinatur vnico conceptui; ergo vox complexa, vnico conceptui subordinata est terminus complexus. Minor probatur. Idē est homo, & ens homo: sed ly *homo* subordinatur vnico conceptui; ergo ly *ens homo* etiam subordinabitur vnico conceptui. Cōfirmatur secundo. Isti duo termini *doctior*, & *magis doctus* subordinātur eidem conceptui: & tamen primus est incomplexus, & secundus complexus; ergo complexio, vel incomplexio non attenditur penes conceptus. Respondetur, quod quando dicimus terminum complexū, ly *complexus* appellat supra formalitatē de ly terminus, & fit sensus, quod ratio formalis termini sit complexa. Quapropter non sufficit, quod solum subiectum sit cōplexum, vt terminus dicatur complexus. Ad primam confirmationem dicatur, quod ly *ens homo* potest sumi dupliciter. Primo in vi vnius nominis significantis naturam humanā. Secundo potest accipi in vi duorum nominum, vnum superius, & aliud inferius. In prima acceptione est terminus incomplexus, in secunda verò est terminus complexus subordinatus duplici conceptui, quamuis vnus conceptus, scilicet, entis non sit perfectè ab alio præcisus. Ad secūdam dicatur, quod ly *doctior* & ly *magis doctus*, non subordinantur vnico conceptui, sed ly doctior subordinatur vnico conceptui repræsentanti doctum modo excellentiori in doctrina, & ly *magis doctus* subordinatur duplici conceptui repræsentanti excellentiam in doctrina per modum duplicis rei. Quapropter primus terminus est incomplexus, & secundus complexus.

QVÆSTIO XVIII.

Vtrùm nomina compositæ figuræ sint termini complexi?

1 DVplici modo potest intellectus aliquas res cōsiderare, vno modo in quantum conueniunt inter se, & habēt aliquem ordinem, & hoc modo cōcipit illas vnico conceptu. Alio modo potest concipere res, nimirum secundum sibi propria, & vt distinctas, & hoc modo concipit illas duplici conceptu. Exemplum est in corpore, & albedine. Etenim si concipiamus corpus sub ratione corporis, & albedinem sub ratione albedinis duos conceptus formamus. Si verò concipiamus corpus, vt subsistentem albedini, & albedinem, vt afficientem corpus, tunc vnicum formamus conceptum: Cum igitur complexio, vel incomplexio pensetur penes conceptus: hinc prouenit, quod terminus, significans corpus, & albedinem, quatenus sunt distincta, est complexus subordinatus duplici conceptui. Vt ly *corpus album*. Termi-

minus vero significans corpus, & albedinem quatenus conueniunt, & faciunt vnum est incomplexus. Vt ly *album*. Eodem ergo modo philolosophandum est de ly *equiferus*, & de ly *equus ferus*, & dicendum, quod ly *equiferus* est terminus incõplexus subordinatus vnico conceptui, quo concipimus equum, vt subordinatur ferocitati, & ferocitatem, vt afficientem equum, & hoc totum per modũ vnius. At verò ly *equus ferus* est terminus complexus subordinatus duplici conceptui repræsentanti equum sub ratione equi, & ferum sub ratione ferocitatis. Quo supposito resolutoriè dicẽdum est nomina compositæ figuræ, vt ly *equiferus*, & ly *respublica*, non esse terminos cõplexos. Hæc conclusio probatur primo ratione Aristotelis. In nomine compositæ figuræ partes, licet, quoad apparẽtiam sint significatiuæ, tamen in re nihil significat; ergo nomina compositæ figuræ, vt ly *equiferus*, & ly *respublica*, licet apparenter videantur termini complexi, re vera non sunt termini complexi; ac percõsequens, quamuis habeant apparentiam termini complexi, non tamen habent veritatem & realitatem termini complexi, sed sunt illius simiæ. Antecedẽs probatur ex Aristot. primo per hermeniarum Lectione tertia, & quarta, illis verbis. *In nomine enim, quod est equiferus, ferus nihil per se significat, quemadmodum in oratione, quæ est equus ferus. At verò non quemadmodum in simplicibus nominibus sic se habet etiam in compositis. In illis enim nullo modo pars significatiua est: in hijs autem vult quidem, sed nihil significat separata, vt in eo quod est equiferus*; ergo secundum Aristotelem, licet partes nominis compositæ figuræ vellint esse significatiuæ, & simiæ partium termini complexi re vera nihil significant.

2 Deinde probatur nostra cõclusio ratione. Terminus complexus debet habere partes significatiuas, ex quarum significatione resultet significatio totius termini complexi: sed nomina compositæ figuræ, vt ly *equiferus*, & ly *respublica*, non habẽt partes significatiuas, ex quarum significatione resultet significatio totius nominis compositæ figuræ; ergo nomina compositæ figuræ, non sunt termini complexi. Minor probatur. Partes nominis compositæ figuræ, non ingrediuntur compositionem illius, vt componentes vnam significationẽ totalem ex propriis suis significationibus, sed vt suscipientes aliam impositionem distinctam ab ea, qua primo impositæ sunt, vt significationem distinctã habeant à prima, quam habebãt; ergo non cõponunt nomẽ compositæ figuræ, quatenus sunt significatiuæ, sed admodũ syllabarũ. Probatur antecedẽs. Licet ly, *res*, & *publica* separatim significent coniunctæ tamẽ in hoc nomine respublica, nõ

significant, rem publicam, sed ciuitatē, vel regimen commune, & hoc vnico simplici cōceptu; ergo partes nominis compositæ figuræ non ingrediuntur compositionē illius, vt duo termini incomplexi componentes vnam significationem complexam, ex suis proprijs significationibus, sed vt suscipientes nouam impositionem, nouāque significationem distinctam à suis proprijs significationibus, qua significent vnico cōceptu aliquid distinctum à suis significatis. Confirmatur. Licet ly *Do*, & ly *minus* seorsim significent, quia tamen non componunt istum terminum *Dominus*, vt componentes significationem illius, sed vt partes suscipientes nouam impositionem, qua Dominum vnico conceptu significent, ly *Dominus* non est terminus complexus; ergo pariter, quia partes huius nominis compositæ figuræ *respublica* non ingrediuntur compositionem illius, vt componentes vnam significationem complexam ex proprijs significationibus, sed vt suscipientes nouam impositionem, qua vnico conceptu significent ciuitatem, non erit ly respublica terminus complexus. Patet consequentia. Nam sicut ly *Do*, & ly *minus*, prout coniunguntur in isto termino *Dominus*, non significant dare minus, sed Dominum vnico conceptu, ita ly *res*, & ly *publica*, prout coniunguntur in hoc termino respublica, non significant rem publicam, sed ciuitatem vnico conceptu. Et sicut si ly *Do*, & ly *minus* quamuis deponerentur à suis proprijs significationibus, adhuc ly *Dominus* Dominum significaret, ita similiter quamuis ly *res* & ly *publica* à suis proprijs significationibus deponerentur, adhuc ly *respublica* ciuitatem significaret; ergo par ratio vtrobique currit.

3 Contra istam conclusionem obijcies primo. Diffinitio termini complexi conuenit terminis compositæ figuræ; ergo termini compositæ figuræ sunt termini complexi. Probatur antecedens. Ly *respublica* est terminus compositæ figuræ: & tamen conuenit illi diffinitio termini complexi; ergo diffinitio termini complexi conuenit terminis compositæ figuræ. Minor probatur. Ly *respublica* habet partes per se significatiuas: Sed hæc est diffinitio termini complexi; ergo diffinitio terni complexi conuenit terminis compositæ figuræ. Maior probatur. Ly respublica componitur ex ista dictione *res*, & ex ista dictione *publica*: Sed istæ dictiones per se significant; ergo habet partes per se significatiuas. Respondebis distinguendo maiorem. Componitur ex ista dictione *res*, & ex ista dictione *publica* acceptis in vi vnius dictionis accipiētis nouam impositionem, & significationem, concedo maiorem. Acceptis in vi duarum dictionum componentiū vnam signi-

nificationem complexam ex ſuis proprijs incomplexis ſignificationibus, nego maiorem, & diſtinguo minorem. Iſtæ dictiones per ſe ſignificant ſeparatim ſũptæ, concedo minorem in illo termino *reſpublica*, nego minorem, & conſequentiam. Licèt enim prædictæ dictiones ſeparatim ſumptæ ſint per ſe ſignificatiuæ, tamen prout componunt iſtum terminum *reſpublica*, non ſunt per ſe ſignificatiuæ. Vt conſtat ex dictis. Sed contra replicatur. In iſto termino reſpublica, illæ dictiones ſunt per ſe ſignificatiuæ; ergo ſolutio eſt nulla. Probatur antecedens. Illæ dictiones adhuc prout ſunt in iſto termino *reſpublica* habent potentiam ad ſignificandum; ergo illæ dictiones in iſto termino *reſpublica* ſunt per ſe ſignificatiuæ. Probatur conſequentia. Quia ly *homo* in hac propoſitione *homo eſt nomen*, habet potentiam ad ſignificandum, quamuis ibi non ſignificet, ibi eſt terminus, & vox ſignificatiua; ergo pariter ſi illæ dictiones in iſto termino reſpublica habent potentiam ad ſignificandum, quamuis ibi non ſignificent, ibi erunt per ſe ſignificatiuæ. Reſpondebis diſtinguendo antecedens. Ibi ſpecificatiuè eſt terminus, & vox ſignificatiua, concedo antecedens. Ibi reduplicatiuè, & prout ibi eſt terminus, & vox ſignificatiua; nego antecedens, & diſtinguo conſequens. Si illæ dictiones in iſto termino *reſpublica* habent potentiam ad ſignificandum in iſto termino *reſpublica*, ita vt poſſint in illo, quatenus partes illius ſunt ſignificare, erunt per ſe ſignificatiuæ, concedo conſequentiam. Si illæ dictiones in iſto termino *reſpublica* habent potentiam ad ſignificandum, nõ in iſto termino, ſed ſeparatim ſumptæ; ſut diſtinguo conſequens. Erunt per ſe ſignificatiuæ ſeparatim ſumptæ, concedo conſequentiam. In iſto termino *reſpublica* reduplicatiuè prout partes illius ſunt, nego conſequentiam. Quæ ſolutio melius percipitur, quam explicatur. Etenim ly *homo* reduplicatiuè, & quatenus eſt in hac propoſitione *homo eſt nomen*, non eſt terminus, & vox ſignificatiua. Quia licèt in iſta propoſitione habeat potentiam ad ſignificandum, tamen non habet potentiam ad ſignificandum in iſta propoſitione, id eſt, non habet potentiam, vt ſignificet in tali propoſitione. Ita ſimiliter ly *res*, & ly *publica*, quamuis in iſto termino *reſpublica* habeant potentiam ad ſignificandum extra iſtum terminum, & ſi ſeparentur, tamen non habent potentiam ad ſignificandũ in iſto termino reſpublica, id eſt, non habent potentiam, vt ſignificent intra talem terminum, & quatenus partes illius ſunt. Quod dicitur vno verbo, ſcilicèt, ibi habent potẽtiã ad ſignificãdum, caterum ibi nõ habẽt

potentiam ad significandum ibi. Sicut homo sedens, quãdo sedet, & in ipsa sessione habet potentiã ad deambulandum. Cæterum nõ habet potentiam ad deambulandum in ipsa sessione, id est, non habet potentiam, vt deambulet intra ipsam sessionem. Quapropter illæ dictiones, prout sunt partes istius termini *respublica*, non sunt per se significatiuæ. Aliã solutionẽ insinuauimus in ista disputatione decima, quæst. quarta, argumento vltimo. Sed adhuc replicabis. Sed illæ dictiones in isto termino *respublica* reduplicatiuè, & prout ibi sunt, habent potentiam ad significandum; ergo solutio est nulla. Probatur minor. Illæ dictiones in isto termino respublica reduplicatiuè, & prout partes illius sunt, non amittunt suam impositionem; ergo prout partes illius sunt, habent potentiã ad significandum. Respondetur totam solutionem datam esse legitimam, & ad istam replicam, nego minorem. Etenim prædictæ dictiones in isto termino *respublica* quatenus partes illius sunt, habent suam significationem, & impositionem impeditam, & mortuo modo, ac si ibi non esset; quia non componunt prædictum terminum, vt impositæ antecedenter ad significandum, sed vt de nouo imponibiles, prima impositione nimis materialiter sumpta, & quasi non esset, se habente, sicut in hoc termino *Dominus*, ly *do*, & ly *minus* habent suam significationem, & impositionem, tam materialiter sumptam, & impeditam, ac si illam non haberent.

4 Obijcies secundo. Ly *equiferus*, & ly *equus ferus* idem significant: Sed ly *equus ferus* est terminus complexus; ergo etiã ly *equiferus*. Confirmatur. In his terminis, *proconsul*, equiferus, attenditur significatio vtriusque partis, vt resultet significatio nominis; ergo significatio antecedens partium formaliter intrat significationem nominis compositæ figuræ. Probatur antecedens. Ideo ly *equiferus* significat equũ ferum, quia ly *equus* significat equum, & ly *ferus* significat ferum; ergo in nominibus compositæ figuræ attenditur significatio vtriusque partis, vt resultet significatio nominis. Confirmatur secundo. Hoc complexum *blyctri, vel sel* est terminus complexus: & tamen partes illius formaliter, vt partes nihil significant; ergo licet partes nominis compositæ figuræ formaliter, vt partes non sint significatiuæ, erit nomen compositæ figuræ terminus complexus. Respondetur negando maiorem. Etenim ly *equus ferus* significat equum ferum, ly autem *equiferus* significat quandam speciem ferocis equi. Vnde licet omnis equiferus sit equus ferus, non tamen omnis equus ferus est equiferus. Vt docet D. Thomas, quodlibeto octauo, art. 14. ad primum argumentum, vbi do-

docet, quod homicidium plus importat, quam occisio hominis, licet enim omne homicidium sit occisio hominis, non tamē omnis occisio hominis est homicidium. Nam occisio hominis secundum leges iustitiæ facta est occisio hominis, & non est homicidium, & concludit D. Thomas *composita enim nomina frequenter plus importãt, quàm componentia*, & in tertio dist. 1. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula 3. ad 3. docet Angelicus Magister, quod ly *armiger*, & ly *armagerens*, non significant idem, quia licet omnis armiger sit arma gerens, non tamen omnis arma gerens est armiger, sed solum ille, qui ducis arma gerit. Vel secundo dicatur, quod ly *equiferus*, & ly *equus ferus*, licet idem significēt, non tamen eodem modo, nam ly *equiferus* significat equum, & ferocitatem per modū vnius, & ly *equus ferus* per modū duarum rerum, & duobus conceptibus. Quę solutio constat ex dictis in primo notabili huius quæstionis. Ad primā confirmationē dicatur, quod in nominibus compositæ figuræ multoties significatio vtriusque partis est occasio, vt imponatur nomen compositæ figuræ ad significandum, nūquam tamē significatio vtriusque partis componit significationem nominis compositæ figuræ, sicut ly *lapis* dicitur à lædendo pedem, & non significat læsionem pedis. Ad secundam confirmationem constat ex dictis in quæstione præcedenti.

QVÆSTIO XIX.

Vtrùm duo termini oppositi possint de eodem verificari, vel falsificari?

1 REesolutorie dico primo. Duo termini cōtradictorii non possunt, nec naturaliter, nec supernaturaliter de eodem simul verificari, vel falsificari. Hæc conclusio est communiter recepta, illamque nullus, quem viderim negat. Et probatur Duæ contradictoriæ, non possunt esse simul veræ, nec simul falsæ; ergo pariter duo termini contradictorii, non poterunt de eodem simul verificari, vel falsificari. Antecedens est certum, & ab omnibus supponitur, vt suo loco, Deo dante ostendemus. Consequentia vero probatur. Duo termini contradictorij duas contradictorias includunt; ergo si duæ contradictoriæ, non possunt de eodem verificari, vel falsificari, nec duo termini contradictorij poterunt de eodem simul verificari, aut falsificari. Antecedens probatur. Isti duo termini contradictorij, *videns*, & *nō videns* includunt istas duas propositiones contradictorias, *Petrus est videns*, *Petrus non est videns*; ergo duo termini contradictorij includunt duas propositiones contradictorias. Probatur antecedens. Benè valet, *Petrus est non videns*; ergo *Petrus non est videns*. Siquidem argumentamur ab affirmatiua ad negatiuam va-

ri to prædicato penes finitum, & infinitum; ergo *videns*, & *non videns* includunt istas duas contradictorias. *Petrus est videns*, *Petrus non est videns*.

2 Dico secundo. Duo termini contrarij possunt de eodem subiecto existenti falsificari, quãdo subiectum est incapax contrariorum, & similiter possunt falsificari de eodem subiecto non existenti. Prima pars conclusionis breuiter probatur. Hæc propositio est falsa, Gabriel est calidus, & similiter ista, Gabriel est frigidus; ergo duo termini contrarij possunt de eodem subiecto falsificari, quando subiectum est incapax contrariorum. Secunda pars conclusionis eadem breuitate probatur. Nam Petro non existente, istæ propositiones sunt falsæ, *Petrus est calidus*, *Petrus est frigidus*, quia sunt affirmatiuæ de subiecto non supponente; ergo duo termini contrarii de eodem subiecto, non existenti possunt falsificari. Ex ista conclusione infero duo. Primum est, quod duo termini contrarij significantes contraria, inter quæ datur medium, possunt de medio simul falsificari. Quod constat. Nam istæ propositiones sunt falsæ, *viride est album viride est nigrum*; ergo primum, quod intulimus est verum. Secundum est, quod quando subiectum habet tantum de vno contrario, quãtum habet de alio, duo termini contrarij significantes contraria, quæ in æquali gradu habet subiectum, possunt de tali subiecto simul falsificari. Quod patet. Nam de subiecto habente quatuor gradus caloris, & alios quatuor frigiditatis, istæ propositiones sunt falsæ, *hoc subiectum est calidum*, *hoc subiectum est frigidum*; ergo secundum illatum verum est.

3 Dico tertio. Duo termini contrarij, non possunt naturaliter de eodẽ subiecto secundũ eandẽ rationẽ simul verificari. Probatur hæc conclusio. Nam cõtraria naturaliter ab eodẽ subiecto mutuo se expellunt; vt cõstat ex eorum diffinitione; ergo duo termini cõtrarij, non possunt de eodẽ subiecto secundũ eadẽ rationẽ simul verificari. Dico quarto. De potẽtia Dei absoluta duo termini cõtrarij de eodẽ subiecto possunt simul verificari. Probatur hęc cõclusio. Nulla inuolbitur contradictio in hoc quod Deus in eodẽ subiecto ponat calorem, & frigus in summo gradu, vt communiter dicunt philosophi: Sed tunc casus illud subiectum esse simul calidum, & frigidum; ergo duo termini contrarij possunt de eodẽ subiecto verificari de potentia Dei absoluta. Confirmatur hæc ratio. Ideò duo termini cõtrarij, non possunt naturaliter de eodẽ subiecto verificari, quia illis verificatis duæ contradictoriæ verificarẽtur: Sed ex eo quod duo termini contrarij de potentia Dei absoluta de eodem subiecto verificentur, non sequitur duas contra-

tradictorias de tali subiecto verificari; ergo possunt duo termini contrarij de eodem subiecto per diuinam omnipotentiã verificari. Minor probatur. Ideo verificatis naturaliter duobus terminis contrarijs, duæ contradictoriæ verificarentur, quia vnum contrarium naturaliter expellit aliud, vnde aliud esset expulsum, & non expulsum. Sed asserentes de potentia Dei absoluta posse duo contraria esse simul in eodem subiecto, non debent admittere, quod vnum essentialiter expellat aliud; ergo verificatis de potentia Dei absoluta duobus terminis contrarijs non sequitur duas contradictorias de eodem subiecto simul verificari; ac per consequens, licet naturaliter bene valeat, *est nigrum; ergo est non album*: tamen de potentia Dei absoluta prædicta consequentia non valet.

4 Dico quinto. Duo termini priuatiuè oppositi nullo modo possunt de eodem subiecto simul verificari per copulã de præsenti. Probatur. Hæc cõclusio. Terminus priuatiuus infert terminũ contradictorium: Sed duo termini contradictorij, non possunt vllo modo de eodem subiecto simul verificari per copulam de præsenti; ergo nec duo termini priuatiuè oppositi poterunt de eodem subiecto singulari per copulam de præsenti simul verificari. Minor probatur. Nam benè valet est cæcus; ergo est non videns; ergo terminus priuatiuus infert terminum contradictorium. Aduertendum tamen erit, quod si sit aliqua particularitas, siue ex parte copulæ, siue ex parte subiecti, benè poterunt duo termini priuatiuè oppositi simul verificari, vel pro diuersis suppositis, vel de eodem pro diuersis temporibus. Exemplum secundi est in hijs propositionibus, *homo est videns*, *homo est cæcus*, quæ sunt ambæ simul veræ. Exemplum primi est in hijs propositionibus. *Petrus fuit videns. Petrus fuit cæcus*, quæ sunt ambæ veræ casu quo nullus tertius viderit Petrus, & hæc non vidisset.

5 Dico sexto. Duo termini priuatiuè oppositi possunt falsificari de eodem subiecto non existenti, secus verò de subiecto existenti. Conclusio est facilis, & prima pars breuiter probatur. Nam Petro non existente istæ propositiones sunt falsæ. *Petrus est videns. Petrus est cæcus*. Quandoquidem vtraque est affirmatiua de subiecto non supponente; ergo duo termini priuatiuè oppositi benè possunt falsificari de subiecto non existente. Secunda pars cõclusionis eadẽ breuitate probatur. Terminus priuatiuus infert terminũ negatiuum. Vt constat ex dictis; ergo eodem modo philosophandum est quantum ad hoc de duobus terminis contradictorijs; ac de duobus priuatiuè oppositis: sed duo termini contradictorij non

non possunt simul falsificari de subiecto existente; ergo nec duo termini primatiuè oppositi poterunt de subiecto existente falsificari.

6 Dico vltimo. Duo termini relatiuè oppositi non possunt de eodem adhuc de potentia Dei absoluta simul verificari. Probatur hæc conclusio. Verificatis duobus terminis relatiuè oppositis de eodem subiecto in ordine ad eundem terminum, duæ contradictoriæ simul verificantur: sed duæ contradictoriæ, nec de potētia Dei absoluta possunt simul verificari; ergo nec duo termini relatiuè oppositi. Maior probatur. Ex hoc quod aliquid sit magnum, & parum in ordine ad idem sequitur, quod excedat: & non excedat illud; & similiter ex eo quod aliquid sit totum, & pars in ordine ad idem, sequitur, quod sit maius, & non maius illo. Et denique ex eo quod aliquis sit pater, & filius in ordine ad eūdem terminum, sequitur, quod genuerit, & non genuerit; ergo si verificarentur duo termini relatiuè oppositi de eodem subiecto, duæ contradictoriæ etiam simul verificarentur. Quod autem attinet ad falsificationem dicendum est, quod si subiectum nō existat duo termini relatiuè oppositi, possunt de illo falsificari. Si autem subiectum existat, & fiat comparatio in ordine ad determinatum externum capax terminandi relationem, quæ prædicatur, tunc non poterunt de eodem subiectō simul falsificari. Per quod omni suppositio terminorum manet expleta, & explicata.

7 Contra primā conclusionē obijcies primo. Isti termini *creatura*, & *non creatura* sunt termini cōtradictorij: & tamē simul verificātur de Christo Domino; ergo duo termini contradictorij possunt de eodem subiecto simul verificari. Minor probatur. In primis hæc est vera, *Christus est non creatura*. Siquidem ly *Christus* supponit pro supposito diuino, de quo verè dicitur, quod est non creatura. In secundis, hæc etiam est vera, Christus est creatura; ergo isti termini *creatura*, & *non creatura* simul de Christo Domino verificantur. Antecedens quo ad primā partem manet probatū, & quo ad secundam suadetur. Nā hæc propositio est vera, *Christus est homo*; ergo etiam hæc erit vera Christus est creatura. Patet consequentia. Argumentamur enim ab inferiori ad superius affirmatiuè; ergo est bona consequentia. Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem, ad cuius probationem, nego antecedens pro secunda parte, & ad illius probationem concesso antecedenti, nego consequentiā, ad cuius probationem distinguo antecedens. Argumentamur ad inferiori ad superius ex parte naturæ, concedo antecedens ex parte suppositi, nego antecedens, & consequentiam. Creatura enim so-

ſolum eſt ſuperior ad hominem ex parte naturæ, non vero ex parte ſuppoſiti. Quo circa prædicta conſequentia non eſt ab inferiori ad ſuperius, niſi in conſequenti addatur; *ergo Chriſtus eſt creatura ratione humanitatis*: quæ propoſitio conceditur cum iſta limitatione ab omnibus Theologis. Cæterum propter periculum erroris, & ne cum hæreticis in verbis, & in modo loquendi incidamus; ideo hæc propoſitio, *Chriſtus eſt creatura* abſolutè eſt neganda. Homo enim ſolum dicit ſubſiſtens in natura humana, ſiue hoc ſubſiſtens ſit creatum, ſiue increatum. Vndè ſicut non valet *eſt ſubſiſtens in natura humana; ergo eſt creatura*, ita non valet, *eſt homo; ergo eſt creatura*. Arte autem tam patum, dialectica, & tam multum Theologica, pro nunc ſuperſedendum eſt. Videatur Diuus Thomas 3. par. q. 16. art. 8. & cum illo ſui commentatores.

8 Obijcies ſecundo. Iſti termini *currentes*, & *non currentes* ſũt termini contradictorij: & tamen falſificatur de eodem; ergo concluſio eſt falſa. Minor probatur. Caſu quo Petrus currat, & Paulus non currat iſta propoſitio eſt falſa *Petrus, & Paulus ſunt currentes*, & ſimiliter iſta, *Petrus, & Paulus ſunt non currentes*; ergo prædicti termini falſificantur de eodem. Antecedens pro ſecunda parte probatur. Benè valet, *Petrus, & Paulus ſunt non currentes*; ergo ſunt non currens, & non currens, conſequens eſt falſum; ergo & antecedens. Confirmatur hoc, illo ſophiſmate ſapientiſſimi Magiſtri noſtri. Admiſſo, quod totum non diſtinguatur à ſuis partibus, & quod ex materijs, & formis Petri, & Pauli vidientium fiant per tranſpoſitionem Ioannes, & Thomas, quorũ vterque ſit cæcus, in hoc caſu Petrus, & Paulus ſunt videntes, quia ſunt videns, & videns, & ſunt nõ videntes, quia ſunt cæcus, & cæcus; ergo termini contradictorij verificantur de eodem.

9 Reſpondetur, quòd in caſu poſito affirmatiua eſt falſa, & negatiua eſt vera. Nam quando reſoluitur aliquod complexum pluralis nimeri, negatio, quæ in illo inuenitur vnica acceptione fertur in totum complexum, vt contradicat affirmationi. Vndè prædicta propoſitio ſic debet reſolui *Petrus, & Paulus ſunt non currentes*; ergo *Petrus, & Paulus ſunt non currens, & currens*, quod eſt verum. Sed contra replicatur. Caſu, in quo nullus eorum currat, ambæ propoſitiones ſunt falſæ; ergo iam duo termini contradictorij poſſunt ſimul de eodem falſificari. Antecedens probatur. In primis affirmatiua eſt falſa, & etiam negatiua; ergo duo termini contradictorij de eodem falſificantur. Antecedens pro prima parte eſt verum, & pro ſecunda probatur. Benè valet, *Petrus, & Paulus ſunt non currentes*; ergo

ſunt

sunt non currens, & currens consequens est falsum, quia nullus eorum est currens; ergo & antecedens.

10 Respondetur solutionem datam esse legitimam. Et ad replicam dicatur, quod in illo casu propositio negativa est vera. Nā ad eius veritatem sufficit, quod vnus eorum nō currat, nullo currenti à fortiori erit vera. Vnde quando in resolutione dicitur, sunt non currens, & currens, illa secunda pars copulationis manet affirmata, sed negata simul cum prima. Quandoquidem negatio vnica acceptione fertur in totum copulatum sumptum in vi vnius termini. Vndè facit hunc sensum, non sunt currens, & currens, quod verificetur per hoc, quod nullus eorum currat, vel per hoc quod vnus eorum currat, & alius non. Ad confirmationem respondetur negando antecedēs. Nam in prædicto casu, hæc propositio est falsa, *Petrus & Paulus sunt non videntes*. Quia facit hunc sensum, *Petrus, & Paulus nullo modo sunt videntes*. Eo quod, (vt ait sapientissimus Magister Soto) *non videntes* semper importat negationem contrariam ad videntes. Cum autem Petrus & Paulus aliquo modo sint videntes, nimirum quatenus sunt Petrus, & Paulus, licèt quatenus sunt Ioannes, & Thomas non videant: hinc provenit prædictā propositionem absolutè esse falsam. Videatur sapientissimus Magister Sotolibro primo Summularum, capitulo vltimo, & libro tertio, capitulo nono, lectione tertia, argumento primo.

11 Contra tertiam conclusionem obijcies primo. Album, & nigrum sunt termini contrarij: & tamen naturaliter verificātur de scuto sacri Ordinis Prædicatorum; ergo duo termini contrarij possunt naturaliter de eodem verificari. Minor probatur. Scutum sacri Ordinis Prædicatorum habet albedinem, & nigredinē; ergo est album, & nigrum. Patet consequentia. Nam album nihil aliud est, quam habens albedinē, & nigrum non est aliud nisi habens nigredinem; ergo si prædictum scutum habet albedinem, & nigredinē est album, & nigrū. Confirmatur. Si idem suppositum haberet humanitatem, & equinitatē esset homo, & equus; ergo pariter subiectum habens albedinem, & nigredinem erit album, & nigrum. Confirmatur secundo. Prædictum scutum est in specie colorati determinatè; ergo est in specie albi, & nigri. Patet consequentia. Non enim est maior ratio de vna, quam de alia specie.

12 Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem. Licèt enim prædictum scutum habeat albedinem & nigredinem: tamen non est album, & nigrum. Album enim absolutè loquendo non est solum *habens albedinem, sed habens albedinem se-*

secundum se totum, vel secundum maiorem partem. Siquidem denominatio absoluta desumitur à qualitate prædominante. Cum autem prædictum scutum habeat albedinem, & nigredinem in æqualitate: hinc provenit, quod absolutè loquendo, nec dicatur album, nec dicatur nigrum, sed partim album, & partim nigrum. Verum quidem est (vt auferatur æquiuocatio) quod quælibet forma in illo scuto existens, nimirum albedo, & nigredo præstat suam denominationem realem. Cæterum nulla præstat denominationem verbalem, & absolutam consistentem in vsu nostræ locutionis. Quia vsus loquendi non dicit absolutè album, nisi subiectum habeat plus de albedine, quam de nigredine. Ad primam confirmationem concesso antecedenti, nego consequentiam. Discrimen consistit in hoc, quod forma substantialis cum non habeat gradus intensionis, nec sit in vna parte subiecti, & non in alijs, præstat supposito absolutam denominationem verbalem; forma autem accidentalis, vel ex defectu intensionis, vel ex defectu extensionis, benè potest esse in subiecto non præstando illi denominationem absolutam sequētem vsum loquendi. Ad secundam confirmationem dicatur prædictum scutum esse in specie colorati vnitate desumpta à subiecto, non verò vnitate desumpta à forma. Quapropter quamuis sit vnum coloratum, non est in vnica specie colorati determinatè. Tunc enim id quod est vnum in genere, est vnum in specie determinata quando vnitas generica provenit ab vnitate formæ dantis esse genericum; secus verò si vnitas generica proueniat à subiecto. Vnde hæc consequentia, *hoc subiectum est coloratum; ergo in aliqua specie determinata colorati*, non valet, quia in illa variatur applicatio, eo quod in antecedenti applicatur vnitas supra subiectum, & in consequenti supra id à quo provenit species, & quia species provenit a forma applicatur formæ. Quapropter in prædicta consequentia ex vnitate subiecti infertur vnitas formæ, & ideò est mala.

13 Obijcies secundo. *Calidum*, & *frigidum* sunt termini contrarij: & tamen verificantur de eodem; ergo nostra conclusio est falsa. Minor probatur. Aqua tepida est calida, & frigida; ergo *calidum*, & *frigidum* verificantur de eodem. Probatur antecedens. Aqua tepida est affecta calore, & frigore; ergo est calida, & frigida. Confirmatur. Anima Christi Domini fuit gaudens, & tristis; sed isti termini opponuntur contrariè; ergo duo termini contrarij verificantur de eodem. Respondetur, concedendo maiorem, & negando minorem. Si enim aqua tepida ha-

habet calorem, & frigiditatem in æquali gradu, nec dicetur absoluta locutione calida, nec frigida, sed vocabitur tepida propter rationem datam in solutione præcedentis argumenti. Aduertendum tamen erit, quod aliquando vocamus aquam absolutè calidam, licèt in re habeat plus frigoris, quam caloris: & ratio est, quia calor magis à nobis sētitur, ex quo fit, quod aliquando subiectum tantum habet de calore, quam de frigore, & absolutè illud vocamus calidum. Ad confirmationem dicatur, quod anima Christi Domini in superiori parte habebāt gaudium per se, & per actum proprium, & dolorem per accidens, id est, per corporis passionem. Non enim inconuenit, quod duo motus contrarij cōueniant eidem subiecto, si vnus sit per se, & alius conueniat per accidens. Vel secundo dicatur, quod gaudium illud, & ille dolor non erāt contraria quia non erāt de eodē. De qua solutione videndus est Diuus Thomas prima secundæ quæst. 39. art. 4.

14. Contra quintā conclusionem obijcies primo. Iustus, & peccator sunt termini priuatiuè oppositi, & tamen verificantur de eodem; ergo nostra conclusio est falsa. Minor probatur. Homo existens in gratia est iustus, & est peccator; ergo verificantur de eodem. Confirmatur primo. *Bonum*, & *malum* opponuntur priuatiuè, & tamen verificantur de eodem; ergo idem, quod prius. Minor probatur. Id quod est malum, necessario est ens; sed omne ens est bonum; ergo id quod est malum, etiam est bonum. Confirmatur secundo. Actus, & potentia opponuntur priuatiuè, & tamen verificantur de eodem; ergo falsa est nostra cōclusio. Minor probatur. Ab actu ad potentiam est bona consequentia; ergo id quod est in actu est etiam in potentia, ac per consequens, actus & potentia verificantur de eodē. Respondetur negando maiorē. Peccator enim non suppon t solum pro homine existente in peccato, sed etiam pro homine potente peccare, & cum posse peccare, & esse iustum non opponantur, nec peccator, & iustus opponuntur. Ad primam cōfirmationem dicatur, quod malum nūquam est bonum bonitate illa qua dicitur priuatiuum, seu priuatum, licèt possit esse bonum alia bonitate proueniente à subiecto. Vndè bonum, & malum quatenus priuatiuè opponuntur, nunquam verificantur de eodem. Ad secundam confirmationem dicatur, quod ly *potentia*, & ly *actus*, quatenus ly *potentia* significat membrum diuisionis, qua ens diuiditur in actum, & potentiam sunt termini priuatiuè oppositi, & hoc modo nunquam verificātur de eodem, quia si res aliqua habet esse in potentia, non habet esse in actu, & è conuerso. At verò si ly *potentia* significat potentiam

tiam operatiuam, tunc ly *potẽtia*, & *actus* non sunt termini oppositi priuatiuè, & in hoc sensu possunt de eodem verificari.

15 Obijcies secundo. Isti termini *viuum*, & *mortuũ* opponuntur priuatiuè: & tamen verificantur de eodem; ergo conclusio nostra est falsa. Maior patet. Eodem enim modo opponuntur *viuens* & *mortuum* sicut vita, & mors: sed vita, & mors opponũtur priuatiuè; ergo *viuens*, & *mortuum* etiam priuatiuè opponuntur. Minor verò probatur. Christus Dominus modo est viuus, & etiam modo est mortuus; ergo verificantur *viuum*, & *mortuum* de eodem. Confirmatur. Ly *cæci*, & ly *videntes* opponuntur priuatiuè: & tamen falsificantur de eodem; ergo duo termini priuatiuè oppositi possunt de eodem falsificari. Minor probatur. Si Petrus videat, & Paulus sit cæcus, hæc propositio est falsa, *Petrus & Paulus sunt cæci*, & etiam ista, *Petrus & Paulus sunt videntes*; ergo falsificantur de eodem. Respondetur distinguendo maiorem. Si ly *mortuum* sumatur nominaliter quatenus significat vita carentem, concedo maiorem. Si accipiatur participialiter, quatenus significat quod vita caruit, siue modo viuat, siue non viuat, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. *Viuũ* enim, & *mortuum* sumptum participialiter non opponuntur priuatiuè, quia quod modo viuit, nõ inconuenit, quod in aliquo tempore vita caruisset. Et ideò, in hoc sensu prædicti termini non opponuntur priuatiuè, & possunt de Christo verificari. At verò *viuum* & *mortuum*, si ly *mortuum* accipiatur nominaliter, opponũtur priuatiuè, & de nullo possunt simul verificari. Ad confirmationem dicatur, quod in numero plurali duo termini priuatiuè oppositi possunt de eodem falsificari. Et ratio est. Quia ex eo quod duo termini priuatiuè oppositi in numero plurali falsificentur, non sequitur duas contradictorias falsificari. Ex hoc enim quod ista propositio sit falsa *Petrus, & Paulus sunt cæci*, non sequitur hanc esse falsam *Petrus, & Paulus sũt, non videntes*. Nam si vnus videat, & alius sit cæcus, prima est falsa, & secunda est vera.

16 Contra vltimam conclusionem obijcies primo. Isti termini *Creator*, & *creatura* opponuntur relatiuè: & tamen verificantur de eodem; ergo nostra conclusio est falsa. Minor probatur. Christus, vt Christus, creauit Christũ: sed Christus fuit creatus à Christo Domino; ergo Christus Dominus fuit Creator, & creatura, ac per consequens prædicti termini verificantur de Christo. Minor probatur. Christus Dominus fuit creatus à Deo; ergo etiam est creatus à Christo. Patet consequentia. Nam omnes actiones ad extra, quæ dicuntur de Deo dicuntur etiam de Christo. Respon-

pondetur distinguendo maiorē. Ratione eiusdem, concedo maiorem. Ratione diuersi, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Christus enim Dominus, quatenus est suppositum diuinum subsistens in humanitate ratione deitatis est Creator, quatenus verò est suppositum diuinum subsistēs in humanitate, ratione humanitatis est creatura. Ly *quatenus* reduplicante humanitatem, & non deitatem, nec suppositum. Vndè *Creator*, & *creatura* non verificantur de Christo Domino ratione eiusdem, & in ordine ad idem.

17 Obijcies secundo. Ex eo quod duo termini relatiuè oppositi verificentur de eodem, non sequitur duas contradictorias de eodem verificari; ergo duo termini relatiuè oppositi possunt de eodem simul verificari. Antecedens probatur. In oppositione relatiua non includitur oppositio contractoria; ergo non sequuntur duæ contradictoriæ veræ ex eo quod verificentur duo termini relatiuè oppositi. Antecedens expressè habetur in Diuo Thoma quæst. 7. de potentia art. 8. ad 4. argumentum. Respondetur, negando antecedens. Ad probationem ex Diuo Thoma, nego antecedens. Et pro intelligentia illius aduertendum erit ex eodē Angelico Magistro primo sententiarum distinctione 26. quæstione secunda articulo secundo. Quod oppositio relatiua differt ab alijs oppositionibus; quod in alijs vnum oppositum includit priuationem alterius; in oppositione autem relatiua vnum oppositum non includit priuationem alterius, sed solam alterius negationem. Quando igitur Diuus Thomas dicit, quod relatiua oppositio non includit contradictoriam, debet intelligi, quod nō includit illam contradictoriam, in qua vnum extremum dicit priuationem alterius.

QVÆSTIO XX.

Vtrùm ly non homo neganter, & ly non homo infinitanter sumptum sint termini pertinentes sequela?

1 LY *non* neganter sumptum, & ly *non* infinitāter acceptum in tribus differunt. Primò differunt in hoc; quod ly *non* infinitanter acceptum non transit vltra terminum, cui adiungitur, sed vis eius termino, cui adiungitur, aligatur. At verò ly *non* neganter acceptum, quidquid post se inuenit negat. Secūdò differunt in eo quod infinitanter acceptum ponit aliquid, & significat aliquid positiuè. Secus verò si neganter accipiatur. Tertiò differunt per hoc quod ly *non* neganter sumptum facit vnum terminum complexum cū termino categorematico, cui adiungitur. At verò infinitanter sumptum solum facit vnum termi-

minum in complexum, & connotatiuum subordinatum vnico conceptui, ex quibus sequitur, quod ly *homo*, & ly *non homo* infinitanter sumptum opponuntur contradictoriè. Nam totum, quod ponit ly homo negat ly non homo, in quo licèt non explicetur negatio, eo quod significat per modum positiui, involbitur tamen, & implicatur. Hoc supposito resolutoriè dicendum est. Terminus infinitatus, & negatus sunt pertinentes sequela, & habent se sicut superius, & inferius. Probatur hæc conclusio. Terminus infinitatus infert se ipsum negatum, & non è conuerso; ergo sunt pertinentes sequela sicut superius, & inferius. Probatur antecedens. Benè valet, *Petrus est non albus*; ergo *Petrus non est albus*, & non è conuerso; ergo terminus infinitatus infert se ipsum negatum, & non è conuerso. Probatur antecedens. Nam argumentamur ab affirmatiua ad negatiuam variato prædicato penes finitum, & infinitum; ergo est bona consequentia,

2 Contra collorarium illatum obijcies primo. Illi termini opponuntur contradictoriè, quorum vnus dicit explicitam negationem alterius: sed ly *non homo* infinitanter sumptum non dicit explicitam negationem hominis; ergo ly *non homo* infinitanter sumptum, & ly *homo* non opponuntur contradictoriè. Cõfirmatur. Vnus ex terminis contradictorijs nihil ponit in re, sed præcisè negat quidquid ponit terminus positiuus: sed ly *non homo* infinitanter sumptum ponit aliquid sicut ly *homo*; ergo non opponuntur contradictoriè. Respondetur, concedendo maiorem, & distinguendo minorem. Non dicit explicitam, negationem hominis in voce, concedo minorem, in re nego minorem, & consequentiam. Licèt enim in voce ly *non homo* infinitanter sumptum non importet explicitam negationem hominis: tamen in re illam importat, quia significat omnia alia, quæ non sunt homo. Ad confirmationem constat ex dictis. Licèt enim ly *non homo* infinitanter sumptum significet per modum positiui, in significato positiuo negatio hominis importatur.

3 Obijcies secundo. Istæ propositiones, *homo currit*, *non homo currit*, ly *non* sumpto infinitanter non sunt contradictoriè; ergo nec ly *homo*, & ly *non homo* infinitanter sumptum erunt termini contradictorij. Probatur consequentia. Quia ly *homo*, & ly *non homo*, ly *non* sumpto neganter sunt termini contradictorij, istæ propositiones *homo currit*, *non homo currit*, ly *non* sumpto neganter sunt contradictoriæ; ergo si propositiones constantes ex ly homo, & ly *non homo* infinitanter sũpto nõ sunt cõtra-

dictoria, nec ipse termini erunt contradictorij. Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam. Ad probationem concesso antecedenti, nego consequentiam. Ratio discriminis est. Nam ly *non* sūptum infinitanter alligatur termino, cui adiungitur, ita vt vis eius vltra non transeat. Quapropter facit oppositionem contradictoriam cum solo termino positiuo, cui adungitur, non vero cum tota propositione. Eo quod vis eius ad totam propositionem non transijt.

4 Contra conclusionem obijcies primo. Res significata per terminum infinitum non includitur in re significata per terminum negatiuum; ergo ly *non homo* neganter, & ly *non homo* infinitanter non sunt termini pertinentes sequela. Probatur antecedens ly *non homo* neganter significat negationem, & hominem, infinitanter verò significat id, quod est non homo, vt stat sub negatione hominis: sed vnum significatum non includitur in alio; ergo res significata per vnū terminum non includitur in re significata per alium, & consequenter non erunt pertinentes sequela. Quandoquidem, vt duo termini sint pertinentes sequela, necessarium est quod significatum vnus in significato alterius cōtineatur. Aliàs istī termini Deus, & *equus* essent pertinentes. Respondetur quod negatio significata per terminum infinitum includitur in negatione significata per terminum negatiuum. Qua ratione terminus infinitus addit aliquid ad terminum negatiuum, & significat aliquid, quod non significatur per terminum negatiuum. Nam ly *non homo* infinitanter, ponit aliquid, & significat omne id, quod non est homo, quod quidem non significatur per ipsum neganter acceptum. Et ideò ly *non homo* neganter sumptum est superius ad ly *non homo* infinitanter acceptum.

5 Obijcies vltimo. Non minus albedo infert non nigredinem, quam *non homo* infinitanter inferat *non hominem* neganter: sed albedo, & non nigredo non sunt termini pertinentes; ergo nec ly *non homo* infinitanter, & ly *non homo* neganter. Maior probatur. Benè valet *est albedo; ergo est non nigredo*; ergo non minus albedo infert non nigredinem, quam *non homo* infinitanter infert *non hominem* neganter. Minor etiam constat. Quia *albedo, & non nigredo*, nec sunt pertinentes, vt superius, & inferius, ne vt conuertibiles. Confirmatur. Ly *non homo* infinitanter non infert se ipsum neganter; ergo non sunt termini pertinentes sequela. Probatur antecedens. Non benè valet, *Petrus fuit non albus*; ergo *Petrus non fuit albus*; ergo terminus infinitus, seu infinitatus non in-

infert terminum negatiuum, seu negatum. Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem *Albedo* enim, & *non nigredo* sunt termini pertinentes sicut superius, & inferius. Nam albedo infert non nigredinem, & non infertur ex non nigredine. Ad confirmationem dicatur prædictam consequentiam esse malam, non quia terminus infinitus, non inferat terminum negatiuum, sed quia copula est de extrinseco tempore, & committitur defectus *à non distributo ad distributum* ex parte particularitatis inclusæ in copula, & hæc dicta sufficiant de tota ista disputatione applicando litteræ sapientissimi Magistri Soto libro primo Summularum à capitulo tertio vsque ad vltimum.

Disputatio vndecima, de nomine.

QVÆSTIO I.

Vtrùm signum sit genus ad nomen?

1 QVideffendunt signum esse genus ad terminũ, consequenter asserunt signum esse genus ad nomen. Sicut qui tenent signum non esse genus ad terminum, consequenter sibi videntur procedere asserendo signum non esse genus ad nomen. Nos verò aliter iudicamus esse discurrendum de termino, ac de nomine. Nã terminus primo, & per se respicit propositionem, & constituitur per ordinem ad illam. Vndè ratio signi materialiter supponitur ad rationem formalem termini. At verò nomen per se primo dicit ordinem ad id quod notificat, & ex hoc ordine oritur tanquam proprietas ordo ad propositionem, per quem constituitur nomen in ratione termini. Vndè resolutoriè dicendum est. Signum est formaliter superius, & genus proprium ad nomen. Probatur primo conclusio. Nomen est notificatiuum rei: (vt ait sapientissimus Magister Soto) sed notificatiuum constituitur formaliter per ordinem ad id, quod notificat; ergo nomen constituitur formaliter per ordinem ad rem notificatam; ergo signum cuius ratio est respicere rem significatam, est superius ad nomen. Secundo probatur conclusio. Nomen determinat per intranea rationem signi; ergo signum est formaliter superius, & genus ad nomen. Consequentia tenet. Et antecedens probatur, determinat rationem signi per hoc, quod est significare rem secundum primum conceptum, qui habetur de illa sine tempore finitè, & incomplexè; sed ratio significandi est intranea ad rationem signi; ergo nomen determinat per intranea rationem signi: ac per

consequens signum est genus ad nomen.

2 Contra nostram conclusionem obijcies primo. Terminus est genus ad nomen; ergo signum non est genus ad nomen. Consequentia tenet. Et antecedens probatur. Nam sapientissimus Magister Soto libro primo Summularum cap. 2. notabili 2. ait, quod terminus est genus ad nomen, & verbum; ergo terminus est genus ad nomen. Respondetur, negando antecedens. Ad probationem dicatur sapientissimum Magistrum locutum fuisse de genere tali modo sumpto secundum illum modum loquendi, quo omne superius solet genus nuncupari: & cum terminus sit superior saltim materialiter ad nomē, quatenus minus exigit ex parte subtracti, scilicèt, signi, quod denominat eius intentio, quam exigat nomen, seu intentio nominis. Nam non valet est terminus; ergo est nomen, valet tamen est nomen; ergo est terminus: ideò in hoc sensu dixit sapientissimus Magister, terminum esse genus ad nomen, quatenus terminus est superior ad nomen superioritate non subsistendi consequentia.

3 Obijcies secundo. Si signum esset genus ad nomen ratio nominis principalius reperiretur in nomine mentali, quam in vocali. Consequens est falsum; ergo & antecedens. Minor patet. Nam secundum sapientissimum Magistrum Soto libro secundo Summularum capitulo secundo notabili vltimo, nomen propriè dicitur de vocali, & metaphoricè de mentali. Maior verò probatur. Ratio signi principalius reperitur in mentali, quam in vocali; ergo si signum esset genus ad nomen, ratio nominis principalius reperiretur in mentali, quam in vocali. Respondetur, negādo maiorē. Itaque de nomine possumus dupliciter loqui, vno modo attēdendo præcisè ad eius formalē, vel essentialē rationem, quæ per diffinitionē nominis explicatur, & in ista consideratione principalius reperitur ratio nominis in mentali, quam in vocali. Alio modo possumus loqui de nomine attendēdo, nimirum ad vsum nominū, quatenus per nomina communiter res exterius nominamus: & hæc ratio nominandi exterius non reperitur in conceptu, & in nomine mentali. Quapropter dixit sapientissimus Magister rationem nominis secundum hanc vltimam considerationem metaphoricè dici de nomine mentali.

4 Obijcies tertio. In multiplicata ratione signi multiplicatur ratio nominis; ergo signum non est genus ad nomen. Consequētia est euidens. In multiplicata enim ratione generica, implicat, quod specifica multiplicetur. Antecedēs autē probatur: hoc cōplexū *Petrus, & Paulus* est vnū signum:

num: & tamen non est vnum nomen, sed duo nomina; ergo in multiplicata ratione signi ratio nominis multiplicatur. Respondetur negãdo antecedẽs. Ad probationem distinguo maiorem. Est vnum signum, quatenus signum determinatur per rationem termini, concedo maiorem. Quatenus contrahitur per differentiam nominis, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiã. Etenim ratio signi aliter determinatur per rationẽ termini, & aliter contrahitur ad rationẽ nominis. Quatenus enim determinatur per rationẽ termini, cum terminus non petat ex suo conceptu in complexionem; eo quod datur terminus cõplexus: hinc prouenit, quod signũ, quatenus determinatur per rationẽ termini, nõ petat in complexionem, & sicut non obstãte complexione termini, terminus dicitur vnus, ita non obstante complexione signi signũ dicitur vnum. At verò ratio signi determinatur per nominis rationem exigendo in complexionem. Et ratio est. Nam cum nomẽ petat in complexionẽ, eo quod non datur nomen cõplexum, ideò signum, quatenus determinatur per rationem nominis, etiam petit in complexionẽ. Ex quo fit, quod ly *Petrus & Paulus* (& idem dico de ly *homo albus*) est vnum signũ loquendo de ratione signi, quæ fundat relationem termini; si verò loquamur de ratione signi, quę est determinata per differentiam nominis, non est vnum signum, sed duo signa.

5 Obijcies quarto. Signum dicit ordinem ad rem significatam, & nomen dicit ordinẽ ad propositionẽ: sed propter hanc rationẽ signũ non est genus ad terminũ; ergo nec erit genus ad nomẽ. Antecedens probatur. Nomẽ enim dicitur pars essentialis propositionis; ergo nomen dicit ordinẽ ad propositionẽ. Confirmatur primo. Nam secundum Aristotelem primo per hermeniarum, omnis propositio constat ex nomine, & verbo; ergo nomen est pars propositionis. Confirmatur secundo. Nomen enim pertinet ad considerationem Dialecticam: sed nõ pertinet vt totum; ergo pertinet vt pars; ac per consequens nomen est pars propositionis. Respondetur negando antecedens. Ad probationem distinguo antecedens. Nomen dicit ordinem radicaliter ad propositionẽ, concedo antecedẽs, formaliter, nego antecedens, & consequentiam. Ratio enim formalis nominis est radix ordininis ad propositionẽ, per quem constituitur formaliter nomen in ratione partis propositionis. Cæterum iste ordo non est ratio formalis cõstitutiua nominis, sed oritur ex eius ratione cõstitutiua. Et instio argumentũ Nã signũ partiale est radix ordinis ad propositionẽ in omnium sententia, & tamen in probabili ratio signi partialis non est ratio partis. Similer etiam, ad hoc quod no-

men dicatur essentialis pars propositionis, sufficiet, quod ordo ad propositionem oriatur ex ratione formali, & essentia nominis, tãquam propria passio illius; quia passiones etiam prædicantur essentialiter. Prædicatio enim essentialis sic diffinitur à sapientissimo Magistro Soto, est illa, in qua prædicatum est de essentia subiecti, vel proprium illius. Vndè homo dicitur essentialiter risibilis, & propositio dicitur essencialiter significatiua veri, vel falsi, quamuis risibilitas non sit ratio constitutiua hominis, sed propria passio illius. Ad primam confirmationem explico Philosophum. Ex nomine secundum propriam rationem nominis, nego antecedens, secundum passionem nominis, cõcedo antecedens, & nego consequentiam. Quæ solutio constat ex dictis. Sed contra illam replicabis. Verbum secundum propriam rationem verbi est pars propositionis; ergo pariter nomen secundum propriam rationem nominis erit pars propositionis. Patet consequentia. Eodem enim tenore verborũ loquitur Philosophus de nomine, ac de verbo; ergo si verbum secundum propriam rationem verbi est pars propositionis, etiam nomen secundum propriam rationem nominis erit pars propositionis. Ad istam replicam respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam. Ratio discriminis est. Nam ratio formalis verbi est vnire extrema propositionis, & esse formam totalem illius. Sicut humanitas est forma totalis hominis: & cũ de ratione vnionis alicuius totius, & de ratione formæ totalis sit esse partem illius. Hinc prouenit, quod ratio formalis verbi est ratio partis. Ad verò ratio nominis est esse notificatiuũ rei. Nomen autẽ (vt dicit sapientissimus Magister) est quo nominamus. De ratione autẽ notificatiuè solũ est ordo ad noticatũ, & si ex isto ordine oriatur tãquam passio ordo ad propositionẽ. Quo circa ratio formalis nominis non est ratio partis, nec ordo ad propositionẽ. Ad vltimã confirmationẽ distinguo maiorem. Nomen secundũ rationem formalem nominis, nego maiorem; secundum passionẽ nominis, concedo maiorem, & concessa minori, nego consequẽtiam. Ad hoc enim vt nomen pertineat ad considerationem dialecticam, sufficit quod sit pars secũdũ passionẽ nominis, & secundũ propriam rationem sit fundamẽtum rationis partis, sicut signum partiale pertinet ad considerationem dialecticam, non quia ratio signi partialis sit ratio partis, sed quia ratio signi partialis est fundamentum rationis partis.

6. Obijcies vltimo. Genus ad nomen est quod ponitur, vt prima pars diffinitionis nominis: sed vt prima pars diffinitionis nominis non ponitur signum, sed

vox;

vox; ergo vox, & nõ signum erit genus ad nomen. Respondetur, quod Philosophus 6. Ethicorum solum dixit, quod omnis diffinitio debet constare ex genere, vel ex aliquo posito loco generis. Vndè ex eo, quod vox ponatur vt prima pars in diffinitione nominis, non benè colligitur esse propriũ genus illius. Quia potest poni loco generis. Sicut ex eo quod ponatur vt prima pars in diffinitione termini, non colligitur in probabili sentẽtia, quod sit propriũ genus termini. Et ratio huius traditur à D. Thoma primo per hermeniarum lect. 4. Nã in diffinitione accidentis in cõcreto ponitur subiectũ quasi genus, & accidens quasi differentia; & cùm per diffinitionẽ nominis nomẽ diffiniatur in cõcreto, & vox sit subiectũ secũdæ intẽtionis nominis: hinc prouenit, quod in prædicta diffinitione vox ponatur loco generis, & ad summum vt genus physicum non autem vt proprium genus metaphysicum.

7 Ex verbis Diui Thomæ loco nuper citato colligo, quod nõ est idem vox significatiua, ac signum vocale. Nam signum vocale est propriè genus ad nomẽ vocale secus vero vox significatiua: insuper est alia differentia. Nã in voce significatiua possumus signare subiectum, & materiam nominis, nempè vocem: in signo autem vocali id non possumus signare. Denique alia inuenitur differentia. Etenim iste terminus *vox significatiua* est terminus cõplexus significans vocem secundum sibi propria, & vt est materia nominis. Quo circa aliud est dicere nomen est signum vocale, & aliud nomen est vox significatiua. Sicut aliud est dicere album est coloratum colore tali, & aliud album est corpus affectum colore tali. Ex quo infero, quod licèt nomen possit diffiniri per signum vocale tanquam per proprium genus tamen propter rationem assignatam à Diuo Thoma loco citato, nimirum, quia artificialia sunt in genere substantiæ ex parte materiæ congruentius diffinitur per vocem positam loco generis. Aliam rationem dedimus in diffinitione termini, quæ ibi potest videri. Si autem inquiras, quod signum sit genus ad nomen. Breuiter respondeo, quod signum vt sic diuiditur essentialiter in signum totale, & in signum partiale. Rursus signum partiale diuiditur essentialiter, tanquam in species in signum partiale significans sine tempore finitè, & incomplexè, quod est nomen, & in signum partiale non significans sine tempore finitè & incomplexè. Primum membrum vocatur nomen, secundum autem ob penuriam nominum vocatur signum partiale specialiter dictum. Sicut quando diuiditur negatio in negationem & priuationem, & alteratio in alterationem, intensionem, & remissionem. Vndè signum partiale

abstrahens à prædictis speciebus est proprium genus ad nomen.

QVÆSTIO II.

Vtrùm diffinitio nominis sit bona?

1 SVppositis his, quæ circa diffinitionem termini dicta sunt, resolutoriè dicendũ est diffinitionem nominis esse bonam. Hæc conclusio non aliter probatur, quàm authoritate sapientissimi Magistri Soto hoc modo diffinitionem nominis tradentis. *Nomen igitur est vox significatiua ad placitum, sine tempore: cuius nulla pars per se est significatiua separata finita, & recta.* Cõtra istã cõclusionẽ obijcies primi. Terminus æquiuocus est nomen: & tamen non conuenit illi diffinitio nominis; ergo est mala. Minor probatur. Terminus æquiuocus per nullam particulam diffinitionis nominis excluditur à ratione nominis; ergo terminus æquiuocus est nomen. Probatur antecedens. Si per aliquam excluderetur, maximè per illam *vox significatiuã ad placitum*: sed per istam non excluditur, quia eodẽ modo intelligitur hæc particula in diffinitione nominis, ac in diffinitione termini à cuius ratione non excluditur terminus æquiuocus; ergo terminus æquiuocus per nullam particulam excluditur à ratione nominis. Confirmatur primo. Secũdum Aristotelem primo per hermeniarum omnis propositio constat ex nomine, & verbo: sed hæc propositio *canis est substantia*, constat ex termino æquiuoco; ergo terminus æquiuocus est nomen. Confirmatur secundo. Ex eo quod in ly *canis* reperiatur triplex intentio termini non sequitur, quod ly *canis* non sit verè terminus; ergo pariter ex eo quod in ly *canis* reperiatur triplex intentio nominis, non sequetur, quod ly *canis* non sit verè nomen. Confirmatur vltimo; per illam particulam *finita* excluditur à ratione nominis, ly *non canis*; ergo per istam particulam non potest excludi à ratione nominis ly *canis*. Patet cõsequentia. Ly *canis*, & ly *non canis* sunt termini contradictorij; ergo non possunt excludi à ratione nominis per eãdem particulam. Respondetur, negando maiorem. Ad probationem dicatur terminum æquiuocum excludi à ratione nominis per illam particulam *finita* per quam non solum excluduntur à ratione nominis termini infiniti, sed etiam omnes illi termini, qui non habent finitam, & determinatam significationem: cùm ergo terminus æquiuocus non habeat finitam, & determinatam significationem: hinc prouenit, quod per illam particulam *finita* à ratione nominis excludatur. Ad primam confirmationem dicatur, quod quando Aristoteles dixit, omnem propositionem de-

debere constare ex nomine, & verbo, locutus fuit de nomine lato modo sumpto, quatenus cõuertitur cum termino. Ad secundam confirmationem concesso antecedenti; negamus consequentiam. Ratio discriminis est. Nam ratio termini est esse signum constitutiuum propositionis; quæ ratio non destruitur per hoc, quod intentiones multiplicentur in vna voce. At verò ratio nominis est esse notamen rei certæ, & determinatæ; quæ ratio destruitur, quando in vna voce multiplicantur rationes notaminis, & intentiones nominis. Vndè non est eadem ratio. Ad vltimam confirmationem dicatur, quod ly *canis* excluditur à ratione nominis per illam particulam *finita*, non quia sit nomen infinitum, sed quia habet illimitatam significationem, & non significat vnam determinatam rem. Quapropter potest excludi à ratione nominis per eãdem particulam per quam excluditur ly *non canis*. Cum eadem sit vtroque ratio.

2 Obijcies secundo. Nomen complexum est verè nomen, & tamen non conuenit illi diffinitio nominis; ergo est mala. Probatur maior. Complexio non tollit rationem nominis; ergo nomen complexum est verè nomen. Dices quod complexio tollit rationem vnius nominis. Quo circa nomen complexum non est vnum nomen, sed duo nomina. Sed contra istam solutionem replicatur. Nomen complexum est vnus terminus; ergo erit vnum nomen. Patet consequentia. Non enim potest multiplicari ratio inferior non multiplicata ratione superiori; sed ratio termini est superior ad nomen; ergo si in nomine complexo non multiplicatur ratio termini, nec multiplicabitur ratio nominis; ac per consequens si nomen complexum est vnus terminus, etiam erit vnum nomen. Respondetur solutionem datam esse legitimam, & ad replicam concesso antecedenti, nego consequentiam. Ad probationem distinguo maiorem, si ratio superior sit formaliter superior, concedo maiorem, si solum materialiter sit superior, nego maiorem; & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Multoties enim non multiplicata ratione, quæ materialiter est superior, multiplicatur ratio inferior, sicut in multiplicato corpore multiplicantur multoties species coloris.

3 Obijcies tertio, quod propositio hypotetica cõstet ex duabus cathegoricis significantibus duas veritates, non tollit, quod sit vna propositio; ergo pariter quod nomen cõplexum cõstet ex duobus nominibus, quorũ quodlibet sit rei certæ notamẽ, nõ tollet, quod sit vnũ nomẽ. Cõfirmatur ly *animal rationale* est cõplexũ: &

& tamen est vnum nomen; ergo nomen complexum est vnum nomen. Minor probatur. Solum notificat vnam hominis essentiam; ergo est vnum nomen. Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam. Ratio disparitatis est. Nam de ratione propositionis, vt sic tolum est enunciare: Cum igitur propositio hipotetica habeat vnitatem in ratione enunciandi, ideo in ratione propositionis est vna. At verò de ratione nominis est esse nomen rei certæ, & determinatæ: Nomen enim est, quo nominamus, & cum complexio tollat istam rationem, ideo nomen cõplexum non est vnum nomẽ. Ad confirmationem dicatur, quod ly *animal rationale* notificat essentiam hominis, non per modum nominis, sed per modum diffinitionis. Quo circa non est vnum nomen, sed duo nomina.

4 Objcies vltimo. Duo nomina possunt artificiosè vniri; ergo nomen complexum est vnũ nomen. Antecedens est certum. Si enim duo termini possunt artificiosè vniri, vt cõstituant vnum terminum complexum vnitate compositionis, etiam duo nomina poterunt artificiosè vniri, vt constituant vnum nomen vnitate compositionis. Consequentia vero probatur. Vnitas compositionis in termino complexo est sufficiens ad hoc, quod terminus complexus sit vnus terminus; ergo pariter vnitas compositionis in nomine complexo sufficiens erit, vt nomen complexum sit vnum nomen; Confirmatur. Ly *omnis homo* est verè vnum nomen: & tamen habet partes per se significatiuas; ergo nomen complexum, quamuis habeat partes per se significatiuas, erit vnũ nomen. Maior probatur. Ly *omnis* non est nomen; ergo ly *omnis homo* non est duo nomina, sed vnum nomen. Respõdetur, quod duo nomina possunt artificiosè vniri in ratione compositi artificiosi, non verò in ratione nominis Quia ratio nominis non compatitur cum artificiosa compositione; quia tollit rationem notaminis rei certæ, & determinatæ. Ratio vero termini orationis, & propositionis compatitur, cum artifitiosa compositione, vt dictum est. Vnde non est eadem ratio. Ad confirmationem dicatur, quod licet ly *omnis* non sit nomẽ, adiunctum tamen cum ly *homo*, tollit nominis vnitatem. Cum tollat rationem notaminis rei certæ & determinatæ, & rationem eius, quo nominamus. Non enim nominamus res nomine complexo, sed incomplexo. Quia quælibet res sicuti habet determinatam rationem, & essentiã, ita habet nomen determinatum, & simplex. Ita enim nominamus, scilicet, signato homine dicimus quomodo vocatur hoc, & respõdemus homo, non tamen respondemus omnis homo.

QVÆ-

QVÆSTIO III.

Vtrùm nomen infinitum sit verè nomen?

1 SVppositis hijs, quæ in quæstione vltima præcedentis disputationis dicta sunt, resolutoriè dicendum est, nomen infinitum non esse verè, & propriè nomen. Hæc conclusio probatur ratione Diui Thomæ primo per hermeniatum Lectione quarta propè finem. Nam omne nomen, aut aliquam determinatam naturam, vt ly *homo*, aut personam determinatam, vt pronomen, aut vtrumque, vt ly *Petrus*, significat: sed nomen infinitum, nec determinatam naturam, nec determinatam personam significat; ergo nomen infinitum non est verè, & propriè nomen. Maior est Diui Thomæ. Minor vero probatur. Nomen enim infinitum æqualiter dicitur de ente, & de non ente, æqualiterque supponit pro illo, quod est, & pro illo, quod non est; ergo nomen infinitum nec determinatam naturam, nec determinatam personam significat. Confirmatur hæc ratio. Nomen debet esse notamen alicuis rei certæ, & determinatæ: Sed nomen infinitum, vt ly *non homo*, non est notamen certum alicuius rei certæ, & determinatæ; ergo nomen infinitum non est verè, & propriè nomen. Maior est certa, vt enim ait sapientissimus Magister Soto, nomen est quo nominamus; ergo nomē debet esse notamen certum alicuius rei certæ, & determinatæ. Minor vero probatur. Nam ly *non homo*, non est notamen alicuius rei certæ, & determinatæ, quæ sit homo, nec certæ, & determinatæ, quæ sit non homo, nec alicuius rei determinatæ, quæ sit negatio hominis; ergo nomen infinitum, vt ly *non homo*, non est notamen certum alicuius rei certæ, & determinatæ. Antecedens pro prima, & secunda parte constat. Et pro tertia probatur. Ly *non homo*, non significat negationem hominis sub conceptu negationis hominis, quamuis illam in exercitio importet; ergo ly *non homo*, non est notamen certum alicuis rei, quæ sit negatio hominis. Antecedens probatur. Ly *non homo*, & ly *negatio hominis* diuersum modum habent significādi: Sed ly *negatio hominis* significat negationem hominis signate, & sub conceptu proprio negationis hominis; ergo ly *non homo*, non significat negationem hominis signate, & sub conceptu proprio negationis hominis, sed significat aliquid indeterminatum, nimirum, quidquid non est homo.

2 Contra istam conclusionē obijcies primo. Nomē infinitum significat aliquid determinatum; ergo est verè, & propriè nomen. Probatur antecedens. Ly *non homo* est quoddam signum determinatum distinctū à l *non equus*; ergo significat significatum deter-

terminatum distinctum à significato de ly *non equus*. Confirmatur. Nomen infinitum non dicitur æqualiter de eo, quod est, & de eo, quod non est; ergo ratio probatiua nostræ conclusionis est nulla. Probatur antecedens. Ly *non ens*, & ly *non intelligibile* olum dicuntur de non entibus; ergo nomen infinitum, non dicitur æqualiter de eo, quod est, & de eo quod non est. Respondetur negando antecedens. Ad probationem distinguo antecedens, ly *non homo* est quoddam signum determinatum in ordine ad id, quo significat, & de quo dicitur, nego antecedens, est quoddam signum determinatum in esse entis, concedo antecedens, & nego consequentiam. Licet enim ly *nõ homo*, sit aliquid determinatum in esse entis, & in esse termini, nihilominus tamen in esse signi in ordine ad rem, quam significat, & in esse notaminis, non est aliquid determinatum; quia rem determinatam, non notificat. Ad confirmationẽ dicatur, quod nomen infinitum, licet ex parte rei significatæ, non dicatur æqualiter de eo, quod est, & de eo, quod non est, tamen ex modo significant æqualiter dicitur de eo, quod est, & de eo, quod non est; quia ex modo significandi, non determinat sibi subiectum de quo aliquid notificet.

3 Obiicies secundo. Ly *ens*, ly *intelligibile*, & ly *imaginabile* magis ampliam habent significationem, quam ly *non homo* & tamen sunt verè, & propriè nomina; ergo ly *non homo* erit verè, & propriè nomen. Respondebis, quod licet prædicta nomina ex parte rei significatæ habeãt magis amplam significationem, quam ly *non homo*: tamen ex modo significandi, non habent ita latam significationem, sicut ly *non homo*. Quia prædicta nomina significãt sua significata dicendo de illis aliquam rationem positiuam, nimirum, quod sunt entia, & quod sunt intelligibilia, & quod sunt imaginabilia. Sed contra replicatur. Ly *non homo* ex modo significãdi significat negationem hominis per modum determinantis omne id, quod non est homo; ergo ex modo significandi importat determinatam significationem. Probatur antecedens. Ly *non homo*, & ly *non equus* ex modo significandi diuersam habent significationem: sed ly *non equus* ex modo significandi significat negationem equi per modum determinantis omne id, quod non est equus; ergo ly *non homo* significat negationem hominis per modum determinantis omne id, quod non est homo. Respondetur solutionem datam esse legitimam; & ad replicam dicatur, quod licet ly *non homo* significet determinatam negationem in ratione termini significatiui: tamen in ratione nominis ex modo significandi, nõ significat aliquid determinatum, quia significatio nomi-

minis, non debet esse determinata vt cumque, sed in ordine ad illud de quo dicitur taliter, quod ex modo significandi notificet modo positiuo illud de quo dicitur, dicẽdo de illo, illud quod est: & cũ nomen infinitũ, vt *ly non homo* hoc nõ habeat: hinc prouenit, quod licet sit verè signum, & propriè terminus, non tamen est verè nomen.

4 Obijcies tertio Hæc propositio, *equus est non homo* significat determinatam veritatem; ergo partes illius significant aliquid determinatum: sed vna pars illius est *non homo*; ergo ly *non homo* significat aliquid determinatum. Antecedens est certum. Et prima consequentia probatur. Determinata veritas propositionis oritur ex determinata significatione partium; ergo si prædicta propositio significat veritatem determinatam, partes illius aliquid determinatum significant. Antecedens probatur. Ideò hæc propositio, *canis est substantia*, nõ significat aliquam determinatam veritatem, quia subiectũ non habet determinatã significationẽ; ergo determinata veritas propositionis oritur ex determinata significatione partiũ. Confirmatur. Hæc propositio, *equus est nõ homo*, est essentialis; ergo affirmatur aliquid determinatũ de subiecto; ac per cõsequens ly *non homo*, quod est prædicatum aliquid determinatum significat. Patet consequentia. In propositione enim essentiali prædicatum dicit aliquid quod est de essentia subiecti: sed id, quod est de essentia alicuius debet esse determinatum; ergo si propositio est essentialis prædicatum, dicit aliquid determinatum. Respondetur concedendo antecedens, & distinguendo consequens, aliquid determinatum in ratione entis, vel significati termini, concedo consequentiam. In ratione significati nominis, nego consequentiam. Ad hoc enim vt prædicta propositio significet aliquid determinatũ, sufficit, quod partes eius significent aliquid determinatum in ratione entis, & significati per terminum. Ad cõfirmationem dicatur cum nostro Eminentissimo Caietano capitulo quarto de ente, & essentia quæst. 5. in fine, quod negatio importata per prædicatum prædictæ propositionis, potest dupliciter accipi, & formaliter, & fundamentaliter. Si sumatur formaliter prædicta propositio, est accidentalis, sicut ista *homo est species*, quia talis negatio tribuitur equo per operationem intellectus. Si verò sumatur fundamentaliter, tunc propositio est essentialis, eo quod negatio fundamẽtaliter sumpta, nihil aliud est, quã ipsa essentia equi, ex qua, & in qua fundatur, quod equus sit non homo. Cæterũ ex hoc nõ sequitur prædicatũ significare aliquid determinatũ. Quia si attẽdamus ad significationẽ de ly *non homo* affirmando significatum de equo pro-

propositio prædicta non erit essentialis. Est tamen essentialis, quatenus natura equi est subtractum negationis hominis importatæ per ly *non homo*, quod quidem subtractũ essentialiter prædicatur de equo, si prædicatum accipiatur fundamentaliter. Et solum in hoc sensu prædicta propositio est essentialis.

5 Obijcies vltimo. Si ly *non homo* non esset nomen, maximè quia non dicit id, quod est res: sed hæc ratio est nulla; ergo ly *non homo* est verè, & propriè nomen. Minor probatur. Ly *cæcus* & ly *tenebrosum*, & similiter ly *immateriale* non dicunt id, quod est res, sed id quod non est res: & nihilominus sunt nomina; ergo minor est vera. Maior patet. Nam ly *cæcus* dicit, quod subiectum, seu res significata non est videns, & ly *immateriale* dicit, quod subiectum caret materia; ergo non dicunt id quod est res, sed id quod non est res. Confirmatur. Idem prædicatur in hac propositione, *Angelus est immaterialis*, ac in ista, *Angelus est non materialis*: Sed in prima prædicatum significat aliquid determinatum, & est verè nomen; ergo etiam in secunda prædicatum significabit aliquid determinatum, & erit propriè nomen; ac per consequẽs ly *non materiale* est verè, & propriè nomen. Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem dicatur, quod ly *cæcus* dicit, quod res significata sit non videns, notificando ex modo significandi excitatem de subiecto, ac si esset forma positiua subiecto conueniens. Et similiter ly *immateriale* notificat de subiecto immaterialitatem per modum formæ positiuæ. Quapropter prædicta nomina sunt verè, & propriè nomina. At verò ly *non homo* nihil notificat de subiecto, & ideò non est nomen. Ad confirmationem dicatur, quod licet ly *immateriale* significet idem, ac ly *non materiale*, tamen habet modum significandi diuersum, quia ly *immateriale* significat modo positiuo. Ly autẽ *non materiale*, non significat modo positiuo, & determinato, sed indeterminato dicẽdo quidquid non est materiale. Vel secundo dicatur, quod ly *immateriale*, non significat idem ac ly *non materiale*. Quia ly *immateriale* significat fundamentum negationis materiæ, quod est aliquid positiuum, nimirum ipsa essentia rei spiritualis, quatenus caret materia. At verò ly *non materiale*, non significat prædictum fundamẽtum, sed indeterminatè dicit, quidquid non est materiale. Vnde nõ significant idem.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm casus obliqui sint verè, & propriè nomina?

1 REsolutoriè dico primo. Rectus, & obliquus subordinantur diuersis conceptibus.

bus. Hæc conclusio probatur hac ratione. Conceptus diuersificantur per diuersitatem obiectorum intelligibilium: sed obiecta conceptus recti, & conceptus obliqui sunt diuersa; ergo rectus, & obliquus subordinantur diuersis conceptibus. Minor probatur. Nam homo, vt significatur per ly *homo* est formaliter distinctum obiectum à se ipso, vt significatur per ly *hominis*; ergo obiectum conceptus recti est formaliter distinctum ab obiecto conceptus obliqui. Probatur antecedens. Homo vt significatus per ly *homo* nullã dicit habitudinem ad aliud, sed solum naturam humanam secundum se, & sine dependentia, sed vt significatus per ly *hominis* includit, & dicit habitudinem ad aliud; ergo homo, vt significatus per ly *homo* est formaliter distinctum obiectum à se ipso, vt significatur per ly *hominis*. Confirmatur. Rectum, & obliquum in verbo subordinantur diuersis conceptibus; ergo pariter rectum, & obliquum in nomine subordinãtur diuersis conceptibus. Consequentia tenet à paritate rationis. Et antecedens probatur. Præsens, & præteritũ subordinantur diuersis conceptibus; ergo rectum, & obliquum in verbo subordinãtur diuersis conceptibus.

2 Dico secundo. Rectus, & obliquus non differunt in ratione termini, sed si rectus fuerit terminus absolutus, etiam obliquus, & si rectus fuerit terminus connotatiuus, similiter etiã obliquus terminus connotatiuus erit. Hæc cõclusio est expressa sapiẽtissimi Magistri Soto in hoc capitulo, & probatur ratione. Rectus enim & obliquus significant idẽ, & habẽt eundem modum significandi absolutum, vel connotatiuum; ergo non differunt in ratione termini. Antecedens probatur. Sicut ly *homo* significat per modum per se stantis, ita ly hominis per modum per se stantis significat; ergo rectus, & obliquus habent eundem modum significandi absolutum, vel connotatiuum.

3 Dico vltimo. Casus obliquus, non est verè, & propriè nomen. Hæc conclusio est D. Thomæ opusculo 48 & probatur ratione. Etenim nomen est quo nominamus, sed solum recto, seu nominatiuo nominamus; ergo solum casus rectus, seu nominatiuus est verè, & propriè nomen. Minor probatur. Si signato homine mihi interrogatur, quomodo vocatur hoc? non respondeo *hominis*, sed respondeo *homo*; ergo solum recto, seu nominatiuo nominamus. Confirmatur hæc ratio. Nomen est notamen rei quatenus res à nobis concipitur secũdum sua prædicata essentialia absque aliqua comparatione, & habitudine ad aliud; sed obliquus non significat rem, quatenus à nobis primo concipitur, sed cum quoddam habitudine ad aliud; ergo non est verè, & propriè nomen.

Con-

4 Contra primam conclusionem obijcies primo. Notitia intuitiua, & abstractiua improbabili sententia solum differunt accidentaliter; ergo pariter conceptus, quibus subordinantur rectus, & obliquus solum differunt accidentaliter; ac per consequens rectus, & obliquus habent eundem specie conceptum. Probatur consequentia. Ideò notitia intuitiua, & abstractiua solum differunt accidentaliter, quia versantur circa idem obiectum, licet diuerso modo attingant illud: sed etiam conceptus recti, & cõceptus obliqui versantur circa idem obiectum, licet diuerso modo significatum; ergo par ratio vtrobique currit. Respondebis, quod modi diuersi præsentiæ, & absentiæ, qui inueniuntur in obiectis notitiæ intuitiuæ, & abstractiuæ, solum diuersificant obiecta istarum notitiarum in esse entis, non tamen formaliter in ratione obiecti. Vnde prædicti modi solum exercentur in prædictis notitijs, non verò signate importantur. At verò modus recti, & modus obliqui non solum diuersificãt obiecta conceptuum recti, & obliqui in rationi entis, verum etiam formaliter in ratione obiecti, & non solum importantur exercitè in prædictis conceptibus, sed etiam signate. Sed contra replicatur. Ideò modi præsentiæ, & absentiæ, non diuersificant formaliter in ratione obiecti, obiecta notitiæ intuitiuæ, & abstractiuæ, quia sunt modi accidentales, supponentes quidditatem obiectorum notitiæ intuitiuæ, & abstractiuæ, sed etiam modi recti, & obliqui sunt modi accidentales, supponentes quidditatem rei significatæ per rectum, & obliquum; ergo par ratio vtrobique currit, & disparitas est nulla. Respondetur solutionem datam esse legitimam. Et ad replicam dicatur, quod modi præsentiæ, & absentiæ sunt omnino accidentales ad obiecta notitiæ intuitiuæ, & abstractiuæ formaliter in ratione obiecti, non quia supponunt quidditatem obiecti, sed quia non significantur signate ex parte obiecti per nomina significantia obiecta prædictarum notitiarum. At verò modi recti, & obliqui sunt modi diuersificantes obiecta cõceptuum recti, & obliqui formaliter in ratione obiecti. Quia sunt modi signate significati per nomina significantia rectũ & obliquum. Quapropter ingrediuntur in conceptibus recti, & obliqui. Ex quo infero, quod sicut ly *homo*, & ly *hominis* subordinantur diuersis specie conceptibus, quia significant rem eandem diuerso modo diuersitate signate significata, & importata in re significata, ita pariter ly *præsens*, & ly *absens* subordinantur diuersis specie conceptibus. Quia licet significent eandem rem, significant tamen illã diuerso modo diuersitate signate importata in re per prædicta nomina significa-

ta

ta, & solam hoc probat argumentum.

5 Obijcies secundo. Rectus, & obliquus significant eandem rem; ergo rectus, & obliquus eidem conceptui subordinantur. Probatur consequentia. Conceptus non diuersificantur, nisi per diuersitatem rei significatæ; ergo si rectus, & obliquus significant eandem rem, subordinantur eidem conceptui. Confirmatur. Quæ eadem specie, & phantasmate repræsentantur eodem cõceptu possunt intelligi: Sed rectus, & obliquus eadem specie impressa repræsentantur; ergo eodem conceptu cognoscuntur. Respondetur, quod licet rectus, & obliquus significet eandem rem, diuerso tamen modo illam significant, quæ diuersitas modi est sufficiens ad diuersificandos conceptus. Sicut diuersitas modi significandi, quæ inuenitur in ly *album*, & in ly *albedo* est sufficiens ad diuersificandos conceptus correspondentes albedini significatæ in concreto, & in abstracto. Similiter etiam diuersitas modi significandi, quæ inuenitur in recto, & in obliquo, est sufficiens, vt tali modo diuersificet propositiones, quod vna sit Catholica, & alia hæretica, vt patet in hijs propositionibus. *Michael est Deus*, *Michael est Dei*, quarum prima est hæretica, & secunda Catholica. Ad confirmationem nego maiorem. Natura enim corporea, & spiritualis eadem specie impressa repræsentantur; & tamen non eodem conceptu cognoscuntur. Principium enim potest habere maiorem amplitudinem, quam principiatum. Cum enim species impressa sit principium cognitionis, bene possunt duæ res per eandem speciem impressam repræsentari, & non cognosci per eundem conceptum.

6 Contra secundam conclusionem obijcies primo. Obliquus significat aliquid per modum alteri adiacentis; ergo omnis obliquus est terminus connotatiuus. Probatur antecedens. Nam ly *hominis* significat de materiali hominem, & de formali modum habitudinis per modum adiacentis homini; ergo obliquus est terminus connotatiuus. Confirmatur. Omnis obliquus est terminus synchategorematicus: sed rectus aliquando est cathegorematicus; ergo rectus, & obliquus differunt in ratione termini. Maior probatur. Nullus obliquus potest esse subiectum, vel prædicatum: Sed omnis terminus cathegorematicus potest esse subiectum, vel prædicatum; ergo omnis obliquus est terminus syncathegorematicus. Respondetur negando antecedens. Etenim obliquus, licet significet habitudinem per modum complentis, & determinantis significatum recti. Sicut vnum significat modum entis per modum determinantis ens: tamen

obliquus non significat habitudinem per modũ formæ informãtis significatum recti. Quo circa non omnis obliquus est terminus connotatiuus. Insuper est alia ratio, ob quam obliquus non est terminus connotatiuus. Nam terminus connotatiuus debet primario significare formam, & secundario materiale subiectum, obliquus autem è contra significat, nimirum primario hominem, vt ly *hominis*, & secundario habitudinẽ. Ad confirmationẽ dicatur, quod de ratione termini cathegorematici non est esse subiectũ, vel prædicatum, sed significare aliquid, ideſt, non per modum modi. Posse autem esse subiectum, vel prædicatum est perfectio accidentalis conueniens terminis chategorematicis perfectis: Cum autem obliquus significet aliquid, quamuis non possit esse subiectum, vel prædicatum, hinc prouenit, quod est terminus cathegorematicus, quamuis imperfectus.

7 Obijcies secundo. Si rectus, & obliquus conuenirent in ratione terminini, etiam conuenirent in ratione nominis: consequens est falsum, ergo & antecedens. Maior probatur. Ideò rectus, & obliquus conueniunt in ratione terminii cathegorematici, quia obliquus, quamuis ratione sui non possit esse subiectum, vel prædicatum, potest tamen ratione sui recti: Sed etiam obliquus licet ratione sui, non possit esse notamen, potest tamen ratione sui recti; ergo si rectus, & obliquus conueniunt in ratione terminii, conuenient etiam in ratione nominis. Minor probatur. Non minus est de ratione termini cathegorematici esse subiectum, vel prædicatum, quam de ratione nominis esse notamen: Sed obliquus per suum rectũ potest esse subiectum, vel prædicatum; ergo pariter per suum rectum poterit esse notamen Respondetur negando maiorem. Ad probationẽ nego causalem. Obliquus enim non ideò est terminus cathegorematicus, quia per suum rectum potest esse subiectum, vel prædicatum, sed quia significat aliquid, vt ly *hominis*, & non aliqualiter, ideſt, per modũ modi. Quod sufficit, vt obliquus essentiam termini cathegorematici habeat, vt dictum est in præcedẽti solutione. Similiter etiam non excluditur obliquus à ratione nominis, quia non potest reddere suppositum verbo, sed quia non significat notificando, & per modum notaminis. Vt docet sapientissimus Magister Soto in hoc capitulo Lect. vnica, notabili 7. illis verbis. *Recta* ponitur in diffinitione ad excludendum casus nominum, qui ideò non sunt nomina: quia solo nominatiuo nominamus. Vnde obliquus nullo modo habet rationem nominis, cum nullo modo habeat rationẽ nominatiui.

8 Contra vltimam conclusionem obijcies primo. Adiectiuum ad-

adiectiuè tentum est verè, & propriè nomen; ergo obliquus erit verè, & propriè nomen. Consequentia probatur. Ita adiectiuum adiectiuè sumptũ deficit à substãtiuo. Sicut obliquus deficit à recto; ergo si adiectiuum adiectiuè sumptũ est verè, & propriè nomẽ, etiam obliquus erit verè, & propriè nomen. Confirmatur. Ly *pater* significat rem cum habitudine ad aliud, & tamẽ est verè nomẽ; ergo quamuis obliquus significet rem cum habitudine ad aliud, erit verè, & propriè nomen. Respondetur concedendo antecedens, & negando cõsequentiam. Adiectiuum enim adiectiuè sumptum est verè, & propriè nomen. Quia licet deficiat à substantiuo in eo, quod est esse subiectum propositionis ab illo non deficit in ratione prædicati, & in ratione notaminis. Quandoquidem adiectiuum adiectiuè sumptũ potest esse prædicatum, & notamen alicuius rei certæ, & determinatæ sine habitudine ad aliud propter identitatem, quæ inter ipsum adiectiuè tentum, & substantiuè sumptum inuenitur. At verò obliquus nullo modo habet rationem notaminis deficit enim à recto, non solum in ratione subiecti, & prædicati, verum etiam in ratione notaminis, quam non potest habere nec ratione sui, nec ratione identitatis, quam habet cum recto, quia cum suo recto nullo modo identificatur. Vnde non est eadem ratio. Ad confirmationem dicatur, quod ly *pater* significat habitudinem ad filium non superuenientem accidentaliter patri, sed habitudinem, qua est de conceptu essentiali patris, quatenus pater per ly *pater* significatur, & ideo ly pater est nomen. Quia notificat rem secundum sibi essentialia. At verò obliquus significat rem secundũ habitudinẽ accidentaliter illi aduenientem. Quapropter non est verè & propriè nomen. Quia nõ significat rem nudè sumptam & secundum suam essentiam.

9 Obijcies vltimo. Obliquus potest esse medium in aliquo syllogismo; ergo potest esse verè & propriè nomen. Antecedens patet. Iste enim est optimus syllogismus, *cuiuslibet hominis quilibet equus currit: Petrus est homo; ergo Petri equus currit.* & tamen mediũ constat ex recto, & obliquo; ergo obliquus potest esse medium in aliquo syllogismo. Consequentia verò probatur. Ex nomine, & non nomine, non potest conflari mediũ alicuius syllogismi. Alias medium teneretur æquiuocè; ergo si medium prædicti syllogismi constat ex recto, & obliquo, obliquus est verè nomen. Respondetur, quod ad hoc, quod obliquus sit medium in aliquo syllogismo, nõ requiritur, quod sit verè, & propriè nomen, nec quod illi correspondeat idem conceptus, ac recto correspondet; sufficit enim ad hoc, quod medium prædicti syllogismi non teneatur æquiuocè, quod rectus, & obliquus sig-

nificent idem substantialiter, vt docet sapientissimus Magister Soto in secunda parte, libri quinti Summularum capitulo primero, lect. 2.

QVÆSTIO V.

Vtrùm nomina transcendentia possint infinitari?

1 NOmina transcendẽtia, vt ly *ens*, & ly *intelligibile* possunt dupliciter accipi, vel quatenus significant omnem entitatẽ, & intelligibilitatem, tam realem, quàm rationis, & hoc modo accipiuntur in tota sua latitudine, vel secũdo possunt accipi prædicta nomina trascendentia non in tota sua latitudine, & quatenus significant omnem entitatem, & intelligibilitatem, sed solum quatenus significant solam entitatem, & intelligibilitatem realem. Et quidem certum est nomina transcendentia hoc secundo modo sumpta posse infinitari. Quia negatio illis infinitanter addita quãuis neget entitatem, & intelligibilitatem realem, non tamen negat entitatem, & intelligibilitatẽ rationis. Quapropter quamuis infinitẽtur hoc secũdo modo accepta, adhuc habẽt aliquod significatum, nimirum entitatẽ, & intelligibilitatẽ rationis. Vnde difficultas solum est, an nomina transcẽdentia in tota sua latitudine quatenus significant omnem entitatẽ, & intelligibilitatẽ, quomodocumque sit, possint infinitari. In qua parte resolutoriè dicendum est, nomina transcendentia in tota sua latitudine accepta nõ posse infinitari. Hæc conclusio est nostri Alberti Magni, libro secundo perhermeniarum capitulo quinto. Et probatur hac vnica ratione. Nomen infinitum debet aliquid significare: Sed nomina transcendẽtia infinitata in tota sua latitudine, nihil significant; ergo nomina transcendentia in tota sua latitudine sumpta nõ possunt infinitari. Maior est certa. Nam nomẽ infinitum est terminus; terminus verò aliquid significat; ergo nomen infinitã debet aliquid significare. Minor vero probatur. Si nomina transcendentia infinitata in tota sua latitudine aliquid significarẽt, maximè negationẽ entis, & intelligibilis, in tota sua latitudine, ideſt, negationem entis, & intelligibilis, quomodolibet ens, & intelligibile sit: Sed negatio cuiuscumque entis, & intelligibilis, tam realis, quàm rationis non est significabilis; ergo nomina transcendentia in tota sua latitudine infinitata nihil significant. Minor probatur. Quod nullo modo est intelligibile, nullo modo est significabile: Sed negatio cuiuscumque entis, & cuiuscumque intelligibilis quomodolibet illud sit non est vllo modo intelligibilis; ergo nullo modo est significabilis. Minor probatur. Omne, quod cognoscitur ab intellectu, debet esse ens, & intelligibile; sed negatio cu-

cuiuscumque entis, & intelligibilis nullo modo est ens; ergo nullo modo est intelligibilis. Maior patet. Etenim obiectum nostri intellectus est ens, & intelligibile, siue reale, siue rationis; ergo omne quod cognoscitur à nostro intellectu debet esse ens, & intelligibile. Minor verò probatur dupliciter. Primo. Nam negatio nō potest esse positiuum, quod negat. Quandoquidem negatio, & positiuum opponuntur contradictoriè; ergo negatio cuiuscumque entis, & intelligibilis nullo modo est ens, nec etiam intelligibilis. Secundo; negatio hominis nullo modo est homo, & negatio cuiuscumq; equi nullo modo est equus; ergo pariter negatio cuiuscumque entis, & intelligibilis nullo modo est ens, nec intelligibilis. Confirmatur primo hæc ratio. Nulla potentia potest exire extra limites sui obiecti: sed. Si intellectus noster intelligeret negationem cuiuscumque entis, exiret extra limites sui obiecti; ergo negatio cuiuscumque entis tam realis, quàm rationis non est vllo modo intelligibilis. Minor probatur. Obiectum enim intellectus nostri est ens in tota sua latitudine: sed negatio cuiuscumque entis non continetur in ente in tota sua latitudine; ergo si intellectus noster intelligeret negationem entis in tota sua latitudine, exiret extra limites sui obiecti. Minor probatur. Nam negatio hominis realis, non est homo realis, nec in homine reali continetur, & negatio hominis rationis non est homo rationis, nec in homine rationis continetur, & similiter negatio cuiuscumque hominis, tam realis, quàm rationis nullo modo est homo, nec in homine continetur; ergo similiter negatio cuiuscumque entis, tam realis, quam rationis nullo modo est ens, nec in ente continetur. Confirmatur secundo. Quod nullo modo est bonum, nec reale, nec apparens, nullo modo est amabile à voluntate; ergo pariter quod nullo modo est ens, nec reale, nec rationis, nullo modo erit ab intellectu intelligibile; ac per consequens si negatio cuiuscumque entis nullo modo est ens, nullo modo erit intelligibilis. Patet consequentia. Sicut enim bonum est obiectum voluntatis, ita ens est obiectum intellectus; ergo si quod nullo modo est bonum, nullo modo est amabile, similiter quod nullo modo est ens, nullo modo erit intelligibile, ac per cōsequens ly *non ens* sumpto ente in tota sua latitudine nihil intelligibile significat.

2 Contra istam conclusionē obijcies primo. Secundū sapientissimum Magistrum Soto in hoc capitulo, lectione vnica, notabili sexto, nomina transcēdētia possunt infinitari; ergo nostra cōclusio est falsa. Probatur antec. illis verbis sapientis. Magistri loco citato: *Ex hijs sequitur omnia nomina*

positiua posse infinitari quantumcũque transcendentia, & vniuersalissima; ergo secundum sapientissimum Patrem Magistrum nomina transcendẽtia possunt infinitari. Respondetur negando antecedens. Ad probationẽ explico sapientissimum Magistrum Nomina positiua quantũcumque transcendentia possunt infinitari secũdum aliquod sui significatum; concedo antecedens: in tota sua latitudine, & secundum omne sui significatum, nego antecedens, & consequentiam. Etenim sapientissimus Magister in verbis relatis solum voluit dicere, quod nomina quantumcumque transcendentia secundum aliquod significatum sui, nimirum quatenus significant entia realia possunt infinitari, quod patet ex exemplis ab ipso adductis, nam dicit, quod *non ens* est causa per accidens, & *non intelligibile* significat aliquid, quod totum est falsum tum modo ente, & intelligibili in tota sua latitudine secundum omne sui significatum. Quia secundum istam considerationem *non ens* nullo modo est ens, & non intelligibile nullo modo est intelligibile. Quo circa secundum istam considerationem non ens, non potest esse causa per accidens, nec non intelligibile potest significari. Vt constat ex ratione probatiua nostræ conclusionis.

2 Obiicies secundo. Negatio entis in tota sua latitudine potest significari; ergo ratio probatiua nostræ conclusionis est nulla. Probatur antecedens. Negatio entis in tota sua latitudine potest de aliquo affirmari: sed quod de aliquo affirmatur potest significari; ergo negatio entis in tota sua latitudine potest significari. Maior probatur. Hæc propositio est vera, *quimera est non ens*; ergo negatio entis in tota sua latitudine potest de aliquo affirmari. Cõfirmatur. Intellectus habet vniuersalem vim, & virtutem intellectiuam; ergo potest intelligere negationem entis in tota sua latitudine. Probatur consequentia. Quia intellectus habet vniuersalem vim intellectiuam, potest intelligere negationem hominis in tota sua latitudine; ergo pariter, quia intellectus habet vniuersalem vim intellectiuam, poterit intelligere negationem entis in tota sua latitudine. Respondetur negando antecedens. Ad probationem nego maiorem. In prædicta enim propositione non affirmatur de quimera negatio entis in tota sua latitudine, sed negatio solius entis realis. Quia propositio facit hunc sensum, *quimera non est ens reale, est tamen ens per rationem*, & solum in isto sensu prædicta propositio est vera; si tamen prædicatum prædictæ propositionis sit negatio entis in tota sua latitudine, tunc propositio est falsa, & facit hunc sensum, *quimera est hæc vox negatio entis*. Nam negatio entis in tota sua latitudine cum non possit significari:

si: hinc prouenit, quod ly *non ens* sumpto ente in tota sua latitudine, non habet conceptum vltimatum, sed sit vox non significatiua. Ad confirmationem cõcesso antecedenti, nego consequentiam. Ad probationem nego causalem tanquam adæquatam. Non enim intellectus potest exire extra limites sui obiecti specificatiui: & ideò quamuis habeat vim vniuersalem intellectiuam, non potest intelligere negationẽ entis in tota sua latitudine. Aliàs exiret extra limites sui obiecti specificatiui, vt probauimus in probatione conclusionis. Sed quando intellectus nititur apprehendere negationem entis in tota sua latitudine, illam apprehendit ad modum alicuius entitatis. Vnde nũquam apprehendit negationem cuiuscumque entitatis, tam realis, quàm rationis. At verò negatio hominis in tota sua latitudine, cum contineatur intra obiectum specificatiũ intellectus, nimirum intra ens communissimũ, ideò potest ab intellectu concipi, & apprehendi.

4 Obijcies tertio. Ens in tota sua latitudine potest concipi à nostro intellectu; ergo pariter negatio entis in tota sua latitudine potest concipi à nostro intellectu. Probatur consequentia. Negatio entis in tota sua latitudine est contradictorium entis in tota sua latitudine: sed quando vnum contradictorium contradictoriatur alicui positiuo concepto positiuo, etiam contradictorium concipitur; ergo si negatio entis in tota sua latitudine est contradictorium entis in tota sua latitudine, & ens in tota sua latitudine concipitur, etiam negatio entis in tota sua latitudine cõcipietur. Confirmatur. Hæc propositio est vera, *nihil non est ens*, ergo etiam hæc erit vera, *nihil est non ens*; ac per consequens *non ens* potest de aliquo affirmari, & negari; ac proinde concipi. Antecedens est verum, & consequentia probatur. Quia argumentamur à negatiua ad affirmatiuam variato prædicato penes finitum, & infinitum; ergo si antecedens est verũ, etiam consequens. Confirmatur secundo. Hæc propositio est vera *ratio boni non est ratio entis*; ergo hæc erit vera, *ratio boni est non ratio entis*; ac per consequens negatio entis in tota sua latitudine cõcipitur, & de aliquo affirmatur. Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam. Ad probationem nego suppositum. Ens enim in tota sua latitudine non habet aliquod contradictorium in re, sed solum in voce; eo quod negatio cuiuscumque entis non est significabilis. Vnde non ens in tota sua latitudine solum apparenter, & in voce contradictoriatur enti in tota sua latitudine. Quia *non ens*, in tota sua latitudine sumpto ente, solum est vox aliqua, non tamen aliqua res, quod docuit Aristoteles decimo Metaphisicæ illis verbis,

bis, *non enti, nihil est idem* aut diuersum. Ad primam cõfirmationem dicatur, quod nihil numquã subijcitur, vel prædicatur respectu alterius, quatenus significat negationem cuiuscumque entis, sed quatenus importat negationem entis realis, non tamen entis rationis, & in ista consideratione conceditur hæc propositio, *nihil est non ens* si tamen ly *nihil*, & ly *non ens* sumantur, quatenus negant omnem entitatẽ, tunc prædicta propositio est in qua vox non significatiua de voce nõ significatiua prædicatur. Vnde est falsa, & facit hanc sensum, hæc vox *nihil* est hæc vox *non ens*. Quia si istæ voces negent omnem entitatem, nihil significant, nec sunt termini. Illa autem regula à negatiua ad affirmatiuam variato prædicato pœnes finitum, & infinitum solum tenet quando prædicatum infinitum aliquid significat, non tamen quando prædicatum finitum significat aliquid, & infinitum propter multam negationem non significat aliquid, sed solum accipitur pro voce: Et cum ly *non ens*, sumpto ente in tota sua latitudine nihil significet: hinc prouenit, quod in illo non teneat locus arguendi à negatiua ad affirmatiuam variato prædicato pœnes finitum, & infinitum.

Per quod ad secundam confirmationem constat solutio.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm diuersitas generis reperiatur in mente vltimata?

1 SVpponendo masculo, & fœminæ diuersos conceptus correspondere, & similiter nominibus fœminã, & masculum significantibus correspondere diuersos cõceptus; quia sunt nomina animalia diuersi sexus significantia; quod inquirimus est. An eadem res subordinetur diuersis conceptibus per hoc præcisè, quod significetur nomine masculini generis, vel fœminini. In qua parte resolutoriè dicendũ est. Nõ datur diuersitas generis in mẽte. Hæc conclusio est expressa nostri sapiẽtissimi Magistri in hoc capitulo, & probatur primo ratione. Conceptus est naturalis similitudo obiecti illud naturaliter repræsentans independenter à significatione vocis: Sed diuersitas generis masculini, vel fœminini ex impositione iuxta libitum imponentium variatur; ergo hæc diuersitas generis masculini, vel fœminini non inuenitur in mẽte. Minor probatur. Nam eadem res significatur per ly *lapis*, ac per ly *petra*: & tamen primum nomen est masculini generis, & secundum fœminini; ergo stante eadem re significata variatur diuersitas generis pœnes diuersam terminationẽ vocis iuxta libitum imponentium. Secundo probatur conclusio. Si eadem res subordinaretur diuersis conceptibus per hoc præcisè, quod significaretur no-

nomine masculini generis, vel fœminini, sequeretur, quod conceptus non naturaliter repræsentaret, cõsequens est falsum; ergo & antecedens. Sequela probatur. Eidem *rei* correspondерēt diuersi conceptus propter diuersas terminationes vocum eandem rem significantium; ergo conceptus non ex naturali similitudine, sed ex diuersa terminatione nominis rem per ipsum nomen significatam repræsentaret. Probatur antecedens. Nam eadem res, quæ in Hispano idiomate nomine fœminini generis significatur in altero idiomate nomine masculini generis contingit repræsentari; ergo eidem rei diuersi conceptus correspondebunt propter diuersam terminationem vocum eandem rem significantium; ac per consequens in omnibus nationibus non essent iidem conceptus, quod est contra D. Thomã primo per hermeniarũ Lect. prima,

2 Contra nostram conclusionem obijcies primo. In cõceptu, non vltimato datur diuersitas generis, ergo etiam in conceptu vltimato dabitur diuersitas generis. Antecedens patet. Nam ly *albus*, & ly *alba* diuersos habent cõceptus non vltimatos; & consequentia probatur. Conceptus nõ vltimatus est conceptus vocis, vt significatiuæ; ergo si diuersitas generis causat diuersos cõceptus non vltimatos, causabit etiã diuersos conceptus vltimatos. Probatur consequentia. Nam diuersa significatio arguit diuersa significata, vel diuersum modum significandi, sufficientem ad diuersificandos cõceptus vltimatos; ergo si diuersitas generis causat diuersos conceptus non vltimatos vocis significatiuæ, ita etiam causabit diuersos cõceptus rei significatæ; ac per consequens in mente vltimata datur diuersitas generis. Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiã. Disparitas cõsistit in hoc. Nã conceptus non vltimatus solum attendit ad vocem significatiuã in recto. Et cum ly *albus* & ly *alba* sint diuersæ voces significatiuæ; hinc prouenit, quod conceptus non vltimati sunt diuersi. At verò conceptus vltimatus attendit ad rem significatam: & cum res significata per ly *albus*, & per ly *alba* sit eadem; hinc prouenit, quod conceptus vltimatus sit idẽ. Et insto argumentum. Nã in probabili sententia huic voci *canis* tres conceptus vltimati correspondent, & solũ vnus non vltimatus. Et similiter hijs vocibus *Marco Tullio* duo conceptus non vltimati correspondent, & tamẽ non habent nisi vnũ vltimatum; ergo ex cõceptu non vltimato ad vltimatũ quantum ad vnitatem, vel diuersitatem non licet argumentari. Sed contra replicabis. Ly *albus*, & ly *alba* non significant idem; ergo solutio est nulla. Probatur antecedens. Non licet sumere vnum pro alio in eadem propositione; ergo nõ significant idem.

idem. Probatur antecedēs. Non licèt dicere *corpus alba*, sed dicitur *corpus album*; ergo non licèt sumere vnum pro alio. Respondetur, negando antecedens. Ad probationem dicatur, quod solum ex compositione gramaticali, non licèt sumere vnum pro alio, non tamen ex re significata, & conceptu vltimato, quia res significata, & conceptus vltimatus non diuersificantur, vt patet in subiectis harum propositionū, *vestis alba calefacit*, *indumentum album calefacit*, quibus idem conceptus vltimatus correspondet. Quia licèt terminatio vocum, per quam consideratur diuersitas generis sit diuersa, res tamen significata est eadem. Quæ solutio desumitur ex Diuo Thoma 3.par.quæst.60.art.7.ad tertium argumentum.

3 Obijcies secundo. Istæ propositiones, *homo est albus*, *homo est alba*, subordinantur diuersis conceptibus vltimatis: & tamen in prædictis propositionibus solum est diuersitas generis ex parte prædicati; ergo diuersitas generis inuenitur in mente vltimata. Maior probatur. Nam solum masculis existentibus prima est vera, & secunda falsa; ergo prædictæ propositiones subordinantur diuersis conceptibus. Confirmatur hoc argumentum. Adiectiuum adiectiuè tentum, & adiectiuum substantiuè sumptum subordinantur diuersis conceptibus: & tamen in adiectiuo adiectiuè tento, & substantiuè sumpto solum inuenitur diuersa terminatio vocis; ergo diuersa terminatio vocis, & diuersitas generis inuenitur in mente vltimata. Respondetur distinguendo maiorem, subordinantur diuersis conceptibus propter solam diuersitatem generis; nego maiorem. Propter diuersitatem sexus, quæ ex consuetudine, & vsu loquendi cum diuersitate generis coniungitur, concedo maiorem, & negando minorem, nego consequētiam. Etenim prædictæ propositiones subordinantur diuersis conceptibus non propter diuersitatem generis importatam ex parte prædicati; sed propter diuersitatem sexus, quæ ex consuetudine, & vsu loquendi in prædictis propositionibus importatur. Nam prima propositio accipitur pro masculis, & secunda pro fœminis. Vndè sola diuersitas generis non infert diuersitatē mentis vltimatæ, nisi cum alia diuersitate coniungatur. Ad confirmationem dicatur, quod si adiectiuum adiectiuè tētum, & substantiuè sumptum subordinatur diuersis conceptibus vltimatis, hoc non est propter diuersam terminationem. Quia multoties substātiuè, & adiectiuè tentum habet eadem terminationem, & idem genus neutrum. Vt si dicas *albū*, & *corpus album*, sed propter diuersum modum significandi. Nā adiectiuè tentum significat suum significatum applicando illud sub-

substantiuo, & substantiuè sumptum significat suum significatum afferendo secum suum suppositum.

4 Obijcies vltimo. Diuersitas casuum reperitur in mente; ergo etiam diuersitas generis inuenietur in mente. Probatur consequentia. Diuersitas generis non est minor diuersitate casuum; ergo si diuersitas casuum inuenitur in mente vltimata, etiam diuersitas generis inuenietur. Probatur antecedens. Diuersitas casuũ est in eodem genere, & diuersitas generis non est in eodem genere; sed maior diuersitas est in illis, quod non conueniunt in genere, quam in genere conuenientibus; ergo diuersitas generis non est minor diuersitate casuum. Confirmatur. Istæ propositiones. *Filius est alius à patre, filius est aliud à patre*, subordinantur diuersis conceptibus vltimatis: & tamen in illis solum inuenitur diuersitas generis ex parte prædicati; ergo diuersitas generis inuenitur in mente. Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam. Disparitas constat ex dictis. Nam rectus, & obliquus non subordinãtur diuersis cõceptibus propter solam diuersam terminationem, quæ in hijs casibus inuenitur, sed quia rectus, & obliquus habent diuersum modum significandi refusum in re significata. Nam ly *Cato* significat Catonem secundum suam substantiam, & ly *Catonis* significat Catonem secundum habitudinem possessionis ad aliud quæ diuersitas refunditur in conceptibus vltimatis; vt dictum est in quæstione quarta huius disputationis. At vero diuersitas solus generis non transit ad rem significatam; quia eadem res sine aliqua sui mutatione per nomina diuersi generis contingit significari. Vt patet in lapide significato per ly *lapis*, & per ly *petra*. Ad cõfirmationem dicatur diuersitatem illarum propositionum non oriri ex diuersitate generis prædicati, sed quia in prima propositione ly *alius* sumitur adiectiuè, & in secunda sumitur substantiuè importando diuersitatem in essentia. Quapropter prædictæ propositiones subordinantur diuersis conceptibus, quia prima importat diuersitatem filij à patre in persona, quod est catholicum, & secunda importat diuersitatem filij diuini à patre diuino in essentia, quod est hæreticum: non autem ob diuersitatem generis solius, licèt multoties ex diuersitate generis occasionaliter sumatur diuersitas rei, & conceptus, quatenus nomen vnius generis aptum est ad significandam vnã rem, & non aliam, sicut genus neutrum, quia est genus informe, est aptum ad significandam essentiam, quæ potest formari, & determinari per differẽtias, & genus masculinum, quia est genus formatum, & magis determinatum est aptum ad signi-

nificandum ſuppoſitum iam formatum, & determinatum per differentias. Quæ ſolutio deſumitur ex Diuo Thoma prima parte quæſt. 13. artic. ſecundo ad tertium, & primo ſententiarum diſtinctione 9. quæſt. 1. art. 1. ad vltimum. Et hæc dicta ſufficiant de tota iſta diſputatione applicãdo litteræ ſapientiſſimi Magiſtri Soto libro ſecundo Summulaꝝ capitulo primo, lectione vnica per omnia notabilia.

Diſputatio duodecima, de Verbo.

QVÆSTIO I.

Vtrùm diffinitio Verbi ſit bona?

1 VErbum ſic diffinitur à ſapientiſſimo Magiſtro Soto. *Eſt vox ſignificatiua ad placitum cuius nulla pars per ſe eſt ſignificatiua ſeparata, finita, & recta*; quo ſuppoſito reſolutoriè dicendum eſt prædictam diffinitionem eſſe bonam. Quæ concluſio non aliter probatur, niſi authoritate ſapientiſſimi Magiſtri Soto illam tradentis, & ex ſolutione argumentorum. Et contra illam obijcies primo. Per nullam particulam huius diffiuitionis excluditur participium à ratione verbi; ergo prædicta diffinitio eſt mala. Patet conſequentia. Quia participium non eſt verbum, & antecedens probatur. Participium, vt ly *amans* eſt vox ſignificatiua cũ tempore, cuius nulla pars eſt per ſe ſignificatiua finita, & recta; ergo per nullam particulam excluditur participium à ratione verbi. Reſpondebis participium excludi à ratione verbi per illam particulam *cum tempore*, quia participium non ſignificat cum tempore. Sed contra eſt. Participium ſignificat cum tempore; ergo ſolutio eſt nulla. Probatur antecedens. Ly *amans* ſignificat actionem amandi prout fit in tẽpore præſenti: ſed ly *amans* eſt participium; ergo participium ſignificat cum tempore. Patet conſequentia. Significare enim cum tempore nihil aliud eſt, quã ſignificare actionem prout fit, & exercetur in aliquo tempore determinato. Reſpondetur ſolutionem datam eſſe legitimam, & ad replicam diſtinguo antecedens. Participium ſignificat cum tempore vnitiuè, nego antecedens. Significat cum tempore ſolum ſignificatiuè, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Etenim licèt participium ſignificet cum tempore ſignificatiuè, tamen non ſignificat cum tempore vnitiuè, quia non poteſt eſſe vnio prædicati cum ſubiecto. Quapropter participium excluditur à ratione verbi per illam particulam *cum tempore*, quæ in diffinitione verbi debet intelligi vnitiuè, ita vt per illam denotetur, quod verbum taliter debet

significare cum tempore, quod possit extrema variare. Et cum participium non habeat hunc modum significandi cum tempore, hinc prouenit, quod illi non conueniat diffinitio verbi tradita à sapientissimo Magistro Soto. Fatetur tamen ipse sapientissimus Magister lectione vnica huius capituli notabili 3. quod maluisset addere in diffinitione verbi particulam Aristotelis, scilicèt, & *est nota eorum quæ prædicantur*, vt per illam distingueretur verbum à participio. Hoc tamen non fecit, ne textum Petri Hispani violaret.

2 Obijcies secundo. Verbum *est* propriè, & verè est verbum: & tamen non significat cum tempore; ergo diffinitio verbi est mala. Minor probatur. Significare cum tempore (vt ait sapientissimus Magister) est significare actionem, vel passionem in ordine ad aliquam durationem temporis, id est, *quatenus est in fieri, vel influxu temporis*; sed ly *est* nullam actionem, vel passionem significat, sed solum esse; ergo non significat cum tempore. Confirmatur. Ista verba, *quiesco*, *possideo*, *habeo*, sunt verè, & propriè verba: & tamen non significant cum tempore; ergo diffinitio verbi est mala. Minor probatur. Nullam ex hijs verbis significat actionem prout est in fieri, & influxu temporis; ergo nullum ex illis cum tẽpore significat. Respondetur, concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem explico sapientissimum Magistrum, significare cum tempore est significare actionem, prout est in fieri, & influxu temporis ex parte rei significatæ, nego maiorem; ex modo significandi concedo maiorem. Et sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Etenim vt verbum significet cum tempore, non requiritur quod res significata per verbum sit actio, motus, passio, vel fieri, sed sufficit, quod verbum ex modo significandi per modum motus, & fieri significet: & cum verbum *est* ex modo significandi, significet esse secundum habitudinem præsentis temporis, id est, quatenus regulatur fluxu temporis præsentis: hinc prouenit, quod ex modo significandi cum tempore significat. Ad confirmationem dicatur, quod verbum non dicitur significare tempus, sed consignificare tempus, quatenus significat aliquid coniungendo tempus rei significatæ per verbum, vt mensuram, qua cognoscitur, & mensuratur res per verbum significata. Ita Aristoteles primo per hermeniarum lectione quinta apud Diuum Thomam, asserentem, quod verbum dicitur consignificare tempus, quia significat rem cum duratione exercita, & prout actu durat; & quia illa duratio cognoscitur, & mẽsuratur per tẽpus: ideò verbũ sig-

significans rem provt sic durantem dicitur significare cum tempore, & consignificare tempus. Quando enim audimus verbum præsens, concipimus tempus præsens, non quia significatur per verbum, sed quia res, quæ per ipsum significatur, est mensurata per tempus præsens, & ideò concipiendo rem significatam per verbum, vt sic mensuratam concipimus tempus præsens propter connexionem, non tamen propter significationem, sicut quando concipimus patrem, concipimus etiam filium, non quia filius significetur per nomen significans patrem, sed quia pater significatus, provt significatus habet connexionem cum filio. Et cum omnia verba apposita in confirmatione significent aliquam rem cũ duratione exercita, & provt actu durat, quæ duratio per tempus mensuratur, & cognoscitur, ideò omnia illa significant cum tempore. Quando autem sapientissimus Magister dixit, quod significare cum tempore est significare actionem, vel passionem, nõ debet intelligi ita rigorosè, quod omne verbum significet actionẽ, sed quod significet actionem, vel aliquid, quod sit influxu temporis, sicut est actio, & apposuit exẽplum in actione, vel quia verba frequentissimè significant actionem, vel quia fluxus temporis cũ quo verbum debet significare facilè per actionem, quæ fieri est cognoscitur.

3 Obijcies tertio. Ly *amat*, est verè, & propriè verbum: & tamen non conuenit illi definitio verbi; ergo est mala. Minor probatur: ly *amat*, est complexũ; ergo non conuenit illi diffinitio verbi. Patet consequentia. Quia illa particula, *cuius nulla pars est per se significatiua*, non conuenit illi. Et antecedens probatur. Ly *amat* subordinatur duplici conceptui; ergo est complexum. Patet consequẽtia. Complexio enim, vel incomplexio (vt constat ex dictis) attenditur penes conceptus. Et antecedens probatur. Ly *amat* significat idem, quod ly *est amans*, sed ly *est amans* subordinatur duplici conceptui; ergo etiam ly *amat*. Confirmatur. Ly *circumfero*, & ly *interporo* sunt verè, & propriè verba: & tamen habent partes significatiuas; ergo illa particula, *cuius nulla pars* posita in diffinitione verbi, est superflua, & non necessaria. Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem, nego antecedens, & ad probationem dicatur, quod ly *amat* licèt sit idem quod ly *est amans* in consequendo, & æquialendo; non autem in significãdo. Sicut ly *album* in consequendo, & æquialendo est idem, ac ly *habens albedinem*, non tamen in significando, & sicut ex eo quod ly *album* æquialeat in consecuẽdo huic termino *habens albedinẽ*, qui est complexus, non licèt inferre, quod ly *album* est terminus com-

complexus, ita pariter ex eo quod ly *amat* æquualeat in consequēdo huic complexo *est amans* non licebit, inferre, quod ly *amat* sit complexum. Ad confirmationem dicatur prædicta verba non habere partes significatiuas, sed esse verba compositæ figuræ. Recolantur dicta de terminis compositæ figuræ.

4 Obijcies vltimo. Verba obliqua, vt præteritum, & futurū sunt verè, & propriè verba: & tamē nō cōuenit illis diffinitio verbi; ergo est mala. Minor patet. Quia non conuenit illi illa particula *recta*; & maior probatur. Verbis obliquis conuenit vltima differētia verbi; ergo sunt verè, & propriè verba. Probatur antecedens. Vltima differētia verbi est vnire prædicatum cum subiecto, sed verba obliqua, vt præteritū, & futurum, verè, & propriè sunt vniones prædicati cum subiecto; ergo verbis obliquis verè & propriè conuenit vltima differentia verbi. Maior patet. Etenim per esse vnientem extremorum distinguitur verbum à participio, & à quodlibet, quod non est verbum; ergo vltima differentia verbi est vnire prædicatum cum subiecto. Quod denotant illa verba Aristotelis, & *est nota eorum, quæ prædicantur*, & illa sapientissimi Magistri Soto notabili tertio huius capituli: *ego tamen fateor, quod mallui ssem addere particulam Aristotelis in diffinitione verbi, vt distingueretur à participio.* Et minor probatur. In hac propositione, *Petrus fuit albus*, datur vera, & propria vnio prædicati cum subiecto: sed vnio huius propositionis est verbum præteritum; ergo verbum præteritum, & consequenter verba obliqua sunt verè, & propriè vniones. Maior probatur. In prædicta propositione prædicatum, verè, & propriè vnitur cum subiecto; ergo in illa datur verè, & propriè vnio prædicati cum subiecto. Confirmatur hoc argumentum. Hæc propositio *Petrus fuit*, albus est verè, & propriè propositio; ergo verbum illius erit verè, & propriè verbum. Probatur consequentia. Denominatio enim propria alicuius totius desumitur à forma illius: sed forma prædictæ propositionis est verbum obliquum; ergo si prædicta propositio est verè & propriè propositio, verbum illius erit verè, & propriè verbū. Huic argumento non improbabiliter poteram respondere, dicendo, quod aliter obliqua nominis cadunt à ratione nominis, & aliter obliqua verbi cadunt à ratione verbi. Etenim obliqua nominis cadunt ab essentia nominis. Quia cum essentia nominis in esse notamen alicuius rei certæ, & determinatæ consistat: & obliqua nominis non sint notamina alicuius rei certæ, & determinatæ: hinc prouenit, quod obliqua nominis cadant ab essentia nominis. At verò, cum essentia verbi in ratione vnionis præ-

prædicati cum subiecto cõsistat: & obliqua verbi sint propriè vniones prædicati cum subiecto: hinc fit, quod obliqua verbi non cadunt ab essentia verbi: sed solum à perfectione ipsius consistẽte in significare propriam actionem, vel passionem in tempore præsenti, quod non habent obliqua nominis. In qua solutione asserendum est Philosophum, & sapientissimum Magistrum Soto solum diffinisse verbum omninò perfectum, à cuius ratione cadũt, & deficiunt obliqua verbi. Quo circa Aristoteles, & sapientissimus Magister illam particulam *recta* in diffinitione verbi apposuerunt. Cæterum quia hanc doctrinam in nullo, quem viderim Thomistarum inueni, ideò aliter ad argumentum respondeo, negando maiorem. Ad probationem, nego antecedens. Ad probationem distinguo maiorem. Vltima differentia verbi est vnire prædicatum cum subiecto significanda ex modo significandi simpliciter agere, vel pati in tẽpore præsenti; concedo maiorẽ. Est vnire prædicatum cum subiecto significando agere, vel pati secundum quid, per respectum ad præsens, nego maiorẽ: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Etenim vltima differentia constitutiua verbi nõ in qualibet vnione prædicati cũ subiecto consistit, sed solum consistit in vnione prædicati cum subiecto importante simpliciter agere, vel pati in tempore præsenti, quod est simpliciter tempus, præteritum enim, & futurum solum secundum quid sunt tempus, quia tempus vtpote ens successiuum influxu quoddam consistit: præteritum autem, & futurum non important simpliciter fluxum, sed solum dicũt fluxum, qui fuit, vel qui erit, non tamen influxũ, qui est modo in fieri, in quo consistit essentia fluxus; quo circa obliqua verbi non significant agere simpliciter, vel pati, sed solum important actionem, vel aliquid per modum actionis de præterito, aut de futuro: & quia actio præterita, vel futura, non est simpliciter actio, sed solum actio, quæ est præsens est simpliciter actio, ideo obliqua verbi non sunt simpliciter verba. Quæ solutio desumitur ex Diuo Thoma primo per hermeniarum lectione quinta, & ex sapientissimo Magistro in hoc capitulo notabili quarto. Ad confirmationem, concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem dicatur, quod ad hoc quod prædicta propositio sit simpliciter propositio, non requiritur, quod verbum illius sit simpliciter verbum secundum omnia, quæ importantur in verbo, sed sufficit quod verbum prædictæ propositionis sit simpliciter copula; quia per hoc habet prædicta propositio esse simpliciter totum enunciatiuum, in quo cõsistit ratio simpliciter talis propo-

positionis. Vndè prædicta propositio est verè, & propriè propositio, & verbum illius est verè, & propriè verbum in ratione copulæ, non tamē in ratione verbi significantis agere, vel pati simpliciter tale.

QVÆSTIO II.

Vtrùm verbum infinitum possit intra propositionem reperiri?

1 DVo inueniuntur in verbo, nimirum significatio verbi, & ratio copulæ, & vnionis prædicati cum subiecto. Hoc supposito, quod inquirimus est, an negatio possit ita subtiliter afficere verbum intra propositionem, vt infinitet significationem eius non afficiendo verbum quoad vnionem, & exercitium copulandi. Si enim negatio ita subtiliter afficiat verbum quoad significationem illius, quod in tactum relinquat, verbum quoad vnionem, & rationem copulæ nō erit dubium verbum infinitum intra propositionem posse reperiri. Cæterum hic labor, & hic difficultas. In qua parte resolutoriè dicendum est verbum infinitum, non posse intra propositionem inueniri. Hæc conclusio est expressa Diui Thomæ libro secundo per hermeniarum lectione prima illis verbis; *negatio afficiens verbum intra propositionem remouet verbum ab aliquo, & sic facit enuntiationem negatiuam, quod non accidit ex parte nominis; non enim enunciatio redditur negatiua, nisi per hoc quod negatur compositio, quæ importatur in verbo, & ideò verbum infinitum positum in enunciatione fit verbum negatiuum*; ergo secundum Diuum Thōmam verbum infinitum, non potest intra propositionem inueniri. Deinde probatur nostra conclusio, ratione. Negatio non potest intra propositionem afficere verbum quoad significationem, quin etiam afficiat verbum quoad vnionem, & rationem copulæ: sed si negatio afficit verbum quoad vnionem, reddit verbum negatum, & non infinitatum; ergo verbum infinitum non potest intra propositionem inueniri. Minor patet. Etenim eo ipso, quod verbum quoad vnionem sit affectum negatione, vnio prædicati cum subiecto, remouetur, & negatur, & propositio redditur negatiua; ergo si negatio afficit verbum quoad vnionem, reddit verbum negatum, & non infinitatum. Et maior probatur. Nam significatio verbi est significare cum tempore vnitiuè; ergo negatio intra propositionem non potest afficere verbum quoad significationem, quin etiam afficiat verbum quoad vnionem, & rationem copulæ. Probatur antecedens. Significare cū tempore non vnitiuè cōuenit participio, vt constat ex dictis in præcedēti quæstione; ergo

significatio propria verbi est significare cum tempore vnitiue. Respondebis, quod licèt significatio propria verbi sit significare cum tempore vnitiuè, tamē in illa potest distingui duplex conceptus, vnus significationis cum tempore, & alius vnionis prædicati cum subiecto, & negatio potest intra propositionem afficere primum conceptum significationis verbi secundo conceptu in tacto relicto. Sed contra istam solutionem replicatur primo. Etenim negatio non est ita præcisiua sicut intellectus; ergo non potest intra propositionem afficere primum conceptum significationis verbi nō afficiendo secundum; ac per consequens hæc solutio tāquam præcisionem ponens in negatione, est nulla. Secundo. Nam negatio addita termino, remouet omnem eius significationem ipsam destruendo, & eius oppositum reddendo; ergo negatio intra propositionem non potest afficere primum conceptum significationis verbi, quin etiam afficiat secundum. Probatur antecedens. In significatione huius complexi *homo albus* distinguitur duplex conceptus, vnus significationis hominis, & alius significationis albi: & tamen si addatur illi negatio dicendo *non homo albus*, talis negatio remouet omnem significationem de ly *homo albus*, & eius oppositum reddit; ergo negatio addita termino omnē eius significationē remouet, ipsā destruendo, & oppositū reddendo; ac per cōsequēs negatio addita verbo intra propositionē omnē eius significationem remouet ipsā destruendo, & oppositū reddendo. Tertio impugnatur prædicta solutio. Licèt in significatione verbi ille duplex conceptus distinguibilis sit: tamē secundus conceptus se hab. t consequenter ad primum, ita vt primus cōceptus significationis verbi sit significare cum tēpore exigendo vnire prædicatum cū subiecto, & secundus sit ipsa actualis vnio prædicati cum subiecto; sed remota ratione primaria remouetur etiam quidquid sequitur ad illā; ergo si negatio afficiens verbum intra propositionem remouet primum cōceptum significationis verbi, etiam remouebit secundū. Minor probatur. Remota enim rationalitate, etiam remouetur risibilitas, & quidquid consequitur ad rationalitatem; ergo remota ratione primaria, remoueri debet quidquid ad illam consequitur. Denique vrgetur. Nam si negatio addita verbo intra propositionem infinitaret primum conceptum significationis verbi, & secundum conceptum negaret, eadem negatio infinitanter, & neganter simul se teneret: consequens est falsum; ergo & antecedens. Minor probatur. Negatio infinitanter facit vnum simplicem, & incomplexum conceptum cum ter-

termino infinitato, & neganter sumpta facit vnum conceptum complexum cum re negata, vt supra dictum est: sed vnica negatio non potest simul pertinere ad conceptum complexum, & incomplexum respectu eiusdem rei; ergo eadem negatio nō potest simul infinitanter, & neganter se tenere, per quod reijcitur alia solutio, quæ dicere poterat negationem additam verbo intra propositionem posse infinitare primum conceptum significationis verbi, & negare secundum.

2 Contra istam conclusionem obijcies primo. Verbum infinitatum adhuc intra propositionē significat cum tempore; ergo quamuis verbum intra propositionem infinitetur, potest significare vnionem prędicati cum subiecto; ac per consequens ex infinitatione verbi intra propositionem, non sequitur, quod verbum non significet vniendo. Antecedens patet. Quia verbum infinitatum intra propositionem est declinabile per præteritum, & futurum; ergo significat cum tempore. Consequentia vero probatur. Significare cum tempore est particula diffinitionis verbi explicantis verbum esse vnionem; ergo si verbum infinitatum intra propositionem significat cum tempore, non removetur vnio, quā importat prædicati cū subiecto; ac per cōsequens potest intra propositionē infinitari, quin vnio prædicati cū subiecto removeatur. Confirmatur primo. In hac propositione *currere est non quiescere*, ly *quiescere* infinitatur; sed ly *quiescere* est verbum; ergo verbū potest intra propositionē infinitari. Confirmatur secundo. Hæc est bona consequētia, *Petrus habet non currere; ergo Petrus non currit*; ergo in consequenti, ly *non currit* infinitatur. Probatur consequentia. Si ly *non currit* in consequenti, non infinitaretur, sed negaretur, sequeretur quod consequentia esset mala; ergo si consequentia est bona, ly *non currit* in consequenti infinitatur. Antecedens probatur. Instaretur casu, quo Petrus currat, & disputet, tunc enim antecedens est verum, quia habet disputare, quod est nō currere, & consequens falsum, quia eius contradictoria est vera, scilicèt, *Petrus currit*; ergo si ly *non currit* sumatur neganter in consequenti, consequentia esset mala. Respondetur distinguendo antecedens. Verbū infinitatū adhuc intra propositionē significat cum tempore remotiuè, concedo antecedens: positiuè, nego antecedens, & cōsequentiā. Etenim si negatio addatur verbo intra propositionē, verbū in hoc casu significat cū tēpore, non positiuè ponēdo aliquā formā determinatā, sed remotiuè removēdo, & tolēdo formā, quā reddit negatā, & indeterminatā. Quapter reddit propositionē negatiuā. Quia vt propositio sit affirmatiua, re-

quiritur quod verbum determinatè vniat, & aliquid applicet subiecto, non verò, quod remouendo aliquid à subiecto, nō dicat aliquid determinatū. Ad primam confirmationem dicatur, quod quādo verbum tenetur in vi nominis, tūc etiam infinitari potest, sicut cæteta alia nomina: & cum ly *quiescere* in prædicta propositione accipiatur in vi nominis, quia nō gerit vices copulæ; sed solū vices prædicati; hinc prouenit quod possit in prædicta propositione infinitari. Attamē ex hoc nihil sequitur cōtra nos, quia nō loquimur in ista difficultate de verbo, quatenus gerit vices nominis, sed solū de illo, quatenus exercet rationē copulæ. Ad secundā confirmationē dicatur illam cōsequentiā esse malā, ex quo nihil contra nos infertur. Si verò ly *nō currere* sumatur in antecedenti negantet, tunc consequentia est bona, sed nihil probat argumentum, quia non infinitatur verbū.

3 Obijcies secundo. Iste est bonus syllogismus, *stellæ non scintillantes sunt propè nos: planetæ non scintillant; ergo planetæ sunt propè nos.* Sed minor non potest esse de verbo negato; ergo est de verbo infinitato; ac per consequens inuenitur verbum infinitum intra propositionē. Maior patet. Prædictus enim syllogismus fit ab Aristotele primo posteriorū, lectione 23. apud D. Thomam. Et minor probatur. Si minor prædicti syllogismi esset de verbo negato, esset propositio negatiua; cōsequens est falsum; ergo & antecedens. Minor probatur. Conclusio est propositio affirmatiua; ergo minor prædicti syllogismi nō potest esse negatiua. Patet cōsequentia per illā regulā sapientissimi Magistri Soto, lib. 5. Summularum cap. 3. lect. 1. notabili 1. illis verbis: *Quando aliqua præmissarum fuerit negatiua, conclusio erit negatiua.* Confirmatur. Verbum obliquum adhuc intra propositionē habet rationem verbi; ergo etiam verbū infinitum habebit rationem verbi intra propositionem. Respōdetur admittendo maiorem, & negando minorem. Ad probationē dicatur, quòd minor prædicti syllogismi accepta fuit ab Aristotele loco propositionis affirmatiuę, quatenus facit hunc sensum, Planetæ sunt non scintillantes, sic enim prædictus syllogismus corrigitur à D. Thoma loco citato lect. 23. *Omne non scintillans est propè nos: Planetæ sunt non scintillantes; ergo sunt propè nos.* Si enim minor prædicti syllogismi esset propositio rigorosè negatiua, prædictus syllogismus esset malus. Ad cōfirmationē cōcesso antecedēti, nego cōsequentiā. Cuius disparitas consistit in hoc quod verbū obliquū nō cadit à verbo, quantū ad rationē copulæ, sed solū cadit à verbo, quātū ad hoc, quod est significare, agere, vel pati simpliciter, quia verbū obliquū, licèt significet actionē provt faciēdā de fu-

turo, vel provt iã factã de præterito, tamẽ nõ significat actionẽ, provt in fieri de præsenti, in quo cõsistit actio simpliciter talis. At verò verbum infinitum, non potest inueniri intra propositionẽ, nisi in ratione nominis, quatenus est subiectum, vel prædicatum: & cum in ratione nominis subiecti, vel prædicati, nõ reluceat ratio verbi: hinc prouenit, quod verbum infinitum non habeat rationem verbi intra propositionẽ. Quæ solutio constat ex dictis in præcedenti quæstione, & ex probatione nostræ conclusionis. Et insuper est Diui Thomæ secundo per hermeniarum, lect. quarta.

4 Vltimo obijcies. Verbũ infinitum datur extra propositionẽ; ergo etiam dabitur intra propositionẽ Probatur cõsequẽtia. Verbum infinitum existẽs extra propositionẽ habet potentiam ad cõponẽdum in exercitio ipsam propositionẽ: Sed hæc potẽtia reducitur ad actũ per hoc, quod ponatur intra propositionem; ergo si verbũ infinitum inuenitur extra propositionẽ, etiam intra propositionẽ inuenietur. Aliás illa potentia esset frustra: cum nunquam ad actum posset reduci. Cõfirmatur. Potest verbum infinitum infinitatum extra propositionẽ, sic infinitatũ poni intra propositionem; ergo verbum infinitum potest intra propositionẽ inueniri. Probatur antecedens. Nam secundũ Aristotelẽ primo per hermeniarum, lectione quinta, apud D. Thomam, & secundo per hermeniarum, lectione prima. Verbum infinitum potest dici, tam de eo, quod est, quàm de eo, quod nõ est, sed verbum infinitum nõ potest dici de aliquo, nisi intra propositionem; ergo verbum infinitatum extra propositionem potest sic infinitatum intra propositionem poni. Respondetur concedendo antecedens, & negando consequẽtiam. Ad probationem distinguo maiorem; verbum infinitum existens extra propositionem habet potẽtiam ad componendum per modum nominis ipsam propositionem, concedo maiorem, per modum copulæ & vnionis, subdistinguo maiorem, amittendo infinitationem, & induendo negationẽ concedo maiorem, infinitationem, non amittendo nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Etenim cum verbum extra propositionem non habeat exercitiũ vnionis prædicati cum subiecto, sed solum significationis actionis, quæ potest infinitari: hinc prouenit verbum infinitũ, seu infinitatum dari extra propositionẽ. At verò cum verbum intra propositionem significet actionem cum tempore vnitiuè, ideſt, cũ exercitio vnionis, & non possit negatio afficere actionem significatam per verbum intra propositionem, quin etiam afficiat vnionem, per quod redditur propositio negatiua, qua aliquid remouetur ab aliquo, vt cõstat ex dictis in

probatione conclusionis : hinc fit verbum infinitum, seu infinitatum non posse intra propositionem inueniri. Potenita autē, quam habet verbum infinitum extra propositionem existens, non est ad componendam propositionem per modum verbi, seu copulæ, sed sōlum est potentia ad componendam propositionem per modum nominis prędicati, vel subiecti. Ex quo solum sequitur verbum in ratione nominis posse intra propositionem infinitari, quod nos libenter fatemur. Vel si verbum infinitum, seu infinitatum existens extra propositionem habet potentiam ad ipsam componendam per modum verbi, & copulæ, ista potentia non est potentia ad hoc modo componendum retinendo ipsum infinitationem, sed amittendo illam. Sicut homo sedens habet potentiam ad deambulandum, non tamen habet potentiam ad exercitium deambulationis retinendo ipsam sessionem, & coniungendo illam cum exercitio deambulationis. Ad confirmationem dicatur, quod verbum infinitum, seu infinitatum existens extra propositionem, eo ipso quod intra propositionem ponatur, redditur verbum negatiuum, seu negatum, quia eo ipso quod ponatur intra propositionem, significat actionem, quæ remouetur ab aliquo, & vnionem prædicati cum subiecto, quæ negatur, in quo consistit propositionem esse negatiuam. Vnde negatio, quæ sumpta infinitanter afficiebat verbum extra propositionem, posito verbo intra propositionem illud afficit neganter. Ad authoritatem autem Philosophi dicatur, quod quando dixit Aristoteles verbum infinitum posse dici tam de eo, quod est, quàm de eo quod non est, debet intelligi, quod verbum infinitum potest supponere pro eo quod est, & pro eo quod non est suppositione lata, & non rigorosa, quæ extra propositionem potest inueniri, vel quod verbum infinitum sūptum in vi nominis, seu prædicati potest affirmari, seu dici de eo quod est, & de eo quod non est. Maneat ergo fixum verbum infinitum non posse intra propositionem inueniri, nec per hoc, quod in ratione verbi intra propositionem infinitetur, nec per hoc, quod infinitatum extra propositionem, infinitatū intra propositionem ponatur.

QVÆSTIO III.

Vtrùm verbum absoluatur à tempore?

1. VErbum à tempore absolui non est absolui à significare cum tempore. Quandoquidem significare cum tempore est essentiale verbo, & inseparabile ab illo. Similiter verbū à tēpore absolui, non est verbū im-

por-

portate omnes differentias temporis. Siquidem per hoc verbum plus temporis importat: sed verbum à tempore absolui est, quod propter connexionem prædicati cum subiecto impediatur, ne restringat extrema in ordine ad aliquam determinatam temporis differentiam, quam ex modo suæ significationis importat. Sicut in hac propositione, *omnis homo est animal*, ly *est* quamuis significet cum tempore præsenti ex modo significandi: tamen absoluitur à tempore præsenti, quia nõ restringit extrema prædictæ propositionis pro hominibus, & animalibus existentibus in hac tẽporis præsentis detetminata differentia. Ita sapientissimus Magister in hoc capitulo de verbo, lectione vnica, notabili quarto, argumẽto primo, quo supposito resolutoriè dico primo. Verbum præsens, & intrinseci temporis absoluitur à tempore in propositionibus necessarijs, & æternæ veritatis. Hæc conclusio est expressa sapientissimi Magistri Soto loco proximè citato, & probatur ratione eiusdem sapientissimi Magistri. Etenim verbum à tempore absolui, est absolui à restrictione extremorum pro aliqua temporis differentia determinata, sed ly *est* in hac propositione *homo est animal* absoluitur à restrictione extremorum pro differentia determinata temporis præsentis, quam ex modo significandi prædictum verbum importat; ergo verbum præsens, seu intrinseci temporis absoluitur à tempore in propositionibus necessarijs, & æternæ veritatis. Maior constat ex dictis. Minor verò probatur. Nam in hac propositione, *homo est animal*, ly *est* non vnit solum animal præsens cum homine præsenti, sed animal, quod est fuit vel erit cum homine, qui est, fuit, vel erit; ergo ly *est* in prædicta propositione, absoluitur à restrictione extremorum pro differentia temporis determinata, quam ex modo suæ significationis importat. Probatur antecedens. Ly *est* in prædicta propositione vnit cum homine illud animal, quod est de essentia hominis habentis connexionem essentialem cum esse animalis: sed animal, quod est de essentia hominis, nõ est solum animal præsens, sed animal, quod est, fuit, vel erit: & homo habens connexionem cum esse animalis, non est solum homo præsens, sed homo qui est, fuit, vel erit; ergo ly *est* in prædicta propositione non vnit solum animal præsens cum homine præsenti, sed animal, quod est, fuit, vel erit, cum homine, qui est, fuit, vel erit. Minor constat. Maior verò probatur. Nam verbum vnit extrema, sicut ipsa sunt vnibilia; sed extrema prædictæ propositionis sunt vnibilia essentialiter: cum sint partes habentes essentialem connexionem; ergo ly *est* in prædicta propositione vnit cum homine

illud animal, quod est de essentia hominis. Confirmatur hæc ratio primo. Eo modo, quo supponunt extrema propositionis, supponit etiam verbum: sed extrema huius propositionis *homo est animal* supponunt naturaliter; ergo etiam verbum prædictæ propositionis supponet naturaliter: tunc sic, sed extrema prædictæ propositionis supponere naturaliter est supponere pro omnibus, pro quibus apta nata sunt accipi; ergo verbum supponere naturaliter est vnire pro omnibus, pro quibus aptum natum est vnire: sed extrema prædictæ propositionis sunt apta nata accipi pro præsentibus, præteritis, & futuris, & verbum est aptum natu vnire pro præsentibus, præteritis, & futuris; ergo extrema prædictæ propositionis accipiuntur pro hominibus, & animalibus præsentibus, præteritis, & futuris, & verbum illius vnit pro præsentibus, præteritis, & futuris hominibus, & animalibus: ac per consequens non restringit extrema pro differentia temporis determinata, quam ex modo suæ significationis importat. Quocirca verbum prædictæ propositionis à tempore absolvitur. Confirmatur secundo. Prædicatum essentiale concomitatur rem vbicunque fuerit, & in quocunque statu sit; ergo quando prædicatum est essentiale, non supponit solum pro præsentibus indeterminata tempo-

ris differentia, sed pro re, quam prædicat secundum se considerata, & quatenus præscindit ab omni statu accidentali: ac per consequens in propositionibus essentialibus, & necessarijs prædicatum non accipitur solum pro re præsenti in determinato tempore: & cum eadem ratio sit de subiecto, dicendum est prædicatum, & subiectum propositionis essentialis non restringit pro differentia temporis determinata: ac proinde verbum in propositionibus essentialibus absolvitur à tempore. Confirmatur tertio. Vnio extremorum oritur ex habitudine extremorum; sed habitudo extremorum in aliquibus propositionibus est accidentalis, & temporalis, & in alijs propositionibus est essentialis, & independens à tempore; ergo verbum in propositionibus accidentalibus vnit extrema pro tempore determinato illa restringendo, & in essentialibus vnit extrema illa pro tempore determinato non restringendo. Denique confirmatur ratio probatiua conclusionis. Implicat propositionem esse essentialem, & extrema vniri solum pro existentibus cum existentia soli Deo, & nulli alteri sit essentialis; ergo vel negandum est dari propositionem essentialem, vel fatendum erit verbum in illa non vnire extrema solum pro præsentibus in aliqua tēporis determinata differentia. Totus discursus est legitimus.

2 Di-

2 Dico secundo. Verbum extrinseci temporis non potest absolui à tempore. Hæc conclusio probatur primo. Verbum absolui à tempore est absolui à restrictione extremorum pro aliqui differentia temporis determinata, quam ex modo suæ significationis importat: sed verbum extrinseci temporis non potest absolui à restrictione extremorum pro aliqua differentia temporis determinata; ergo non potest absolui à tempore. Minor probatur. Verbum præteriti temporis ex se habet restringere extremum positum post se pro illo quod fuit. Vt dicit sapientissimus Magister Soto libro secundo Summularum capitulo 13. notabili 4. regula 1. ergo verbum extrinseci temporis non potest absolui à restrictione extremorum pro aliqua differentia temporis dererminata, quam ex modo suæ significationis importat. Secundo probatur conclusio. Extrema huius propositionis, *homo fuit animal*, non supponunt naturaliter; ergo verbum prædictæ propositionis à tempore non absoluitur. Patet consequentia. Quando enim extrema alicuius propositionis non supponunt naturaliter: impossibile est verbum illius à tempore absolui. Et antecedens probatur. Extrema prædictæ propositionis, non supponunt pro omnibus, pro quibus apta nata sunt accipi; ergo non supponunt naturaliter. Antecedẽs probatur. Prædicatũ prædictæ propositionis non verificatur, nisi pro præteritis; ergo nõ supponit pro omnibus, pro quibus aptũ natũ est accipi. Patet cõsequẽtia. Nã suppositio est acceptio termini pro illo, de quo verificatur. Antecedens vero probatur. Verificatio prædicati prædictæ propositionis debet fieri per copulam eiusdem propositionis, scilicèt, per ly *fuit*: sed per ly *fuit*, non potest fieri verificatio pro animalibus modo existentibus; sed solùm pro animalibus, quæ fuerunt; ergo prædicatum prædictæ propositionis non verificatur, nisi pro præteritis. Sed dices ex ista ratione sequi verbum præsentis temporis non posse à tempore absolui: consequens est falsum; ergo & antecedens. Sequela probatur. Nam in hac propositione *Antichristus est animal*, verificatio subiecti debet fieri per ly *est*: sed per ly *est* non potest verificari subiectũ de Antichristo nondũ existenti; ergo sequela est vera. Confirmatur. Nam verificatio subiecti huius propositionis, *homo est animal* debet fieri per ly *est*: sed per ly *est* non potest subiectũ verificari de hominibus futuris, vel præteritis; ergo in hac propositione, *homo est animal*, subiectũ nõ supponit naturaliter; ac per consequens verbum non absoluitur à tempore. Minor probatur. Prædicatum huius propositionis, *homo fuit animal* per ly *fuit* non potest verificari

de

de modo existentibus; ergo pariter subiectum huius propositionis *homo est animal* per ly *est* non poterit verificari de præteritis, vel futuris. Patet consequentia. Sicut enim ly *fuit* importat differentiam temporis determinatam, ita ly *est* ex modo suæ significationis importat differentiam temporis determinatam; ergo sicut per ly *fuit*, non potest prædicatum huius propositionis, *homo fuit animal* verificari de modo existentibus, ita pariter per ly *est* subiectum huius propositionis, *homo est animal* non poterit verificari de præteritis, vel futuris. Respondetur negando sequelam. Ad probationem dicatur aliud esse verificationem extremorum propositionis fieri in hoc præsenti determinato: Et aliud esse fieri pro existentibus in hoc determinato præsenti. Stat enim optimè, quod in hoc præsenti fiat verificatio pro his, qui non existunt in hoc præsenti. Vt modo est verum dicere, quod Antichristus est animal, licet non existat modo Antichristus. Vnde in hac propositione, *Antichristus est animal*, verificatio subiecti fit in hoc præsenti determinato, non tamen pro Antichristo existenti in hoc præsenti determinato, propter rationem datam in probatione conclusionis; nimirum, quia extrema vniuntur vt sunt per se vnibilia, & quia extrema prædictæ propositionis sunt vnibilia pro omni præsenti, tam determinato, quàm indifferenti supponẽte pro præsenti, quod modo est, vel quod fuit, vel quod erit, ideò verificatio prædicæ propositionis, quamuis fiat in hoc præsenti determinato, non tamen fit pro Antichristo in hoc præsenti determinato existenti. Ad confirmationem concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem concesso antecedenti, nego consequentiam. Disparitas desumitur ex sapientissimo Magistro Soto libro secundo Summularum cap. 13. lectione prima, notabili primo, asserente verbum præsentis temporis habere statum suppositionis, ita vt nec ampliet, nec restringat. Verbum enim præteriti temporis ex se habet post se restringere ad illud, quod fuit. Etenim præsens est duplex, determinatum, scilicet, & indifferens, quod potest accipi pro præsenti, quod modo est, & pro præsenti, quod fuit, vel erit; vnde præsens indifferens non cõtraponitur præterito, vel futuro. Quapropter subiectum huius propositionis *homo est animal* verificatur pro præsentibus, non in hoc solum determinato præsenti, sed in præsenti indifferenti, & verbum illius importat præsens, non quidem determinatum, sed indifferens præterito, & futuro non contra positum. At verò ly *fuit* semper, importat differentiam temporis præteriti, præsenti, & futuro contra positam, ac proinde per ly *fuit* non potest prædicatum

tum huius propositionis *homo fuit animal* de modo x. istetibus verificari.

3 Contra primam conclusionem obijcies primo. Ideò verbum absolueretur à tempore, quia vnit extrema, vt ipsa sunt vnibilia: Sed hæc ratio est nulla; ergo conclusio est falsa. Minor probatur. Hæc ratio probat verbum in omni propositione à tempore absolui: sed hoc est falsum; ergo prædicta ratio est nulla. Maior probatur. Sicut extrema huius propositionis, *homo est animal* sunt essentialiter vnibilia, ita extrema huius propositionis, *homo est albus*, essentialiter sunt contingenter vnibilia; ergo si verbum primæ propositionis absoluitur à tempore, quia extrema sunt essentialiter vnibilia; ita pariter verbum secundæ propositionis absoluetur etiam à tempore, quia extrema essentialiter sunt contingenter vnibilia. Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem nego maiorem. Ad probationem distinguo antecedens. Ly *sicut* dicente omnimodam paritatem, nego antecedens. Aliqualem cõcedo antecedens, & nego consequentiam. Etenim licet extrema huius propositionis, *homo est albus* essentialiter sint contingẽter vnibilia, tamen ly *contingenter* non importatur in prædicta propositione signatè, sed solum exercitè, & ideò extrema prædictæ propositionis vniuntur dependenter à tempore, & propositio est contingens. Si autem ly *contingenter* signatè ponatur in prædicta propositione, dicendo *homo contingẽter est albus*, tunc prædicta propositio est essentialis, & verbum illius à tempore absoluitur. Quia vt dicemus (Deo dante in capitulo de modalibus) omnis modalis, aut est necessaria, vt impossibilis. At verò hæc propositio, *homo est animal* absolutè est essentialis, & extrema illius sunt essentialiter vnibilia. Quapropter eius verbum à tempore absoluitur. Sed adhuc manet scrupulus. Nam quia extrema huius propositionis, *homo est animal* ex se sunt essentialiter vnibilia, verbum illius vnit illa essentialiter, quamuis ly *essentialiter* non ponatur signatè; ergo pariter, quia extrema huius propositionis, *homo est albus*, ex se essentialiter sunt contingenter vnibilia, verbum illius essentialiter vnit illa contingenter; quamuis ly *contingenter* non ponatur signatè. Respondetur, quod sicut verbum huius propositionis, *homo est animal* vnit extrema essentialiter exercitè, quia extrema ex terminis sunt essentialiter vnibilia, ita pariter verbum huius propositionis *homo est albus* vnit extrema illius contingẽter, quia ipsa extrema ex se solum sunt contingenter vnibilia, vnde propositio manet contingens: & cum solum in propositionibus essentialibus, & impossibilibus, verbum absoluatur à tempore; (vt

di-

dicemus in quæstione sequenti:) hinc provenit verbum huius propositionis *homo est albus* à tempore non absolui.

4 Obijcies secundo. Extrema huius propositionis, *Deus est* sunt essentialiter vnibilia: & tamen verbum illius à tempore non absoluitur; ergo nostra conclusio simul cum ratione probatiua est falsa. Minor probatur. Subiectum prædictæ propositionis semper supponit pro re existenti in tempore præsenti; ergo verbum illius non absoluitur à tempore. Confirmatur. Verbum à tempore absolui non est importare omnes differentias temporis (vt supponitur ex dictis) sed verbum huius propositionis, *homo est animal* solum quatenus importat omnes differentias temporis absoluitur à tempore; ergo re vera verbum nunquam à tempore absoluitur. Minor probatur. Verbum huius propositionis, *homo est animal* solum à tempore absoluitur, quatenus importat præsens indifferens, quod est modo, quod fuit, & quod erit: Sed hoc est importare omnes temporis differentias; ergo verbum solum à tempore absoluitur quatenus importat omnes temporis differentias. Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem dicatur, quòd licet subiectum prædictæ propositionis semper stet pro re existenti, hoc non provenit ex eo quod à verbo pro re existēti semper restringatur: Sed ex eo quod existentia est de quidditate rei significatæ. Quia si Deus non existit non est Deus. Vnde verbum in prædicta propositione à tempore absoluitur. Siquidem subiectum ab ipso verbo pro re existenti non restringitur. Ad cōfirmationem dicatur, quod licet absolutio verbi à tempore per hoc quod est importare præsens, quod modo est, quod fuit, & quod erit explicetur: tamen ex hoc non sequitur verbum, quando à tempore absoluitur, omnes differentias temporis importare. Nam differentiæ temporis sunt illæ, quæ inter se contraponuntur, scilicet, præsens contrapositum futuro, & futurum contrapositum præterito: & cum quando verbum absoluitur à tempore, solum importet præsens indifferens non contrapositum præterito, aut futuro: hinc provenit, quod quando verbum à tempore absoluitur, non importet omnes temporis differentias.

5 Contra secundam conclusionem obijcies primo. Quotiescumque prædicatum essentialiter convenit subiecto verbum à tempore absoluitur: Sed in hac propositione *homo fuit animal*, prædicatum est de essentia subiecti; ergo verbum illius à tempore absoluitur. Minor probatur. Prædicatum prædictæ propositionis est animal: sed animal est de essentia subiecti; ergo prædicatum prædictę propositionis est de

de essentia subiecti. Maior probatur. Copula *fuit* nõ efficitur pars prædicati: sed præcisè copulat id quod prædicatur; ergo solum animal est prædicatum in prædicta propositione. Confirmatur. Verbũ vnit extrema, vt ipsa sunt vnibilia: Sed hæc extrema *homo*, & *animal* sunt essentialiter vnibilia; ergo per quamcumque copulam vniantur, essentialiter vniuntur; ac per consequens per ly *fuit* essentialiter vniuntur, & ly *fuit* quãdo ista extrema vnit, à tẽpore absoluetur. Respõdetur cõcedendo maiorẽ, & negando minorem. Ad probationem distinguo maiorem. Prædicatum est animal secundum se, nego maiorem: est animal præteritum, concedo maiorem, & distinguo minorem: animal secundum se est de essentia subiecti; concedo minorẽ, animal præteritũ, nego minorẽ, & consequetiã. Licet enim animal secundum se, sit de essentia hominis: tamen animal præteritum de essentia illius nõ est. Sicut nec animal præsens de essentia hominis est. Illud autem verbum *fuit*, licet non efficiatur pars prædicati formaliter efficitur tamen pars prædicati in consequẽdo propter restrictionẽ, quã importat ly *fuit* vniens animal secundum propriam conditionem de ly *fuit*. Vnde cum propria cõditio illius sit restringere post se pro illo quod fuit: hinc prouenit prædicatũ prædictę propositionis non esse animal secundum se, sed animal, quod fuit. Ad confirmationem ex dictis constat solutio. Licet enim homo, & animal secundũ se sumptum sint extrema essentialiter vnibilia, tamen homo, & animal existens in hac, vel illa temporis differentia determinata, non sunt extrema essentialiter vnibilia: & cum ly *fuit* restringat ly *animal*, vt supponat pro animali præterito: ideò non vnit illud essentialiter cum homine.

6 Obijcies secundo. Ly *est* quatenus dicit essentiam, & non existentiam, habet suos obliquos dicentes etiam essentiam, qui non possunt esse, nisi ly *fuit*, & ly *erit*, sed ly *est*, quatenus dicit essentiam à tempore absoluitur; ergo similiter ly *fuit*, & ly *erit* quatenus dicunt essentiam etiam à tempore absoluuntur. Confirmatur. Homo non solum habet prædicata essentialia, sed habuit ea, & habebit; ergo de homine potest prædicari prædicatum essentiale, nõ solum per verbum præsens, sed etiã per præteritũ, & futurum; ac per consequens præteritum, & futurũ à tempore, sicut verbum præsens absoluuntur. Cõfirmatur secundo. In his propositionibus, *homo est albus*, *homo fuit albus*, verbum in nulla à tempore absoluitur; ergo in istis propositionibus, *homo est animal*, *homo fuit animal* verbum in vtraque à tempore absoluetur. Patet consequentia à paritate rationis. Denique confirmatur. Benè valet, *homo*

est

est animal; ergo homo fuit animal: Sed in antecendi verbum à tempore absoluitur; ergo etiam in consequenti. Respondetur, quod quãdo verbum absoluitur à tempore est idem verbum, ac quando non absoluitur à tempore, & habet eosdem obliquos quando absoluitur, ac quando non absoluitur. Cæterum, quia absolutio à tempore conuenit verbo ex essentiali cõnexione extremorum, quæ in propositionibus de præsenti inuenitur, & non in propositionibus de præterito, & de futuro: hinc prouenit, quod quamuis verbum præsens à tempore absoluatur, præteritum tamen, & futurum à tempore non absoluuntur. Vnde præteritum, & futurum sunt obliqui præsentis absoluti à tempore specificatiuè, non tamen reduplicatiuè. Ad primam confirmationem dicatur, quod ex illo antecedenti solum infertur, quod sicut modo est verum dicere *homo est animal*, ita fuit verum dicere, *homo est animal*, & similiter erit verum dicere *homo est animal*, in quibus omnibus propositionibus verbum à tempore absoluitur. Vnde ex argumento nihil contra nos. Ad secundam concesso antecedenti, nego consequentiam. Ratio discriminis est. Nam album, tam secundum se, quàm præteritum accidentaliter coniungitur cum homine, & ideò vtraque prima propositio habet verbum non absolutum à tempore. At verò licet animal secundum se essentialiter coniungatur cum homine, animal tamen præteritum accidentaliter cum illo coniungitur. Quo circa ex duabus vltimis propositionibus absoluitur verbum à tempore in prima, secus vero in secunda. Ad vltimam confirmationem nego maiorem. Etenim ante mundi constitutionem erat antecedens verum, & consequens falsum; tum verbum fuit, importet existentiam præteritam.

7 Obijcies vltimo. In hijs propositionibus, *verbum erat apud Deum*, *Deus erit in æternum*, verbum absolitur à tempore: & tamen verbum est de extrinseco tempore; ergo verbum extrinseci temporis potest à tempore absolui. Maior probatur. Subiectum primæ propositionis, non supponit solum pro verbo præterito, sed pro verbo semper existenti, & subiectum secundæ, non supponit solum pro Deo futuro, sed pro Deo, qui est, fuit, & erit, & semper est; ergo in prædictis propositionibus verbum absoluitur à tempore. Respondetur distinguendo maiorem: absoluitur à tempore per accidens, concedo maiorem, per se nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens, eadem distinctione maioris. Etenim si in prædictis propositionibus verbum absoluitur à tempore, hoc euenit verbo per accidens, nimirum ex in capacitate subiecti, vt restringatur, de cu-

caius quidditate, & essentia est semper existere. Si tamen extrema harum propositionum capacia essent restrictionis, verbum extrinseci temporis, quantum est ex se illa pro sua differentia temporis determinata, quam importat, restringeret, & idem dico de his propositionibus. *Pater æternus erat Deus, Pater æternus fuit Deus*, vt dictum est de ista propositione, *Deus est*, in solutione secundi argumenti contra primam conclusionem.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm in omni propositione essentiali verbum absoluatur à tempore?

1 REsolutoriè dicendum est, verbum à tempore absolui in omni propositione essentiali, aut impossibili. Hæc conclusio ex dictis probatur. Quotiescumque extrema supponunt naturaliter, verbum à tempore absoluitur: Sed in omni propositione essentiali, aut impossibili extrema naturaliter supponunt; ergo in omni propositioni essentiali, aut impossibili verbum à tempore absoluitur. Maior est certa. Nam quando extrema supponunt naturaliter, accipiuntur pro omnibus pro quibus apta nata sunt accipi; ergo non restringuntur pro existentibus in hac, vel illa temporis determinata differentia; ac proinde quotiescũque extrema naturaliter supponunt, verbum à tempore absoluitur. Minor vero probatur. Quando propositio est in materia naturali, vel in materia remota, extrema supponunt naturaliter: (vt infrà Deo dante dicemus) sed omnis propositio essentialis, aut impossibilis est in materia naturali, aut remota; vt de se est manifestum, & etiam infra probabimus; ergo in omni propositione essentiali, aut impossibile extrema supponunt naturaliter.

2 Contra nostram conclusionem obijcies primo. Hæc propositio. *Petrus, qui existit hic, & nunc est homo*, est essentialis: & tamen verbum illius à tempore non absoluitur; ergo non in omni propositione essentiali verbum à tẽpore absoluitur. Maior patet. Prædicatum enim illius propositionis est de essentia subiecti, & in conceptu subiecti clauditur; ergo prædicta propositio est propositio essentialis. Minor vero probatur. Subiectum prædictæ propositionis stat pro Petro hìc, & nunc existente, & ab æterno erat falsa prædicta propositio: cum esset affirmatiua de subiecto non supponente; ergo verbum illius non absoluitur à tempore. Huic argumento aliqui non improbabiliter respondent negando maiorem. Cum enim propositio essentialis non possit esse falsa nec aliter se habere, & prædicta propositio possit faciliter falsificari, & aliter se habere: hinc inferunt prædictam propositionem non essen-

sentialem, sed contingentem, & accidentalem esse. Hæc tamen solutio non placet; quia licet propositio necessaria sit illa, quæ nunquam potest esse falsa: tamen propositio essentialis solum petit non posse falsificari ex defectu connexionis prædicati cum subiecto, cum quo compatitur, quod possit falsificari per non suppositionem subiecti. Propositio enim affirmatiua ex duplici capite est falsificabilis, nimirum ex defectu conuenientiæ prædicati cum subiecto, & ex defectu suppositionis subiecti; & propositio essentialis, solum petit non falsificari ex defectu conuenientiæ, & connexionis prædicati cum subiecto; & cum prædicta propositio ex isto capite numquam sit falsificabilis, quantumuis possit falsificari ex defectu suppositionis subiecti: hinc prouenit prædictam propositionem non accidentalem, sed absolutè essentialem esse. Sed replicabis in fauorem traditæ solutionis. Nam propositio contingens est illa, quæ potest esse vera, & potest esse falsa; sed prædicta propositio potest aliquando esse vera, & aliquando esse falsa; ergo prædicta propositio est absolutè contingens. Maior constat. Minor verò probatur. Etenim Petro hìc, & nunc existente prædicta propositio est vera, & Petro hìc, & nunc non existente prædicta propositio est falsa, sed potest Petrus hìc, & nunc existere, & potest hìc, & nunc non existere; ergo potest prædicta propositio esse vera aliquando, & aliquando falsa. Confirmatur. Eadem propositio, non potest esse simul contingens, & essentialis: Sed prædicta propositio est absolutè contingens; ergo non potest esse absolutè essentialis. Minor constat ex dictis. Maior verò probatur. Eadem propositio, non potest esse simul essentialis, & accidentalis; ergo pariter eadem propositio non poterit esse simul essentialis, & contingens. Respondetur concedendo maiorem, & minorem, & distinguendo consequens; ergo prædicta propositio est absolutè, ideſt, simpliciter cõtingens: concedo consequentiam; absolutè, ideſt, omnibus modis, nego consequentiam. Nõ enim est inconueniens eandem propositionem ex diuersis capitibus esse simpliciter contingentem, & essentialem. Sicut Christus Dominus ex parte humanitatis, & ratione illius est simpliciter homo, & ex parte diuinitatis, & ratione illius est simpliciter Deus: cum autem prædicta propositio ex parte cõuenientiæ, & cõnexionis prædicati cũ subiecto sit essentialis. Quia talis cõnexio essentialis est. Et ex parte suppositionis subiecti sit contingens. Quia suppositio subiecti contingens est: hinc prouenit prædictam propositionem ex diuersis capitibus, contingentem, & essentialem esse. Ad confirmationem nego maiorem. Ad proba-

tionem conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Dicitur enim propoſitio eſſentialis, à cõnexione eſſentiali prædicati cum ſubiecto: & ſimiliter dicitur propoſitio accidentalis à cõuenientia, & cõnexione accidentali prædicati cũ ſubiecto. Quo circa ſi eadem propoſitio ſimul eſſet eſſentialis, & accidentalis ex eodẽ capite vtrũque haberet; & cũ hoc ſit impoſſibile: hinc prouenit eandem propoſitionem non poſſe ſimul eſſe eſſentialem, & accidentalem. At verò propoſitio dicitur contingens, ex eo quod poſsit eſſe vera, & falſa: & cum poſsit eſſe falſa ex defectu ſuppoſitionis ſubiecti, (vt conſtat ex dictis) & vera ex parte conuenientiæ prædicati: hinc prouenit, quod eadem propoſitio poſsit eſſe ſimul eſſentialis, & cõtingens. Quandoquidem vtrumque poteſt ex diuerſis capitibus prouenire. Vnde non eſt eadem ratio.

3 Hijs tenui calamo præiactis ad ſolutionem principalis argumenti reuertamur. Ad quod cõceſſa maiori, nego minorem. Ad probationem diſtinguo antecedens. Subiectum ſtat pro Petro hìc, & nunc exiſtente, reſtrictione proueniente à verbo prædictæ propoſitionis, nego antecedens: reſtrictione proueniente à copula implicationis ſe tenente ex parte ſubiecti, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Subiectum enim prædictæ propoſitionis non eſt ſolus Petrus, ſed totum hoc complexum, *Petrus, qui exiſtit hic, & nunc*, quod quidem ſubiectum ſupponit naturaliter pro omnibus pro quibus aptum natũ eſt accipi. Nam totum hoc complexum, *Petrus, qui exiſtit hic, & nunc*, non eſt aptum ſupponere, niſi pro Petro, hìc, & nunc exiſtente. Quapropter ſupponit naturaliter pro omnibus, pro quibus aptum natum eſt accipi. Vt igitur verbum prædictæ propoſitionis à tempore non abſolueretur, erat neceſſum, quod ſubiectum prædictæ propoſitionis pro pluribus ſupponere poſſet, vel pro Petro in diuerſis ſtatibus, & ratione copulæ ad ſupponendum pro Petro in aliquo ſtatu determinato, & pro aliqua temporis determinata differentia reſtringeretur: & cum hoc non inueniatur in ſubiecto prædictæ propoſitionis reſtrictio à copula implicationis, & non à verbo: hinc prouenit verbum prædictæ propoſitionis à tempore abſolui. Si dicas ergo eodẽ modo ſupponit ſubiectum harum propoſitionum. *Petrus, qui exiſtit, & nunc eſt homo Petrus, qui exiſtit hic, & nunc eſt albus*; cum vtraque ſupponat pro Petro exiſtente hìc, & nunc. Reſpondetur enim negando conſequentiam. Diſcrimen autem eſt duplex. Primum eſt. Nam ſubiectum primæ propoſitionis ſupponit pro Petro, de quo adhuc in intellectu non poteſt negari prædicatum, nec illi adeſſe, & abeſſe. At verò ſubiectum ſecundæ pro-

positionis supponit pro Petro, de quo secunda ratione illa, quæ intellectui obicitur potest negari prædicatum, illique adesse, & abesse. Secundum discrimen est Nam subiectum primæ propositionis solum à copula implicationis restringitur pro Petro hic, & nunc existēte. At verò subiectum secundæ propositionis, non solum à copula implicationis, verum etiam à verbo prælictæ propositionis pro Petro hic, & nunc existente restringitur.

4 Obijcies secundo. Istæ propositiones, *quod fuit, fuit, quod erit, erit*, sunt propositiones essentiales, si quidem sunt propositiones identicæ: & tamen verbum illarum non absoluitur à tempore; ergo nō in omni propositione essentiali verbum à tempore absoluitur. Minor probatur primo, Verbum extrinseci temporis non absoluitur à tēpore (vt dicebamus in præcedenti quæstione) sed verbum prædicti propositionum est verbum extrinseci temporis; ergo à tēpore non absoluitur. Secundo. Tunc verbum absoluitur à tempore, quando nō refert ingit extrema pro determinata temporis differentia: Sed in prælictis propositionibus extrema pro determinata temporis differentia restringuntur; ergo in prædictis propositionibus verbum à tempore non absoluitur. Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem. Ad primam probationem distinguo maiorem; non absoluitur à tempore, quando ratione illius extrema supponunt accidentaliter, concedo maiorem; quando ratione illius extrema non accidētaliter supponunt, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Cum enim in illa propositione, *quod fuit, fuit* extrema, supponant naturaliter, quia supponunt pro omnibus, pro quibus apta nata sunt accipi, ideò verbum *fuit*, à tempore absoluitur, & non restringit extrema, vt accidētaliter supponant. Et idem dicendum est de secunda propositione. Ad secundam probationem concessa maiori distinguo minorem: extrema pro determinata temporis differentia restringuntur ratione suæ significationis, quæ non extenditur nisi ad determinatam temporis differētiam, quæ non vocatur propriè restrictio, concedo minorem: ratione copulæ restringentis, nego minorem, & consequentiā. Quæ solutio constat ex dictis.

5 Obijcies vltimo. Hæc propositio, *Deus est homo* est essentialis: & tamen verbum illius non absoluitur à tempore; ergo non in omni propositione essentiali verbum à tempore absoluitur. Maior est certa. Minor vero probatur. Nam ante incarnationē prædicta propositio erat falsa; sed propositio vera in qua verbum absoluitur à tempore, semper est vera; ergo in prædicta propositione verbum non absoluitur à tempore. Confir-

firmatur primo Hæc propositio, *Petrus est homo* est propositio contingens: & tamen verbum illius absolvitur à tẽpore; ergo non solum in propositionibus essentialibus; verum etiam in accidentalibus verbum à tempore absolvitur. Minor probatur. Veritas enim prædictæ propositionis est contingens, & corruptibilis; ergo prædicta propositio est contingens, & accidentalis. Probatur antecedens. Veritas prædictæ propositionis in cõiunctione extremorum consistit: sed coniunctio extremorũ est contingens, & corruptibilis; ergo veritas prædictæ propositionis, contingens est, & corruptibilis. Minor probatur Cõiunctio enim extremorum, vtroque, vel vno corrupto deficit, & corrumpitur; sed Petrus, qui est extremum coniunctionis importatæ per prædictam propositionem est corruptibilis; ergo etiam corruptibilis erit cõiunctio. Confirmatur secundo. Hæc propositio *homo est lapis* non est essentialis: & tamen in illa verbum à tẽpore absolvitur; ergo nõ solũ in propositionibus essentialibus, verbum à tempore absolvitur. Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem dicatur, quod prædicta propositio ante incarnationem erat impossibilis, & in materia remota, post incarnationem vero est essentialis, & in materia naturali. Vt docet sapiẽtissimus Magister Soto, libro tertio Summularũ, lect. vnica, notabili quinto, argumento tertio. Cum autem in omni propositione essentiali, vel impossibili verbum absoluatur à tempore: hinc prouenit verbum prædictæ propositionis à tempore absolui, licet enim propositio ex terminis vera, in qua verbum absoluitur à tempore, tempore sit vera, tamẽ propositio vera interuentu suppositionis miraculosæ, in qua verbum absoluitur à tempore, non est necessum, quod semper sit vera. Hoc enim, & multum magis tam portentosum miraculum facit. Ad primam confirmationem, nego maiorem. Licet enim coniunctio subiectiua extremorum prædictæ propositionis sit corruptibilis ad extremorum corruptionem: tamen coniunctio obiectiua extremorum prædictæ propositionis indefectibilis, & incorruptibilis est. Quia cõceptus Petri essentialiter coniungitur cum conceptu hominis, ita vt hæc coniunctio inter istos conceptus obiectiuos nũquam possit deficere. De quo lato, & erudito calamo agit Magister Bañez 1. parr. quæst. 3. art. 3. dub. 1. concl. 5. & nos fortasis aliqua infra dicemus. Ad vltimam confirmationem constat ex dictis. Non enim solum in propositione essentiali verbum à tempore absoluitur; verum etiam in propositione impossibili: & cum prædicta propositio sit propositio impossibilis, ideo in illa verbum à tempore absoluitur.

QVÆSTIO V.

Vtrùm verbum sit pars principalis propositionis?

1 REsolutoriè dicendum est verbum esse partem principalem propositionis. Hæc conclusio videtur expressa D. Thomæ, primo per hermeniarũ lect. secunda, & quinta, quæ probatur illius ratione forma constitutiua alicuius totius est pars principalis illius: sed verbum est forma primo intẽtionalis constitutiua propositionis; ergo est pars principalis illius. Maior constat. Etenim in composito substãtiali pars principalis est forma illius constitutiua. Minor vero probatur. Propositio formaliter consistit in ratione totius enunciatiui vnius de alio, sed verbum est forma cõstitutiua totius enũciatiui vnius de alio; ergo verbũ est forma constitutiua propositionis. Maior est certa, illamque infra in suo loco probabimus. Minor vero probatur. Verbũ est forma constitutiua cõpositionis vnius cum alio: sed ratio totius enunciatiui vnius de alio, est ratio cõpositionis vnius cum alio; ergo si verbum est forma constitutiua compositionis vnius cum alio, etiam erit forma constitutiua totius enunciatiui. Minor cum consequentia tenet. Maior vero probatur. Cõpositio vnius cũ alio fit formaliter mediante verbo; ergo verbum est forma constitutiua compositionis vnius cũ alio. Antecedẽs probatur primo. Compositio vnius cum alio fit formaliter mediante vnione vnius cum alio; sed verbum est formaliter vnio vnius cum alio; ergo compositio vnius cum alio fit formaliter mediante verbo. Minor constat ex dictis. Maior vero probatur. Compositio enim est distinctorum vnio; ergo compositio vnius cum alio fit formaliter mediante vnione vnius cum alio. Secundo verbum communiter dicitur significare compositionem prædicati cum subiecto; ergo compositio vnius cum alio fit formaliter mediante verbo.

2 Contra istam conclusionem obijcies primo. Verbum est vnio prædicati cum subiecto; ergo non est pars principalis propositionis. Probatur cõsequentia. Vnio partium compositi substantialis non est pars principalis illius; ergo pariter vnio partium propositionis non erit pars principalis illius; ac per consequens, si verbum est vnio partium propositionis, non erit pars principalis illius. Probatur consequentia. Ideò vnio partium compositi substantialis non est pars principalis illius, quia est nexus partium compositi substantialis, sed etiam vnio partium propositionis est nexus illarum; ergo si vnio partium compositi substantialis non est pars principalis illius, nec etiam vnio partium propositionis erit pars principalis illius. Confirmatur hoc argumentum:

Nam

Nam quod non est pars propositionis, non potest esse pars principalis illius: sed verbum formaliter, quatenus verbum non est pars propositionis; ergo verbum formaliter vt verbum non est pars principalis propositionis. Maior est euidens, & minor dupliciter probatur. Primo. Partes propositionis sunt illæ in quibus resoluitur propositio: sed propositio non resoluitur in verbum; ergo verbum formaliter vt verbum non est pars propositionis. Minor probatur. Propositio solum resoluitur in subiectum, & prædicatum; ergo non soluitur in verbum. Antecedens probatur ex Aristotele primo priorum, illis verbis. *Terminum voco in quem resoluitur propositio tanquam in subiectum, & prædicatum*: sed terminus est pars propositionis; ergo si Aristoteles in prædictis verbis nullam facit mentionem de verbo, sentit verbum non esse partem propositionis, nec in ipsũ propositionem resolui. Secundo probatur eadem minor. Nomen formaliter vt nomen non est pars propositionis; ergo pariter verbum formaliter vt verbum non est pars propositionis. Antecedẽs constat ex dictis in præcedenti disputat. quæstione prima. Consequentia verò tenet à paritate rationis. Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam. Disparitas consistit in hoc. Nam vnio partium cõpositi substantialis solum habet rationem nexus illarum. Cum igitur nexus nõ sit pars principalis: hinc prouenit vnionem partium compositi substantialis non esse partem principalem illius. At verò verbum non solum habet rationem nexus partium propositionis, verumetiam habet rationem formæ propositionis: & cum forma alicuius compositi sit pars principalis illius, ideò verbum est pars principalis propositionis. Sed contra istam solutionem replicabis primo. Vnio partium compositi substantialis solum habet rationem nexus illarum, & non rationem formæ totius compositi substantialis; ergo pariter vnio partium propositionis solum habebit rationem nexus illarum, & non rationem formæ propositionis. Probatur consequentia. Ideò vnio partium compositi substantialis non habet rationẽ formæ illius, quia datur materia, & forma, quas vnit: sed etiã in propositione datur subiectũ, & prædicatum, quæ verbũ vnit; ergo si vnio partiũ cõpositi substantialis solũ habet rationẽ nexus, & non formæ illius, etiam vnio partiũ propositionis solũ habebit rationem nexus, & non formæ illius. Secũdo. Prædicatum est forma propositionis; ergo verbum nõ poterit esse forma illius. Patet consequẽtia. Vnũ enim compositum vnam formam debet habere. Et antecedẽs probatur subiectũ est materia propositionis; ergo prædicatum

ent forma illius. Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam. Ratio discriminis est. Nam in composito substantiali forma substantialis habet ex se sufficientem vim per modū formæ ad constituendum totum compositum substantiale. Quia quomodolibet vniatur materiæ, totum compositum substātiale constituitur. Quo circa vnio partium compositi substantialis solum habet rationem nexus. At verò prædicatum non habet sufficiētem vim per modum formæ ad constituendam propositionē, nisi vt stat sub copula verbali, & enunciatiua, tanquam sub ratione formali, qua posita constituitur propositio, & qua ablata aufertur, etiā totū propositionale enunciatiuum. Quia hoc prædicatum *albus* potest coniungi, & vniri cum hoc subiecto *homo* in hoc cōplexo *homo albus*, quin cōstituat propositionem, nisi ponatur verbum dicendo *homo est albus*, in qua propositione non prædicatur albedo præcisè de homine, sed esse albi prædicatur de homine; vnde verbum non solum habet rationem nexus, verum etiam rationē formæ totius propositionis. Ad secundam replicam distinguo antecedens. Prædicatū est forma partialis propositionis, concedo antecedens: totalis, nego antecedens; & cōsequentiā. Licet enim prædicatum se habeat vt forma respectu subiecti, respectu tamen verbi se habet vt materia; vnde ex prædicato, & ex subiecto resultat forma totalis propositionis, quæ est verbum significans coniunctionem prædicati cum subiecto. Sicut licet anima se habeat vt forma respectu materiæ; tamen respectu formæ totalis, scilicet, humanitatis se habet vt materia. Nā ex anima rationali, & ex materia coniunctis resultat humanitas, quæ est forma totalis hominis. Ita similiter discurro de verbo, quod est forma totalis propositionis. Nec refert si dicas formā propositionis esse relationem rationis. Quādoquidem propositio est totum secundo intentionale; ergo verbum non potest esse forma propositionis. Non inquam hoc refert. Nam quamuis relatio rationis suas partes respiciens ibi sistendo sit forma secundo intentionalis propositionis, tamē forma primo intētionalis cōstituens subiectum talis relationis rationis est verbum, quod est forma totalis propositionis. Vt docet Diuus Thomas primo per hermeniarum, lectione 8. in principio. Ad primam argumenti principalis confirmationē respondetur concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem dicatur Aristotelem locutum fuisse in prædictis verbis de partibus propositionis, quæ possunt esse medium, aut extremitas in syllogismo, & quia verbum quatenus verbum nunquam potest esse medium, aut extremitas syllogismi, ideò mentionem non fecit de ver-

verbo, non quia non sit pars propositionis, sed quia non est medium, nec extremitas in syllogismo; cum quo compatitur verbū esse partem propositionis. iuxta illud Boeci primo topycorū illis verbis: *Terminos voco nomina, & verba, quibus nectitur propositio.* Ad secundam confirmationem concesso antecedenti negamus consequentiam. Discrimen constat ex dictis in disputatione præcedenti quæstione prima. Nam nomen secundum proprium conceptum solum dicit rationem notaminis rei certæ, & determinatæ, quæ ratio non est ratio partis respicientis propositionem, sed solum rem notificatam. At verò verbum secundum proprium cōceptum importat rationē vnionis prædicati cum subiecto. Cum igitur de ratione vnionis partium alicuius compositi sit esse partem illius: hinc prouenit verbum quatenus verbum esse partem propositionis.

3 Obijcies secundo. Verbum non potest esse forma propositionis; ergo nec pars principalis illius. Antecedens probatur. Variata forma constitutiua alicuius totius, necesse est totum constitutum essentialiter variari: Sed variato essentialiter verbo, non variatur essentialiter propositio; ergo verbum non potest esse forma propositionis. Maior est certa, vt videre est discurrendo per omnia composita. Minor vero probatur. Verbum præsens essentialiter distinguitur à verbo præterito: & tamen propositio de verbo præsenti, nō distinguitur essentialiter à propositione de verbo præterito; ergo variato essentialiter verbo, nō variatur essentialiter propositio. Maior est certa. Nam verbum præsens habet essentiam verbi, secus vero verbum obliquum, quale est verbum præteritum, vt constat ex dictis in diffinitione verbi; ergo verbum præsens essentialiter distinguitur à verbo præterito. Minor vero probatur. Sola enim diuisio propositionis in affirmatiuam, & negatiuam, & ad summum in cathegoricam, & hypoteticam est essentialis; ergo propositio de verbo præsenti non distinguitur essentialiter à propositione de verbo præterito. Confirmatur hoc argumentum primo. Hæc propositio *Petrus fuit albus* est simpliciter propositio: Sed si verbum esset forma constitutiua illius, non esset simpliciter propositio; ergo verbū non est forma constitutiua propositionis. Minor probatur. Quādo forma constitutiua alicuius compositi est secundum quid tale, etiam compositum cōstitutum est secundum quid tale: Sed verbum prædictæ propositionis est secundum quid tale; ergo si prædicta propositio est simpliciter propositio, verbum illius non est forma constitutiua prædictæ propositionis. Totus discursus est legitimus. Secundo, ly & diuisiuè sumptum non est pars,

sed nexus partium huius complexi, *Petrus, & Paulus*; ergo pariter verbum non erit pars propositionis, sed solum nexus partium illius. Consequentia tenet à paritate rationis. Et antecedens probatur. Hæc est differentia inter ly & diuisiuè sumptum, & ly & complexiuè sumptum, quod primo modo non efficitur pars complexi, benè vero secundo modo; ergo ly & diuisiuè sumptum non est pars, sed nexus partium huius complexi, *Petrus*, & *Paulus*. Respondetur negando antecedens. Ad probationem concedo maiorem, & nego minorem. Ad cuius probationem distinguo maiorem. Verbum præsens essentialiter distinguitur à verbo præterito in ratione verbi significantis agere, vel pati simpliciter, concedo maiorem: in ratione copulæ extrema copulantis nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Verbum enim est forma totalis propositionis, quatenus est copula copulans illius extrema; & cum verbum præsens, & præteritum in ratione copulæ essentialiter conueniant: hinc prouenit propositiones de præsenti, & de præterito essentialiter non differre. Quia licet earum formæ in ratione verbi significantis agere, vel pati simpliciter, essentialiter differant in ratione tamen copulæ, & formæ propositionis, non differunt essentialiter. Recolantur dicta in prima quæstione huius disputationis argumẽto vltimo. Ad primam confirmationẽ constat ex dictis loco proximè citato. Etenim ad hoc quod hæc propositio *Petrus fuit albus* sit simpliciter propositio, sufficit, quod verbum illius sit simpliciter copula copulans extremæ, secundum quẽ conceptum est forma propositionis. Vnde verbũ illius est simpliciter forma propositionis, quamuis non sit simpliciter verbum propter rationem datam vbi suprà. Ad vltimam confirmationẽ dicatur, quod ly & diuisiuè sumptum, non solum est nexus partium prædicti complexi, verũ etiam est forma illius. Quando enim dicitur, quod ly & diuisiuè sumptum, non efficitur pars extremi, debet intelligi, quod non efficitur pars vnius termini incõplexi, non tamen quod non efficitur pars vnius termini complexi. Sed de hoc iterum reddibit sermo.

4 Obijcies vltimo. Quæ differunt essentialiter, pœnes formas differunt: Sed propositio affirmatiua, & negatiua differunt essentialiter, & non pœnes verba; ergo verbũ non est forma propositionis. Maior est certa. Minor vero quoad primam partem est sententia probabilis, & quoad secũdam probatur. Propositio affirmatiua, & negatiua differunt per negationem, & affirmationem: Sed negatio non est verbum; ergo non differunt pœnes verba. Maior probatur. Secluſa enim ne-

ga-

negatione non inuenitur aliquid per quod differant prædictæ propositiones; ergo tantum differunt per negationem, quæ in negatiua inuenitur, & in affirmatiua non est. Respondetur concedēdo maiorem, & negando minorem. Ad probationem distinguo maiorē. Per negationem, tanquam per conditionem concedo maiorem; tanquam per rationem formalem nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Negatio enim solum est ratio formalis negandi verbum, & cōditio, vt propositio reddatur negatiua, sicut existentia est ratio formalis, vt principium operatiuum existat, & conditio vt operetur. Ita similiter negatio est ratio formalis negandi verbum, & conditio, vt propositio reddatur negatiua. Ratio enim constitutiua propositionis negatiuæ non est negatio, sed verbum negatum. De quo in suo loco fortasis plura dicemus. Et hæc dicta sufficiant de tota ista disputatione, applicando litteræ sapientissimi Magistri Soto, libro secūdo Summularum, capitulo secundo, lectione vnica per omnia eius notabilia.

Disputatio Tertiadecima, De Oratione, & modo sciendi.

QVÆSTIO I.

Vtrùm diuisio orationis in perfectam, & imperfectam sit bona, & essentialis?

1 QVoniam diffinitio orationis, & distinctio illius à termino complexo sufficienter remanet explicata in diffinitione termini complexi, ideò, ne eadem pluries repetamus, quæstionem inquirentem, an diffinitio orationis sit bona, relinquimus inquirendo modo, an diuisio illius in orationē perfectam, & in orationem imperfectam sit bona, & essentialis. In qua parte supponendum est orationem in cōmuni dupliciter posse considerari, vel quatenus dicit ordinē ad intellectum, in quo perfectū, vel imperfectum sensum generat, vel quatenus respicit obiectum, quod notificat. Sub prima consideratione diuiditur in orationem imperfectam, & perfectam. Sub secunda autem consideratione diuiditur in orationem, quæ est modus sciendi, & in orationem, quæ non est modus sciendi. Quo supposito resolutoriè dico primo. Prædicta di-

diuisio est bona. Hæc conclusio probatur hac vnica ratione. Nulla datur oratio, quæ non sit perfecta, vel imperfecta, & aliàs prædictæ diuisioni conueniunt conditiones bonæ diuisionis; ergo prædicta diuisio est bona. Probatur antecedens. Nulla datur oratio, quæ non generet perfectum, vel imperfectum sensum; ergo nulla datur oratio, quæ non sit perfecta, vel imperfecta.

2 Dico secundo. Prædicta diuisio est essentialis. Hæc conclusio probatur hac sola ratione. Prædicta diuisio datur per differentias essentiales; ergo est essentialis. Probatur antecedens. Prædicta diuisio datur per differētias intraneas; ergo datur per differētias essentiales. Probatur antecedens. Essentia orationis consistit in ratione totius significatiui respicientis suas partes sistendo ibi: sed toti significatiuo respicienti suas partes intraneum est generare perfectum, vel imperfectum sensum; ergo prædicta diuisio datur per intraneas differētias. Minor probatur. Generare perfectū, vel imperfectum sensum, prouenit ex tali, vel tali dispositione partium: sed talis, vel talis dispositio partium est quid intraneum rationi totius significatiui respicientis suas partes: ergo toti significatiuo respicienti suas partes intraneum est generare perfectū, vel imperfectum sensum. Minor patet, & maior probatur. Ideo enim hæc oratio, *Petrus est albus* generat perfectum, & hæc *Petrus albus* generat imperfectum sensum, quia prima habet distinctas partes diuerso modo dispositas, ac habet secunda; ergo generare perfectum, vel imperfectum sensum prouenit ex diuersitate partium, & dispositionis illarum. Ex quo infero prædictam diuisionē esse vniuocam, & generis in species. Quia cum sit essentialis, & ratio communis ab vtroque mēbro, simpliciter participetur sine dependentia vnius ab alio in ratione communi, necessum est fateri prædictam diuisionem esse vniuocam, & generis in species.

3 Contra primam conclusionem obijcies primo. In omni bona diuisione quidquid continetur sub diuiso debet determinatè contineri sub aliquo ex membris diuidentibus: sed in hac diuisione aliquid continetur sub diuiso, quod non continetur determinatè sub aliquo ex membris diuidentibus; ergo prædicta diuiso non est bona. Minor probatur. Modus sciendi continetur sub diuiso, scilicèt, sub oratione; & tamen non continetur determinatè sub oratione perfecta, aut imperfecta; ergo aliquid continetur sub diuiso huius diuisionis, quod non continetur determinatè sub aliquo ex membris diuidentibus. Minor probatur. Modus enim sciendi aliquando est oratio perfecta, vt argumentatio. & aliquādo est oratio imperfecta, vt diffinitio; ergo modus sciendi non con-

continetur determinatè sub oratione perfecta, aut imperfecta. Respondetur distinguendo maiorem. In omni bona diuisione quidquid continetur sub diuiso, quatenus diuisum est debet contineri determinatè sub aliquo ex membris diuidentibus, concedo maiorem, quidquid continetur sub diuiso specificatiuè sumpto, & non reduplicatiuè, quatenus diuisum est, debet determinatè contineri sub aliquo ex membris diuidentibus, nego maiorem. Et sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Etenim, vt iam notaui, oratio diuiditur in perfectam, & imperfectam, quatenus respicit intellectum, in quo perfectum, vel imperfectum generat sensum. Modus autem sciẽdi licèt contineatur sub oratione, quatenus respicit obiectum, quod significat, non tamen continetur sub illa, quatenus respicit intellectum, vndè non continetur sub illa, quatenus est formaliter diuisum huius diuisionis; & cum solũ id quod continetur sub diuiso formaliter sumpto, & quatenus diuisum est, debeat determinatè contineri sub aliquo ex membris diuidentibus: hinc prouenit, quod quamuis modus sciendi contentus sub diuiso huius diuisionis specificatiuè sumpto, & non reduplicatiuè, quatenus diuisum est non cõtineatur determinatè sub aliquo ex membris diuidentibus, hoc non tollat quo minus prædicta diuisio bona, & adæquata sit. Quæ solutio desumitur ex sapientissimo Magistro Soto, libro secundo Summularum, capitulo quinto, lectione secunda, notabili secundo, argumento primo, vbi docet quod membra diuidentia debent esse inferiora diuiso, non specificatiuè sumpta, sed reduplicatiuè, quatenus membra diuidentia sunt. Quapropter benè diuiditur corpus in sensibile, & insensibile, quamuis insensibile specificatiuè sumptum non sit inferius ad diuisum, & contineat aliquid, nimirum Angelum, qui non continetur sub diuiso, scilicèt, sub corpore. Quia tamen in sensibile formaliter sumptum, & quatenus est membrum diuidens est inferius ad diuisum, & non cõtinet Angelum. Ideò asserit sapientissimus Magister diuisionẽ corporis in sensibile, & insensibile esse bonam. Similiter ergo philosophandum erit de diuiso, asserendo, quod illud quod continetur sub diuiso, quatenus diuisum est, debet determinatè contineri sub aliquo ex membris diuidẽtibus. Secus verò illud, quod solum continetur sub diuiso specificatiuè, & materialiter sumpto, sicut sub corpore specificatiuè sumpto, benè diuiso in animatum, & in corpus inanimatum, continetur album, quod determinatè non continetur sub aliquo ex membris diuidentibus. Recollantur dicta disputatione 10. quæst. 8. argum. 1.

4 Obijcies secundo. Hæc oratio,

tio, *vtinam disputarem*, nec est perfecta, nec imperfecta; ergo prædicta diuisio est mala. Antecedens pro prima parte est certum, & pro secunda probatur. Prædicta oratio quietat animum audientis; ergo non est imperfecta. Dices prædictam orationem perfectam esse. Sed contra est. Prædicta oratio non significat verũ, vel falsum; ergo non est oratio perfecta. Respondetur solutionẽ daitam esse legitimam. Et ad repleam dicatur cum sapientissimo Magistro Soto, quod generare perfectum sensum nõ est significare verum, vel falsum, sed quietare animum audientis, ita vt non maneat dubius circa illud quod vult dicere proferens orationem.

5 Contra secundam conclusionem obijcies primo. Magis, & minus non variant speciem, nec faciũt distinctionem essentialem: sed prædicta diuisio datur pænes magis, & minus; ergo non est essentialis. Maior constat. Etenim magis, & minus album non variant speciem albi, nec inducunt essentialem distinctionem. Minor verò probatur. Prædicta diuisio datur per orationem perfectam, & imperfectam: sed oratio perfecta, & imperfecta differunt penes magis, & minus; ergo prædicta diuisio datur penes magis, & minus. Minor probatur. Vtraque oratio generat sensum, & vna perfectum, alia verò imperfectum; ergo oratio perfecta, & imperfecta differunt penes magis, & minus. Respondetur distinguendo maiorem. Magis, & minus quando prouenium ab eadem forma, non variant speciẽ, concedo maiorem; quando prouenium à diuersa forma, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Etenim quando magis, & minus à diuersis formis prouenium, sicut diuersitas formarum infert diuersitatem specificam, ita similiter magis, & minus, quando à diuersis formis prouenium, distinctionem essentialem, & specificam inducunt. Cum igitur oratio perfecta, & imperfecta differant penes magis, & minus à diuersis formis prouenientia. Nam *magis*, id est, sensus perfectus orationis perfectæ prouenit à forma verbali, id est, à verbo, quod est forma orationis perfectæ: sed *minus*, id est, sensus imperfectus orationis imperfectæ prouenit à forma nominali, id est, ab adiectiuo, quod est forma orationis imperfectæ: hinc fit, quod magis, & minus, quæ inueniuntur in oratione perfecta, & imperfecta, varient speciem, & inducant essentialem distinctionem.

6 Obijcies secundo. Diuisio orationis in orationem, quæ est modus sciendi, & in orationem, quæ non est modus sciendi, est accidentalis; ergo similiter diuisio orationis in perfectam, & imperfectam orationem accidentalis

lis erit. Antecedens est certum. Et conseq. prob. Oratio, quæ est modus sciendi, excedit in perfectione orationem, quæ non est modus sciendi; ergo si diuisio orationis in orationē, quæ est modus sciendi, & in orationem, quæ non est modus sciendi est accidentalis, etiam diuisio orationis in perfectam, & imperfectam accidentalis erit. Respondetur admittēdo anteced. & neg. conseq. Ad probat. disting. antec. Oratio, quæ est modus sciendi excedit in perfectione accidentali orationem, quæ non est modus sciendi, conc. antec. In perfectione essentiali, nego antec. & conseq. Diuisio enim orationis in orationem, quæ est modus sciendi; & in orationem, quæ non est modus sciēdi est diuisio subiecti in accidentia. Eo quod oratio est subiectum secundæ intentionis modi sciendi. Et ideò prædicta diuisio est accidentalis. Et oratio, quæ est modus sciendi, soluens in perfectione accidentali excedit orationem, quæ non est modus sciendi. Quia diffinitio, & diuisio, quæ sunt orationes habentes rationem modi sciendi, non habent distinctam speciē formam, ac habent aliæ orationes imperfectæ, quæ non sunt modus sciendi. Cum diffinitio, & diuisio non habeant formam verbalem, sed nominalem, vt aliæ imperfectæ orationes, quæ non sunt modus sciendi habent. At verò oratio perfecta, & imperfecta habent distinctas specie formas, vt constat ex dictis in præcedenti solutione. Vndè non est eadem ratio. Vel secundo respondetur, negan. antec. Prædicta enim diuisio essentialis est. Cum membra diuidentia essentialiter differant, & diuersas species constituant. In calce autem solutionis aduertendū erit, quod modus sciēdi formaliter est ratio, quatenus oratio obiectum respicit, nō verò quatenus oratio intellectū inspecit.

7 Obijcies vltimo. Membra diuidentia orationem in perfectam, & in imperfectam inæqualiter participant rationem diuisam; ergo prædicta diuisio non est generis in species. Prob. antec. Oratio perfecta perfectè participat rationem orationis, & imperfecta imperfectè participat orationis rationem; ergo membra diuidentia inæqualiter participant rationem diuisam. Respond dist. antec. Membra diuidentia inæqualiter participant rationem diuisam inæqualitate se tenente ex parte differentiarum, & rationum particularium, conc. antec. inæqualitate se tenēte ex parte rationis communis diuisæ, nego ant. & conf. Essentia enim orationis simpliciter à perfecta, & imperfecta participatur. Quandoquidē vtraq; habet partes significatiuas: licèt ab oratione perfecta per differētiā magis perfectā participetur, quā ab oratione imperfecta. Vndè inæqualitas se tenet ex parte rationum,

par-

particularium, & non ex parte rationis communis, quæ inæqualitas licet cautet analogiam philicam, non tamen cautat logicã analogiam, nisi dicas diuisionem animalis in hominem, & equum analogã logicè esse. Reconantur dicta dub. 2. quæst 8. arg. 1. contra secundam conclusionem.

QVÆSTIO II.

Vtrùm diffinitio modi sciendi sit bona?

1 MOdus sciendi sic diffinitur a sapientissimo Magistro Soto; *est oratio alicuius ignoti manifestatiua.* Et resolutorie dicendum est prædictam diffinitionem esse bonam. Hanc conclusionem probat authoritas tãti Magistri, & ratio etiam id suadet. Etenim prædicta diffinitio constat ex oratione, quæ ponitur loco generis, & ex alia particula *manifestatiua ignoti* posita loco differentiæ; ergo prædicta diffinitio est bona. Quandoquidem constat ex genere, & differentia, quod magis constabit ex solutione argumentorum; & contra illam.

2 Obijcies primo. Bona diffinitio dicitur ad conuertentiam cum suo diffinito: sed prædicta diffinitio non dicitur ad conuertentiam cũ suo diffinito; ergo nõ est bona. Minor prob. Inferius enim non potest cum superiori conuerti: sed diffinitio modi sciendi est inferior ad ipsum; ergo non potest cum illo conuerti. Minor prob. Diffinitio modi sciendi est inferior ad diffinitionem in communi: sed diffinitio in communi est inferior ad modum sciẽdi; ergo de primo ad vltimum diffinitio modi sciendi est inferior ad ipsum. Minor prob. Modus enim sciendi diuiditur in diffinitionem, diuisionem, & argumentationẽ: sed media diuidentia debent esse inferiora ad diuisum; ergo diffinitio in communi est inferior ad modum sciendi. Ad hoc molestissimum argumentum multi multa dicunt, quorum solutionibus omissis breuiter respondeo distinguendo mai. Bona diffinitio primo intentionaliter sumpta dicitur ad conuertentiam cum suo diffinito, conc. mai. secundo intentionaliter accepta, nego mai. & sub eadem distinctione min. nego conse. Etenim ad hoc quod aliqua diffinitio sit bona, nõ est necessum, quod secunda intentio diffinitionis conuertatur cum secunda intentione diffiniti. Immo hoc est impossibile. Siquidẽ secunda intentio diffinitionis, & secunda intentio diffiniti sunt intentiones inter se oppositæ, sed quod requiritur, vt diffinitio sit bona, est quod res significata per diffinitionem conuertatur cum re significata per nomen diffiniti: & cum res significata per diffinitionem modi sciendi conuertatur cum re significata per ly *modus sciendi*, quamuis secunda in-

tẽn-

tentio diffinitionis modi sciendi sit inferior ad secundam intentionem modi sciendi: hinc prouenit diffinitionem modi sciendi esse bonam, & cum suo diffinito conuerti: sufficienti conuertentia ad bonã diffinitionem requisita. Exemplum est in diffinitione hominis, quæ conuertitur cum suo diffinito sufficienti conuertentia ad bonam diffinitionem requisiti, per hoc solum, quod res significata per ly *animal rationale* conuertatur cum re significata per ly *homo*, quamuis secunda intentio diffinitionis denominans ly *animal rationale* diffinitionem non conuertatur cum secunda intentione denominante hominem diffinitum.

3 Obijcies secundo. Me ignoranti, Papam dormire, si aliquis mihi dicat, *Papa dormit*, hæc oratio est alicuius ignoti manifestatiua: & tamen non est modus sciẽdi; ergo diffinitio modi sciendi est mala. Minor prob. Prædicta oratio non est diffinitio, nec diuisio, nec argumentatio; ergo non est modus sciendi. Patet consequentia. Quod enim sub membris diuidentibus non continetur, non potest suo diuiso contineri. Respond. dilting. mai. Est alicuius ignoti manifestatiua per modum signi, conc. mai. artificioso modo nego mai. & concessa min. nego conseq. Licet enim prædicta oratio sit manifestatiua alicuius ignoti enunciatiuo modo, tamen non est manifestatiua alicuius ignoti modo artificioso, id est, per modum diffinitionis diuisionis, vel argumentationis. Cum igitur manifestatio, quæ requiritur ad modum sciendi sit manifestatio artificiosa conducens ad scientiam, & ad scientiam solum conducat manifestatio per modum diffinitionis, diuisionis, vel argumentationis, quam manifestationem prædicta oratio non habet: hinc prouenit prædictam orationem non esse manifestatiuam alicuius ignoti, manifestatione ad modum sciendi requisita. Nec refert, si dicas diffinitionem modi sciendi esse diminutam, si quidem illi deficit ista particula *artificioso modo*. Non inquam hoc refert. Nam diffinitiones breues debent esse, vt faciliter memoriæ mandentur, in quibus non debent poni omnes particulæ requisitæ ad solutionem argumentorum, quia lõgissimæ, & fastidiosis sin æ redderentur. Traddendæ igitur cum breuitate sunt, & postea sunt explicandæ, iuxta illud sapientissimi Magistri Soto lib. 1. Summularum, cap. 2. lect. 1. notab. 2 *Non sunt huiusmodi mœnijs intricandæ diffinitiones, ne illas monstruosas reddamus.*

4 Obijcies vltimo. Propositiones exponentes aliquam exponibilem sunt manifestatiuæ ipsius exponibilis: & tamen non sunt modus sciendi; ergo diffinitio modi sciendi est mala. Minor prob. exponentes non continetur sub aliqua specie modi sciendi.

di. Siquidem nec sunt diffinitio, nec diuisio, nec argumentatio; ergo non sunt modus sciendi. Cōfirmatur hæc propositio, *homo est animal rationale* est manifestatiua alicuius ignoti modo artificioso: & tamen non est modus sciendi; ergo diffinitio illius est mala. Respondetur, quod licèt exponentes alicuius propositionis exponibilis manifestent expositiuo modo ipsam exponibilem; nihilominus tamen non manifestant exponibilem modo artificioso. Quo circa non sunt modus sciendi. Vel secundo dicatur exponentes esse reductiuè in specie argumētationis, quatenus ex illis in cognitionē exponibilis deuenimus. Quo circa exponentes sunt reductiuè modus sciēdi. Sicut præmissæ syllogismi topyci sunt reductiuæ in specie argumentationis, quatenus ad demonstrationem disponunt. Ad confirmationem respondetur prædictam propositionem manifestare ignotum per applicationem diffinitionis ad diffinitum. Cum autem applicatio vnius ad aliud supponat id quod applicatur: hinc prouenit prædictam propositionem non esse formaliter modum sciendi, sed supponere diffinitionem factam, & modum sciendi.

QVÆSTIO III.

Vtrùm in Dialectica à modo sciendi sit incipiendum?

1 REsolutoriè dicendum est, non à modo sciendi, sed a termino esse in dialectica incipiendum. Hæc conclusio est expressa sapientissimi Magistri Soto, lib. 1. Summul. cap. 1. lect. vnic. & probatur illius ratione. Nam secundum Aristotelem à simplicioribus, & imperfectioribus est in cognitione procedendum: sed terminus est simplicior, & imperfectior modo sciendi; ergo non à modo sciendi, sed à termino est in dialectica incipiēdum. Maior est Arist. 1. phys. c. 1. & cōstat illius ratione. Etenim ars naturam imitatur, quæ à simplicioribus, & imperfectioribus sumit exordium; ergo à simplicioribus, & imperfectioribus est in cognitione incipiendum. Min. verò prob. Modus enim sciendi ex terminis componitur: sed partes sunt simpliciores, & imperfectiores toto ex illis constituto; ergo terminus est imperfectior, & simplicior modo sciendi.

2 Contra istam conclusionem obijcies primo. Nam secundum Arist. 2. metaph. tex. 15. absurdum est simul quærere scientiam, & modum sciendi; ergo absurdius erit prius quærere sciētiam, quàm modum sciendi; ac per consequens absurdum est à termino incipere, & rectum est à modo sciendi exordiare. Confirmatur. Nihil potest artificioso modo cognosci, nisi media diffinitione; ergo vt artificioso modo cognoscamus terminū, prius debemus cognoscere diffinitionem. Tunc sic; sed diffinitio est spe-

ſpecies modi ſciendi; ergo prius, debemus cognoſcere modum ſciendi, quam terminum. Reſpondetur explicando Ariſtotelem; *abſurdum eſt ſimul quærere ſcientiam diſtinctam, & modum ſciendi*, conc. ant. *ſcientiam ipſius modi ſciendi, & modū ſciendi*, nego ant. & diſtinguo conſequens; ergo abſurdius erit prius quærere ſcientiam, quam modum ſciendi ſignatè ſumptum, nego conſequentiam. Exercitè ſumptum, concedo conſequentiam. Etenim licèt abſurdum ſit ſimul quærere ſcientiam alicuius rei diſtinctæ à modo ſciendi, & ipſum modum ſciendi, tamen abſurdum non eſt ſimul quærere ſcientiam modi ſciendi, & ipſum modum ſciendi, quia re vera hoc ſolum eſt quærere ipſum modum ſciendi: & cùm modus ſciendi, non poſsit quidditatiuè cognoſci, niſi prius eius partes, quæ ſunt termini, quidditatiuè cognoſcantur: hinc prouenit, quod incipiendo à termino, ab ipſo modo ſciendi exercitè incipiamus, quatenus ab eius partibus quidditatiuè cognitis, iter ad cognitionem quidditatiuā ipſius faciamus. Vndè ſimul quærimus ſcientiam partium ipſius modi ſciendi, & ipſum modum ſciendi, quod reuera eſt ſolum quærere ipſum modum ſciendi. Ad confirmationem dicatur, quod ad hoc quod artificioſo modo cognoſcamus terminum, ſufficit quod prius habeamus cognitionem diffinitionis traditam à Magiſtro. *Ad diſcentem enim oportet aliquid credere, donec plenius informetur*, nō tamē requiritur, quod præſupponatur cognitio ſcientifica diffinitionis. Non enim eſt poſsibile (vt ait ſapientiſsimus Magiſter) exordium aliquod ſumere, quod non præſupponat aliquid mutuatum ex alia materia. Sicut ſi inciperemus à diffinitione mutuandum, neceſſario erat à logica, quid ſit genus, & quid ſit differentia, quæ ſunt partes diffinitionis. Vel ſecundo dicatur, quod incipiēdo à termino, ab ipſa diffinitione in exercitio incipimus. Quia cum terminus ſit pars diffinitionis cognoſcendo terminum, diffinitionem in exercitio incipimus cognoſcere. Sicut cognoſcēdo partes hominis, ipsū hominē incipimus cognoſcere.

3 Obijcies ſecundo. Si à ſimplicioribus eſſet incipiendum, ſequeretur, quod non à termino, ſed à ſecunda intentione in communi incipiendum eſſet: conſequēs eſt falſum; ergo & ratio probatiua noſtræ concluſionis. Sequela prob. Secunda intentio, vt ſic eſt pars conſtitutiua termini; ergo eſt ſimplicior ipſo termino. Prob. antec. Terminus conſtituitur ex ſecunda intentione, vt ſic tanquam ex genere, & ex ſecunda intentione partis tanquam ex differentia; ergo ſecunda intentio in communi eſt pars conſtitutiua termini. Confirmatur. Terminus componitur

ex voce, & ex secunda intentione partis; ergo vox, & secunda intentio partis sunt simpliciora termino; ac per consequens à voce, vel à secunda intentione partis est in dialectica incipiendum. Confirmatur secũdo. Ano-ioribus nobis ad minus notiora est in cognitione procedendum; sed terminus non est nobis notior; ergo ab illo non est incipiẽdum. Prob. min. Totum est nobis notius suis partibus: sed propositio est totum ex terminis tanquam ex partibus constans; ergo propositio est nobis notior termino; ac per consequens à propositione, & nõ à termino erit incipiendum. Respondetur, neg. sequelam. Ad probationem dist. antec. Secunda intentio, vt sic est pars negatiuè, & vt *quod* constitutiua termini, conc. antec. positiuè, & vt *quo* nego antec. & consequentiam. Licèt enim secunda intentio vt sic sit pars metaphysica per modum generis termini, tamen non est pars positiuè, & vt *quo*, quia secunda intẽtio in communi non constituit substractum in ratione partis. Siquidem sic ut reperitur in termino, ita etiã in propositione inuenitur, & tamen propositionem non constituit in ratione partis. Vndè secũda intentio in communi solũ est pars negatiuè, & vt quod quatenus non est totum, & à secũda intentione partis denominatur. Sicut vniuersale denominatur à genere. At verò secunda intentio partis est pars positiuè, & vt *quo* per quam substractum constituitur in ratione partis, & cum pars sit simplicior, & imperfectior, ab ipsaque cognitio scientifica exordium sumat, hinc prouenit à secunda intentione partis, denominante substractum esse in logica, seu in dialectica incipiendum. Ad primam confirmationem dicatur, quod licèt terminus componatur ex voce, & ex secunda intentione partis, tamen non cõponitur ex voce, tanquam ex aliquo pertinente ad logicum, seu ad Dialecticum. Vox enim, significatio, & syllabæ, quæ sunt elementa compositiua termini ad Dialecticum non spectant, de voce enim agit physicus, de syllabis Grammaticus, de signis ad placitum agit Politica; & siquid logicus de signo agit, est mutuatum ab alijs scientijs, vel quatenus est fundamentum alicuius secundæ intentionis ad logicum expectantis. Vndè licèt terminus non sit simplicior inter omnia simplicitate absoluta, est tamẽ simplicior inter omnia ad logicum seu Dialecticum expectantia simplicitate logicali. Quo circa resolutio logicalis sistit in termino, vlterior vero resolutio termini in vocem, & significationem non est considerationis logicæ, sicut statuarius in sua resolutione sistit in ligno, seu in ære, ex quo facit statuam, licèt lignum, & æs resolutione naturali in materiam, & formã resoluantur. Ad secundam confir-

firmationem, conc.mai.& nego min. Ad prob.distinguo mai. Totum est nobis notius notitia confusa, conc.mai.notitia scientifica. nego mai. & concessa minori dist. conseq.dist.mai. Licèt enim propositio vtpotè totum sit notior termino notitia confusa, tamen est ignotior termino notitia scientifica, quæ incipit à partibus, & cum methodus in dialectica sit scientifica, hinc prouenit non à propositione, sed à termino esse in dialectica incipiendum. Nec refert quod terminus diffiniatur per propositionem; ergo propositio notior est termino. Quandoquidem diffinitio notior est diffinito. Non inquam hoc refert. Diffiniens enim debet esse notius notitia simplici, & confusa diffinito, non tamen notitiæ scientifica, & præcipuè quando diffiniens est extrinsecum, sicut propositio est terminus extrinsecus in ordine ad quem diffinitur terminus; tunc enim sufficit quod diffiniēs sit notius diffinito, quo *ad an est*, non verò requiritur quod sit notius, *quo ad quid est* diffinito; sicut color diffinitur per ordinem ad visum, quāuis visus non sit notior quo ad quid est ipso colore.

4 Obijcies vltimo. Ab vniuersalioribus incipit quælibet scientia; sed terminus non est vniuersalior; ergo à termino nō incipit dialectica. Min prob. Secūda intentio in communi est vniuersalior termino; ergo terminus non est vniuersalior. Pro. antec. In secunda intentione in cōmuni conueniunt terminus, & propositio; ergo secunda intentio in cōmuni est vniuersalior termino. Confirmatur hoc argumentum. Etenim à facilioribus scientia sumit exordium; sed terminus non est facilior; ergo ab illo non incipit dialectica. Min. prob. Modus sciendi est facilior termino; ergo terminus non est facilior. Probatur antecedens. Modus sciendi, cum sit instrumentum sciendi, facilitat, & parat viam ad sciendū; ergo modus sciendi est facilior termino. Respondetur disting. mai. Ab vniuersalioribus in cōponendo, vel in prædicando incipit quælibet scientia, concedo maiorem, ab vniuersalioribus solum in prædicando, nego maiorem, & dist. min. terminus non est vniuersalior in prædicando, concedo minorem, in componendo, nego min & conse. Licèt enim terminus non sit vniuersalior in prædicādo, est tamē vniuersalior in cōponēdo. Quia cōponit omnia logicalia instrumēta, scilicèt, orationē, propositionē, syllogismū, & ipsūetiā modū sciēdi. Vndè ab ipso termino est in dialectica incipiendū. Sicut physica agēs de ente mobili in cōmuni incipit à principijs, & à partibus, quibus constituitur ens mobile, scilicèt, à materia, & à forma, ita similiter dialectica agens de modo sciēdi, vel de secūdo intentionato in cōmuni incipit à partibus, scilicèt, à

terminis ex quibus cõponitur modus sciendi. Ad confirmationem dicatur, quod modus sciẽdi scientificè, & distinctè cognoscendus, signatè sumptus, & vt quod non est facilior termino. Siquidem terminus est pars illius, & à cognitione partium incipit distincta, & scientifica cognitio totius, licèt modus sciendi, vt instrumentum cognoscendi in exercitio, & vt *quo* sumptus facilior sit termino, & à modo sciendi ista secunda consideratione affecto incipit dialectica, à termino incipiẽdo, quatenus incipiendo à termino, qui est pars modi sciendi, ab ipso modo sciendi in exercicio incipit. Vndè nihil contra nos.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm diffinitiones diffinitionis, & diuisionis, & conditiones vtriusque sint rectè traditæ?

1 Diffinitio, & diuisio sic diffiniuntur à sapientissimo Magistro Soto. Diffinitio est, *oratio naturam rei, aut termini significationem exponens.* Diuisio est, *oratio rem per suas partes, aut terminum per suas significationes distribuens.* His igitur suppositis, resolutoriè dico primo. Diffinitio diffinitionis est bona. Hæc conclusio probatur hac breuissima ratione. Hæc diffinitio constat ex genere, & differentia; ergo est bona. Prob. antec. Illa particula *oratio* ponitur loco generis, in qua conuenit diffinitio cum omnibus orationibus, quæ diffinitiones non sunt, & intelligitur de oratione imperfecta, per quam tanquam per materiam diffinitur diffinitio; multoties enim concreta accidentalia per materiam positam loco generis diffiniuntur, vt sæpè sæpius repetitum est. Reliquæ autem particulæ ponuntur loco differentiæ, per quas diffinitio ab orationibus, quæ diffinitiones non sunt differt, & distinguitur, in quibus particulis inuoluitur duplex, diffinitio, vna rei, & alia nominis. Diffinitio rei in illa particula *naturam rei explicans.* Diffinitio nominis in altera particula, scilicèt, *termini significationem exponens*; ergo prædicta diffinitio constat ex genere, & differentia; ac per consequens est bona.

2 Contra illam tamen obijcies primo. Bona diffinitio conuertitur cum suo diffinito: sed hæc diffinitio non conuertitur cum suo diffinito; ergo non est bona. Minor prob. Hæc diffinitio (cum sit particularis diffinitio) est inferior ad diffinitionem in communi, quæ est diffinitum: sed inferius non potest cum superiori conuerti; ergo hæc diffinitio non conuertitur cũ suo diffinito. Confirmatur. Idem non potest esse simul diffinitum, & diffinitio, aliàs idem esset notius, & ignotius seipso: sed diffiniendo diffinitionẽ, ipsa diffinitio est diffinitum, & diffinitio, siquidẽ est id, quod diffinitur; ergo diffinitio non potest diffiniri; ac

per

per consequens diffinitio diffinitionis est mala. Respondetur diffinitionem diffinitionis conuerti cum suo diffinito, quatenus id quod significatur per diffinitionem diffinitionis, conuertitur cũ re significata per nomen diffiniti. Recolantur dicta in hac disputatione, quæst. 2. argumento 1. Ad confirmationem distinguo maiorem. Idem non potest esse simul diffinitum, & diffinitionem formaliter, conc. maior. non potest esse simul diffinitum denominatiuè, & diffinitionem formaliter, nego maiorẽ, & sub eadem distinctione minoris, nego conseq. Multoties enim vna secunda intentio est talis formaliter, & alia denominatiuè. Sicut genus formaliter est genus, & denominatiuè est quædam species prædicabilium, vt diximus in Logica capitulo de genere. Ita similiter diffinitio considerata eius essentia est formaliter diffinitio, & quatenus comparatur ad suam diffinitionem est denominatiuè diffinitum, quod non solum contingit in concretis secundo intentionalibus propter reflexionem, & diuersam conceptionem intellectus; verum etiam in physicis aliquando contingit, actio enim est formaliter ratio agendi effectum, & quasi denominatiuè est effectus sui, quatenus est aliquid productum.

3 Obijcies secundo Bona diffinitio non datur per genus remotum, sed per proximum; vt docet Arist. 7. Topicorum, cap. 7. sed oratio est genus remotum ad diffinitionem; ergo diffinitio diffinitionis, quæ datur per orationem, datur per genus remotũ, & est mala. Maior patet. Etenim cum genus remotum cũ sit multum indifferens, non ita notificat diffinitum, sicut genus proximum. Quo circa non benè diffiniretur album per substantiam, quæ est subiectum remotum, & optimè diffinitur per corpus positum loco generis, quia ratio corporis, est proximum susceptiuum albedinis; ergo bona diffinitio debet dari per genus proximum. Minor vero probatur. Modus enim sciendi est genus proximum ad diffinitionem; siquidem est proximum susceptiuum secundæ intentionis diffinitionis; ergo oratio est genus remotum ad diffinitionem. Confirmatur. Hæc diffinitio cõuenit alijs à diffinito; ergo non est bona. Prob. anteced. Conuenit diuisioni; ergo conuenit alijs à diffinito. Prob. anteced. Diuisio etiam est oratio naturam rei explicans; ergo hæc diffinitio conuenit diuisioni. Dices diuisionem explicare naturam rei per diuersas partes, ac explicat diffinitio. Vnde diffinitio diffinitionis non conuenit diuisioni. Sed contra est. Diffinitio physica hominis explicat naturam hominis per easdem partes, ac explicat diuisio physica illius; ergo solutio est

na la. Prob. antec. Diffinitio physica hominis explicat naturam hominis per corpus, & animam: sed etiam diuisio physica hominis explicat naturam illius per corpus, & animã; ergo diffinitio physica hominis explicat naturã illius per easdem partes, ac explicat diuisio. Respondetur admittendo mai. & neg min. Etenim oratio, quæ ponitur loco generis in diffinitione diffinitionis nõ est quælibet oratio, sed oratio artificioso modo ignoti manifestatiua, id est, oratio quæ vnum significat, & aliud manifestat, sicut hæc oratio *animal rationale*, quæ significat animal rationale, & manifestat hominem, per quod distinguitur ab oratione, seu à propositione enuntiatiuo modo ignoti manifestatiua, nempè ab ista *Papa dormit*, quæ idem omninò significat, & manifestat. Quo circa non est artificioso modo manifestatiua: & cum oratio artificioso modo ignoti manifestatiua conuertatur cum modo sciendi: hinc prouenit prædictam diffinitionem per genus proximum dari. Quandoquidem datur per orationem, quæ conuertitur cum modo sciendi. Ad confirmationem dicatur solutionem datam esse legitimam, & ad replicam, distinguo antec. Diffinitio physica hominis explicat naturam illius per easdem partes materialiter, per quas explicat diuisio, physica, conc. antec. formaliter nego antec. & conseq. Licèt enim diffinitio physica hominis, & physica diuisio illius per easdem partes materialiter explicent naturam hominis, non tamen explicant naturã illius per partes easdem formaliter. Eo quod diuisio physica hominis explicat naturã illius per corpus, & animam, quatenus corpus, & anima sunt partes diuisiuæ diuidentes hominem in suas physicas partes. Diffinitio vero physica hominis explicat naturam illius per corpus, & animam, quatenus anima, & corpus sunt partes constitutiuæ hominẽ physicè constituentes. Vndè licet diffinitio physica hominis, & physica illius diuisio habeant partes easdẽ materialiter, nõ tamen habẽt partes easdem formaliter.

4 Denique obijcies. Cuiuscumque rei vna est natura, & essentia, & tamen non est vna diffinitio; ergo diffinitio non est oratio explicans naturam rei. Minor constat. Eiusdem enim rei datur diffinitio physica, & methaphysica discreptiua, & essẽtialis. Cõseq. verò prob. Vnica essentia per vnicam diffinitionem explicatur; ergo si vnius essentiæ plures dantur diffinitiones, nulla illarum explicabit naturã illius. Respondetur cum D. 1 hom. 1. sentent. dist. 1. in expositione litteræ, & in 2. sent. dist. 27. q. 1. art. 2. ad 9. quod si res aliqua à primo genere vsque ad vltimam differẽtiam diffiniatur diffinitione perfectissima, tunc vnius rei vnica erit tãtum diffinitio; attamen quia p u-

res

quæ directè, & primario ad explicandam significationē nomi nis tendit. Per quod constat ad secundum quod inferebatur.

10 Dico tertio. Diffinitio diuisionis, & conditiones illius rectè traduntur à sapiētissimo Magistro Soto. Hæc cōclusio quoad primum partem explicatur, & sic mal probatur. Etenim illa particula oratio ponitur loco generis, & intelligitur eodem modo, quo fuit explicata in diffinitione diffinitionis. Reliquæ vero particulæ loco differentiæ ponuntur; ergo prædicta diffinitio constat ex genere, & differentia; & consequenter est bona, cuius sensus est, quod diuisio debet manifestare naturam rei per partes diuisiuas, distribuendo, & tollēdo confusionem diuisi per distributionem, seu quasi numerationem partium. Secunda pars conclusionis constabit ex solutione argumentorum. Et contra illam obijcies primo. Corpus benè diuiditur in sensibile, & in insensibile: & tamen insensibile, quod est secundum membrum, non est inferius diuiso; ergo prima conditio assignata à sapientissimo Magistro Soto non rectè traditur. Minor probatur. Angelus est insensibilis: & tamen non est inferior ad corpus: Siquidem est incorporeus; ergo insensibile non est inferius diuiso. Respondetur cum sapientissimo Magistro Soto, cōcedendo maiorem, & distinguendo minorem. Insensibile quatenus est membrum diuidens, non est inferius diuiso, nego minorem absolutè sumptum, conc. minorem, & nego conseq. Etenim prima conditio assignata á sapiētissimo Magistro Soto, supponit commune principium, scilicet, membra diuidentia debere participare rationem diuisi. Vnde insensibili, quod est secundum membrum diuidens, non est insensibile in tota sua latitudine, sed insensibile corpus, quod est inferius diuiso, & sub quo, quatenus est membrum diuidens Angelus nō continetur. Quo circa secundum membrum prædictæ diuisionis, quatenus est membrum diuidens, inferius est ad diuisum. Sed replicabis. Animal benè diuiditur in rationale, & irrationale: & tamen rationale, & irrationale non includunt animal; ergo membra diuidentia non debent includere, seu participare rationem diuisam. Minor probatur. Rationale, & irrationale sunt differentiæ animalis: sed differentiæ sunt extra conceptum generis, & genus extra conceptum differentiarum; ergo rationale, & irrationale non includunt animal. Respondetur solutionem datam esse legitimam, & ad replicam distinguo maiorem; animal benè diuiditur in rationale, & irrationale, quatenus accipiuntur in concreto, & supponunt pro speciebus, conc. maiorem, quatenus accipiuntur in abstracto, & supponūt pro differentijs, nego maiorem, &

& sub eadem distinctione minoris, nego conseq. Etenim genus nunquã diuiditur in differentias, sed per differentias diuiditur in suas species, vt docet D. Thom. 3. Metaph. lect. 4. Vnde rationale, & irrationale, quatenus membra diuidentia sunt, accipiuntur pro speciebus rationem animalis diuisam participantibus, & includentibus.

11 Obijcies secundo. Ens benè diuiditur in creatum, & in increatum: & tamen membra diuidentia non exhauriunt totam confusionem diuisi; ergo secunda conditio bonæ diuisionis, non rectè traditur à sapientissimo Magistro Soto. Minor prob. Aliquid cõtinetur sub ente, quod nõ continetur determinatè sub ente creato, aut increato; ergo mẽbra diuidentia nõ exhauriunt totam confusionem diuisi. Prob. antec. Sapientia continetur sub ente: & tamen non continetur determinatè sub ente creato, aut increato; ergo aliquid continetur sub ente, quod non continetur determinatè sub ente creato, aut increato. Minor probatur. Datur sapientia creata, & etiam datur sapientia increata; ergo sapientia non continetur determinatè sub ente creato, aut increato. Ad hoc argumentum aliqui non improbabiliter respondent asserendo, quod quando diuisum est analogum, & transcendens, benè potest aliquid contineri sub diuiso, & non contineri sub aliquo ex membris diuidentibus. Omissa tamen hac solutione, & in sua probabilitate relicta ad argumẽtum, concedo maiꝰ. & distinguo min. aliquid continetur sub ente materialiter, quod non continetur determinatè sub ente creato, aut increato, concedo min. aliquid cõtinetur sub ente formaliter, & quatenus diuisum est, quod non continetur determinatè sub ente creato, aut increato, nego min. & conseq. Etenim sapientia solum identicè, & materialiter sub ente continetur, quia sapientia est in diuersa linea à linea entis. Quandoquidem linea entis desumitur per ordinem ad existentiam, & linea sapientiæ à cognitione, per altissimas causas desumitur, & cum ens, quatenus est in linea entis diuidatur in creatum, & in increatum; hinc prouenit, sapientiam non contineri formaliter sub ente, quatenus est diuisum diuisionis, qua diuiditur in creatũ, & in increatum: & cum solum illud, quod continetur sub diuiso formaliter, debeat determinatè contineri sub aliquo ex membris diuidẽtibus: hinc fit, quod quamuis sapientia contineatur sub ente identicè, & materialiter, & non contineatur determinatè sub ente creato, aut increato, subsistat secunda conditio assignata à sapientissimo Magistro Soto. contra quam nihil facit propositum argumentum. Vnde ens formaliter sumptum, non diuiditur in sapientiam creatam, & in increatã, sed

sed sapientia formaliter diuiditur in creatam, & in increatã, in qua diuisione nihil continetur sub diuiso, quod determinatè non contineatur sub aliquo ex membris diuidentibus.

12 Denique obijcies. Actio benè diuiditur in bonam, & malã: & tamen membra diuidentia non sunt opposita; ergo tertia conditio bonæ diuisionis non rectè traditur à sapientissimo Magistro. Minor probatur. Eadẽ actio potest esse bona, & mala; ergo mẽbra diuidentia prædictæ diuisionis nõ sunt inter se opposita. Probatur anter. Cœnare in die ieiunij est actio bona appetitui, & mala rationi; ergo eadẽ actio potest esse bona, & mala. Resp. conced. mai. & disting. min. nõ sunt opposita realiter entitatiuè, conced. min. suis rationibus formalibus, nego min. & cõseq. Actio enim prædicta est bona bonitate delectabili, & mala malitia inhonesta; & cũ ratio boni delectabilis sit distincta à ratione formali malitiæ oppositæ bonitati honestæ; hinc prouenit mẽbra diuidentia prædictæ diuisionis esse opposita suis rationibus formalibus; ac per cõsequens in prædicta diuisione saluatur tertia cõditio assignata à sapientissimo Magistro, prout ab ipso in textu traditur.

13 Dico vltimo. Loci arguẽdi in diuisione assignati à sapientissimo Magistro Soto, sunt rectè traditi. Hæc conclusio constabit ex solutione argumentorum, & contra illam obijcies primo. Hæc est mala consequentia, sapientia est ens; ergo vel creatum, vel increatum; ergo primus locus arguendi non rectè traditur. Prob. antec. In prædicta consequentia antecedens est verum, & consequens falsum; ergo prædicta consequentia est mala. Probatur antecedens, quoad secundam partẽ. Consequens prædictæ consequẽtiæ est, vna disiuntiua, cuius quælibet pars est falsa; ergo consequẽs prædictæ conseq. est falsum. Confirm. Hæc conseq. est mala, homo, & equus sunt animalia; ergo rationalia, vel irrationalia: & tamẽ arguitur per primum locũ; ergo primus locus non est rectè traditus. Probatur maior. Homo non est irrationalis, nec equus rationalis; ergo consequens prædictæ consequentiæ est falsum; ac per consequens consequentia est mala. Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam. Etenim primus locus arguendi in diuisione, intelligitur in sensu formali, ideſt, à diuiso formaliter, vt diuiso ad diuisionẽ, est bona conseq. & cũ ens quatenus ens, & secundum quod diuiditur in creatum, & increatũ non cõtineat, nec prædicetur formaliter de sapientia: hinc prouenit, quod in prædicta conseq non verificatur primus locus arguẽdi, & ideò est mala. Quia nõ arguitur à diuiso formaliter, vt diuiso, nec ab aliquo quod sit formaliter subdiuiso. Ad confirmationem dicetur, quod

quod primus locus arguendi debet intelligi de diuiso determinatè sumpto, idest, à diuiso determinatè sumpto, & non confuse accepto ad membra diuidentia est bona consequentia: cum autem in prædicta consequentia diuisum confundatur à ly & in antecedēti, & in consequenti membra diuidentia determinatè supponant: hinc prouenit prædictam consequentiam esse malam: Quia in illa arguitur saltim virtualiter à confusa ad determinatam. Qua ratione similiter non valet hæc consequentia, *Petrus, & Brunelus est animal*; ergo rationale, vel irrationale.

Obijcies secundo. Hæc est mala consequentia, est animal vt sic, & non est rationale; ergo est irrationale: & tamen arguitur per secundum locum; ergo nostra conclusio est falsa. Confirmatur. Hæc est mala consequentia. Hoc est animal rationale, vel non irrationale: Sed non est rationale; ergo est non irrationale: & tamen arguitur à toto diuiso cum negatione vnius membri ad positionem alterius; ergo secundus locus arguendi non rectè traditur. Respondetur, quod animal, vt sic non diuiditur in rationale, & in irrationale. Siquidem animal, vt sic reduplicat statum abstractionis: sed animal, quod diuiditur in rationale, & in irrationale est animal secundum sua prædicata essentialia præscindens ab abstractione. Quo circa in prædicta consequentia non saluatur secundus locus arguendi. Quia non arguitur à diuiso, vt diuiso. Et ideo non mirum consequentiam non valere. Ad confirmationem dicatur rationale, & non irrationale idem esse. Quo circa in prædicta consequentia, non saluatur secundus locus arguendi. Circa omnes istos locos arguendi vnum aduertendum erit, nimirum, quod omnes illi intelliguntur naturaliter, nam supernaturaliter multoties falsificabuntur. Si enim verbum diuinum, retenta natura humana, assumeret etiam leoninam; hæc esset mala consequentia, hoc èst animal signato Christo, & est rationale; ergo non est irrationale.

Ex dictis in discursu quæstionis aliqua corollaria secuntur. Primum est diuisionem ex parte formæ, & artificij manifestandi, semper ad Logicam pertinere; licet ex parte materiæ multæ sint diuisiones physicæ, aut methaphysicæ, quæ ad physicam, vel methaphysicam spectant. Secundum est diuisionem benè posse tradi per terminos negatiuos, seu contradictorios, vt si dicas *animal, aliud homo, aliud non homo*. Nec refert si dicas membrum negatiuum non participare rationem diuisam. Non inquam hoc refert. Nam membrum negatiuum non sumitur absolutè, & in tota sua latitudine, sed vt determinatè cadens sub diuiso. Vnde quando dicimus, animal, aliud ho-

homò, aliud non homo, ly *non homo* non accipitur in tota sua latitudine, sed supponit pro animali, quod non est homo. Sicut quãdo dico animal aliud rationale, aliud irrationale, ly *Irrationale*, non accipitur in tota sua latitudine, quatenus etiam quineram, & entia rationis comprehendit, sed quatenus supponit pro animali Bruto. Tertium quod infertur est, quod quando diuisum diuiditur in partes integrales, & quantitatiuas, sicut quando homo diuiditur in brachia, pedes, & caput totum quod diuiditur non participatur per prædicationem à mẽbris diuidentibus: licet participetur ab illis per dependentiam, qua à toto dependent. Quartum corollarium est diuisionem analogam artificiosam esse, pertinereque ad modum sciendi, quia in illa membra diuidentia in diuiso conueniunt, conuenientia saltim analoga, & proportionali, & alias licet non importent proprias differentias, important tamen proprios modos, per quos analogum diuiditur, & explicatur. Vltimum corollarium erit, quod quando diuisum habet plures formalitates, benè potest diuidi pluribus diuisionibus essentialibus, sicut lex humana pluribus diuisionibus diuiditur, vt videre est in D. Tho. 1. 2. q. 95. art. 4. & nos latius tetigimus in diuisione notitiæ in intuitiuam, & abstractiuam. Nec te miret si quæstionem istam tam prolixe tetigimus, in illa enim plus quàm duodecim quæstiones prout potuimus explicauimus.

QVÆSTIO V.

Vtrùm diffinitio argumentationis sit bona?

1 ARgumentatio sic diffinitur à sap ẽtissimo Magistro Soto, est igitur argumentatio, *oratio, in qua vno dato aliud consequitur*, & resolutoriè dicendum est hanc diffinitionem esse bonam. Hæc conclusio explicatur, & simul probatur. Etenim illa particula *oratio* ponitur loco generis, in oratione enim conuenit argumentatio cum omnibus alijs orationibus, quæ argumentationes non sunt, & intelligitur de oratione, quæ est modus sciendi, vt sit genus proximum, & non remotum, reliquæ autem particulæ loco differentiæ ponuntur, per illas enim differt argumentatio ab omnibus alijs orationibus, quæ argumentationes non sunt; ergo prædicta diffinitio, vtpotè cõstans ex genere, & differentia est bona; & contra illam.

2 Obijcies primo. Hæc diffinitio conuenit alijs à diffinito; ergo non est bona. Probatur antec. Hæc diffinitio conuenit huic syllogismo, *omnis homo currit, Petrus est homo; ergo Petrus currit.* & tamen hic syllogismus maiori existente, falsa non est argumentatio; ergo hæc diffinitio conuenit alijs à diffinito. Minor probatur.

tur. Prædictus enim syllogismus, maiori existente falsa, nō est modus sciendi; ergo non est argumētatio. Prob anteced. Modus sciēdi est oratio alicuius ignoti manifestatiua; sed prædictus syllogismus non est oratio alicuius ignoti manifestatiua; ergo prædictus syllogismus non est modus sciēdi. Minor prob. Præmissa falsa non potest esse notior consequenti, seu cōclusione; ergo prædictus syllogismus non est oratio alicuius ignoti manifestatiua. Cō firmatur. Hæc diffinitio conuenit huic consequentiæ, *homo est lapis, ergo est substantia*: & tamen hæc consequentia non est argumentatio; ergo prædicta diffinitio cōuenit aliis a diffinito. Maior patet. Etenim prædicta consequentia est oratio, in qua vno dato, aliud consequitur; ergo prædictæ consequentiæ conuenit diffinitio argumetationis. Minor vero probat. Prædicta consequentia non est modus sciendi. Quandoquidē eius anteced. vtpotè falsum, non potest consequens manifestare; ergo prædicta consequentia non est argumentatio. Respond. negādo anteced. Ad probationem nego maiorem. Prædicto enim syllogismo non conuenit argumentationis diffinitio. Nam maiori existente falsa, non est oratio alicuius ignoti manifestatiua. & cum oratio posita in diffinitione argumentationis sit oratio ignoti manifestatiua: hinc prouenit prædicto syllogismo, non conuenire diffinitionem argumētationis. Aliud enim est esse bonam consequentiam, & esse bonā argumentationem. Ad primum enim sufficit, quod antecedens non possit esse verum, & consequens falsum. Ad bonam vero argumentationem insuper requiritur, quod antecedens sit verum, & notius consequenti; cuius ratio est. Nam cum argumentatio sit oratio ignoti manifestatiua, debet procedere de notis ad ignota manifestandum, scilicet, ab antecedenti ad consequens. Vt docet D. Thomas opusc. 48. & cum antecedens falsum, non possit esse notius cōsequenti vero: hinc prouenit, quod ad bonam argumentationem requiratur, quod antecedens sit verum, & notius consequenti. Nec refert si dicas prædictum syllogismū existente maiori vera, non differre essentialiter à se ipso, maiori existente falsa; ergo si diffinitio argumentationis conuenit illi maiori existētē vera, etiam conueniet illi maiori existente falsa. Non inquam hoc refert. Prædictus enim syllogismus maiori existente vera, licet non differat essentialiter, quoad formam, & dispositionem prioristicam à se ipso, maiori existente falsa, differt tamen essentialiter à seipso posterioristicè, & quoad materiam, ex qua componitur. Sicut demonstratio, & syllogismus topycus posterioristicè essentialiter differūt: & cum secunda intentio argumen-

mentationis vtrumque attendat, scilicet, formam prioristicam, & materiam posterioristicam, hinc prouenit prædicto syllogismo maiori existente falsa non conuenire diffinitionem bonæ argumentationis includentis rationē modi sciendi, quamuis illi conueniat diffinitio argumentationis abstrahentis à bona, & mala argumentatione, ideſt, ab argumentatione, quæ est modus sciēdi, & ab argumentatione, quæ nō est modos sciendi. Vel secundo ad argumentum principale dicatur prædicto syllogismo diffinitionem argumentationis conuenire, ipsumque esse modū sciendi. Nam maiori existente falsa ex vi formæ, & suppositā concessione maioris semper manifestat cōnexionem consequentis, seu conclusionis cum antecedenti, seu præmissis. Ad confirmationem dicatur diffinitionem argumentationis consequentiæ appositæ in confirmatione non conuenire. Quia licet sit bona consequentia, non tamen est bona argumentatio. Eo quod antecedens, vtpotè falsum non est notius consequenti iuxta dicta in prima præcedenti solutione. Vel secundo dicatur prædictæ consequentiæ diffinitionem argumentationis conuenire, ipsamque esse modum sciendi. Quia antecedens non infert consequens, quatenus antecedens est falsum, sed quatenus est verum, ideſt, quatenus habet aliquid de veritate: & licet antecedens quatenus falsum non sit notius consequenti; tamen quatenus habet aliquid de veritate notius est consequenti. Quo circa prædicta consequentia potest esse modus sciendi, sed de hoc redibit sermo.

6 Obijcies secundo. Hæc diffinitio conuenit huic consequentiæ, *omnis homo est albus*; ergo *hic homo est albus*, & *hic homo est albus*: & tamen hæc consequentia non est argumentatio; ergo diffinitio argumentationis conuenit alijs à diffinito, & consequenter est mala. Minor probatur. Prædicta consequentia non est modus sciendi; ergo nec argumentatio. Probatur antecedens. Prædicta consequentia non est oratio ignoti manifestatiua; ergo non est modus sciendi. Antecedens probatur. Antecedens prædictæ consequentiæ non est notius consequenti; ergo prædicta consequentia non est oratio ignoti manifestatiua. Antecedens probatur. In antecedenti prædictæ consequentiæ importantur implicitè singularia, & in consequenti explicitè; ergo antecedens prædictæ consequentiæ non est notius consequenti. Confirmatur primo. Hæc propositio. *Petrus est homo*, & *Petrus est animal*, non est argumentatio. Siquidem non habet notam illationis: & tamen illi conuenit diffinitio argumentationis; ergo diffinitio argumentationis est mala. Minor probatur. Dato,

quod Petrus sit homo, necessariò consequitur, quod sit animal; ergo diffinitio argumẽtationis cõuenit prædictæ propositioni. Cõfirm. sec. Argumentatio à conuertente ad conuertibilem est bona argumentatio: & tamen illi non conuenit diffinitio argumẽtationis; ergo ditfinitio argumẽtationis est mala. Min prob. Cõuertens, & cõuertibilis idem significant; ergo in argumentatione à conuertente ad conuertibilem non datur vnum, & alterum consequitur; ac per consequens illi non conuenit argumentationis diffinitio. Resp. conc. mai. & neg. min. Ad prob. nego antec. Etenim antecedens prædictæ consequentiæ vniuersalius est consequenti. & cum vniuersaliora sint nobis notiora, teste Aristot. 1. Physicorum c. 1. hinc prouenit antecedens prædictæ consequentiæ notius esse consequenti; ac per consequens prædicta consequentia est modus sciendi. Ad prim. confirm nego mai. Etenim licet in prædicta propositione ex parte materiæ vno dato alterum consequatur, tamen ex vi formæ vnum ex altero non consequitur, nisi alia forma apponatur. Et ideò prædicta propositio non est argumentatio. Ad secundam confirmationem dicatur argumentationem à conuertente ad conuertibilem magis esse explicationem, quam propriè argumentationem. Eo quod in illa vnum non consequitur ex alio per medium ab vtroque distinctum. Vel secundo dicatur in prædicta argumentatione alterum consequi ex altero. Quia licet vtraque propositio idem significet, non tamẽ eodem modo. Vnde res significata, quatenus significata per propositionem conuertibil. maltera est à re significata, quatenus significata per conuertentem. Quapropter in tali argumentatione vna propositione data altera consequitur. Exemplum est in recto, & obliquo, qui idem diuerso modo significant: & tamen rectus alter est ab obliquo.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm consequentia mala, materialis, & topyca sint simpliciter consequentiæ?

1 REsolutoriè dico primo malam consequentiã non esse simpliciter consequentiam. Hæc conclusio est expressa Aristotelis 1. priorum cap. 5. & primo Topicorum cap. 1. Et probatur illius ratione. Mala consequentia non habet formam consequentiæ; ergo non est simpliciter consequentia, sed solum apparenter. Consequentia patet. Ideò enim homo pictus non est simpliciter homo, sed solum apparẽter, quia homo pictus non habet formam constitutiuam hominis. Et antecedens probatur. Forma consequentiæ est illatio consequentis ex antecedenti: Sed mala consequentia, non habet illationem

nem consequentis ex antecedēti; ergo mala consequentia, non habet formam constitutiuā consequentiæ. Minor probat. Illatio consequentis ex antecedenti fundatur in connexione consequentis cum antecedenti: Sed in mala consequentia non datur connexio consequentis cum antecedēti; ergo nec illatio consequentis ex antecedenti.

2 Dico 2. Consequentia materialis est simpliciter consequentia. Hæc conclusio probatur. Cōsequentia materialis habet formam consequentiæ; ergo est simpliciter consequentia. Probatur antecedens. Consequentia materialis habet illationem consequētis ex antecedenti. Siquidem habet connexionem consequentis cum antecedenti; ergo habet formam consequentiæ. Dico vltimo. Consequētia topyca est simpliciter consequentia. Hæc conclusio probatur. Consequētia topyca habet illationem consequētis ex antecedenti fundatam in connexione cōsequentis cum antecedenti; ergo consequentia topyca est simpliciter consequentia.

3 Contra primam conclusionem obijcies. Propositio falsa est simpliciter propositio; ergo pariter consequentia mala est simpliciter consequentia. Probatur cōsequentia. Ita se habet bonum, vel malum ad consequentiam, sicut verum, vel falsum ad propositionem; ergo si propositio falsa est simpliciter propositio; etiam cōsequentia mala erit simpliciter cōsequētia. Confirm. 1. Consequētia vt sic dicitur in loca, & malam: Sed membra diuidentia debent participare rationem diuisam; ergo consequentia mala habet essentiam consequentiæ: ac per consequens est simpliciter consequentia. Confirm. 2. In mala consequentia aliquando posito antecedenti, ponitur etiam consequens; ergo mala consequentia aliquando est simpliciter consequentia. Resp. conc. antec. & negando conseq. Ad prob. nego antec. Disparitas enim consistit in hoc, quod veritas, vel falsitas supponit essentiam propositionis, scilicet, rationem totius enūciatiui, quæ non deperditur per hoc quod enuncietur falsum, sed multoties significatione propositionis immutata potest mutari veritas in falsitatem; sicut eandem significationem habet enunciatiua, hæc propositio, *Petrus currit*, Petro currente, & Petro non currente, & tamen prolata Petro currente est vera & Petro non currente prolata est falsa. At verò bonitas, vel malitia consequentiæ non supponit essentiam consequentiæ: sed bonitas consequentiæ est ipsa forma, & essentia consequentiæ, quia est ipsa connexio, & illatio consequentis ex antecedenti. Vnde non est eadem ratio. Ad primam confirm. concessa mai. & min. nego conseq. Etenim in diuisione analoga metaphorica, qualis est diuisio con-

sequentiæ in bonam, & malam, non requiritur, quod membra diuidentia simpliciter participent rationem diuisam, sed sufficit, quod vnum membrum simpliciter participet, & aliud apparenter, & metaphoricè; vt contingit in diuisione, qua homo diuiditur in vnium, & pictum, in qua secundum membrum solum apparenter, & metaphoricè participat rationem diuisam. Vnde confirmatio solum probat malam consequentiam apparenter, & metaphoricè essentiam consequentiæ habere, non tamen conuincit malam consequentiam essentiam consequentiæ simpliciter participare. Ad secundam confirmationem dicatur, quod licet aliquando in mala consequentia posito antecedenti, consequens etiam ponatur, semper tamen est mala consequentia, quia consequentia nō dicit, quod res ita est, sed quod res ita sequitur; & in mala consequentia, licet aliquando res ita sit, sicut per ipsam significatur, nunquam tamen ita sequitur. Quapropter semper est mala, & non habet essentiam consequentiæ. Nec refert sapientissimum Magistrum Soto in hoc capitulo, notabili quinto, asserere consequentiam malam debere dici, & vocari consequentiam. Non inquam hoc refert. Nam ex sapientissimo Magistro solum sequitur consequentiam malam titulum, sine re habere consequentiæ. Vnde cum illo libenter fatemur consequentiam malam titulum, & nomen habere consequentiæ, nō tamen rem, & essentiam, & adhuc titulum, & nomen consequentiæ, non habet consequentia mala absolutè, sed cum quadam limitatione, quia quando negamus consequentiam implicitè illam vocamus malam consequentiam. Vnde consequentia mala non dicitur absolutè consequentia, sed mala consequentia.

4 Contra secundam conclusionem obijcies. Consequentia materialis non est consequentia formalis; ergo non habet formam consequentiæ; ac per consequens non est simpliciter consequentia. Patet consequentia. Si enim consequentia materialis, non habet formam consequentiæ, quomodo potest habere essentiam consequentiæ. Confirmatur primo. Consequentia materialis solum est bona ratione materiæ, non verò ratione formæ; ergo absolutè debet denominari mala, & non bona; accon. consequens non est simpliciter consequentia. Probatur consequentia. Quod enim conuenit alicui ratione formæ potiori iure conuenit illi, & prædicatur de illo, quam quod conuenit ratione materiæ; ergo si consequentiæ materiali ratione formæ conuenit esse malā, & ratione materiæ esse bonam, absolutè debet dici

mala

mala, & non bona. Confirm. 2. consequentia materialis, vt sit bona nititur in hoc principio, scilicèt, *quod essentialiter conuenit vni, conuenit etiam omnibus* eiusdem speciei, sed innixa in hoc principio; est consequentia formalis, quæ non potest instari; ergo consequentia materialis mandando intra limites cõsequẽtiæ materialis semper est mala. Respond. conc. antec. & neg cõseq. Etenim aliud est consequentiam esse formalem, & aliud habere formam consequentiæ. Consequentiam enim esse formalem, est quod non possit instari, nec in se, nec in alia similis formæ, forma autem consequentiæ est relatio, qua consequens respicit antecedens, vt in illo contentum, & cum quo connectitur, quod potest ex duplici capite prouenire, vel ex dispositione terminorũ prioristica, & tunc dicitur consequentia formalis, vel ratione materiæ, quatenus in materia necessaria inuenitur consequentia, & tunc consequentia dicitur materialis, non quia careat forma consequẽtiæ, scilicèt, cõnexione consequentis cum antecedenti, sed quia talis forma fundatur, non in dispositione terminorum, sed in materia necessaria. Vndè licèt consequentia materialis non sit consequentia formalis, poterit habere, & de facto habet formam consequentiæ. Ad primam confirmationem concesso antecedenti, nego consequentiam. Ad probationem distinguo antecedens, quod conuenit alicui ratione formæ constitutiuæ potiori iure conuenit, concedo antecedens, quod conuenit alicui ratione dispositionis terminorum, nego antecedens, & consequentiam. Etenim consequentiæ materiali ratione formæ constitutiuæ consequentiæ, id est, ratione cõnexionis consequentis cum antecedenti conuenit esse bonã consequentiam, licèt ratione dispositionis terminorum illi conueniat esse malam; & cum id quod conuenit alicui ratione formæ constitutiuę, potiori iure cõueniat, & prædicetur; hinc prouenit consequentiam materialem absolutè dici bonam consequentiam. Insuper potest assignari alia ratio, quæ consistit in hoc. Nam consequentiam esse malam est, quasi prædicatum negatiuum petens ad sui verificationem, quod consequentia ex nullo capite sit bona, & quod cõsequens ex nullo capite in antecedenti contineatur, & cum cõsequentia materialis ex aliquo capite sit bona, & consequens in antecedẽti cõtineatur: hinc prouenit, quod consequentia materialis nõ possit dici absolutè mala; at verò cõsequẽtiã esse bonã est prędicatũ positiuũ, ad cuius verificationẽ cõueniẽtia ex quouis capite est sufficiens: & cũ consequẽtia materialis ex aliquo capite sit bona, absolutè dicitur bona.

Exemplum est in hijs prædicatis, in mortale, & mortale, primum enim non potest absolutè dici de homine, quamuis ex aliquo capite, scilicet, ex parte formæ conueniat, secundum autem absolutè dicitur de homine, quamuis illi non conueniat ex omni capite, sed solum ex aliqua, scilicet, ex parte corporis. Ad vltimam confirmationem dicatur consequentiam materialē inniti in illo prædicto principio, tanquam in regulante, non verò tanquam in præmissa adiuuante, & inferente. Vnde consequentia materialis remanet intra limites consequentiæ. Contra vltimam conclusionem poterat obijci, quod in consequentia topyca potest dari antecedens rerū, & consequens falsum, ac per cōsequens consequētia topyca est mala, sed de hoc, & de regulis bonæ consequentiæ multa (Deo dāte) dicemus in disputatione de conditionalibus, inquirendo, an omnis conditionalis sit necessaria, aut impossibilis. Et hæc dicta sufficiant de tota ista disputatione, applicando litteræ sapientissimi Magistri Soto libro 2. Summularum à capitulo tertio vsque ad quartum per omnes eorum lectiones, & notabilia.

Disputatio Decimaquarta, De Propositione.

QVÆSTIO I.

Vtrùm diffinitio propositionis sit bona?

1 HOc nomen *propositio* sumitur ab Aristotele primo priorum pro præmissa conclusionem inferente, vsus tamen communis loquendi pro propositione enunciatiua prædictum nomen vsurpat. Est igitur propositio enunciatiua, *oratio verum, vel falsum significans indicando.* Et resolutoriè dicendum est prædictā diffinitionem esse bonam. Hæc conclusio explicatur, & simul probatur. Illa enim particula *oratio* ponitur loco generis, in ratione enim orationis conuenit propositio cum omnibus alijs orationibus, quæ propositiones non sunt. Reliquæ autem particulæ loco differentiæ ponuntur, per quas distinguitur propositio ab omnibus alijs orationibus, quæ propositiones non sunt, excepta particula indicando, quæ non ponitur vt differentia, vt aliqui existimauerunt parum de mente sapientissimi Magistri curantes, sed apponitur vt exemplum, & claritatis gratia, ita vt sensus diffinitionis sit iste, propositio *est oratio significans verum, vel falsum sicut oratio*

mo-

modi indicatiui; ergo prædicta diffinitio est bona. S. quidem constat ex proprio genere, & propria differentia. Secundo prob. concluſ. Quodlibet instrumentum benè diffinitur in ordine ad finem ad quem ordinatur, teste D. Thom. 1. per herm. lect. 7. sed propositio est instrumentum intellectus ordinatum ad manifestandam veritatem, vel falsitatem; ergo propositio benè diffinitur per significare verum, vel falsum. Totus discursus est legitimus.

2 Contra istam conclusionem obijcies primo. Hæc oratio, *homo est animal* est propositio: & tamē non significat verum, vel falsum; ergo diffinitio propositionis est mala. Minor probatur. Prædicta oratio in hac propositione, *homo est animal est propositio*, non significat verum, vel falsum; ergo præcta oratio non significat verum, vel falsum. Probatur antecedens. Prædicta oratio in tali propositione est extremum propositionis cathegoricæ: Sed extremum propositionis cathegoricæ non significat verum, vel falsum; ergo prædicta oratio in tali propositione non significat verum, vel falsum. Confirm. 1. Propositio se falsificans, vt ista, *ego mentior*, & etiam ista *omnis propositio est particularis* significat verum, vel falsum; ergo propositio non est oratio verum, vel falsum significans. Probat. anteced. Propositio se falsificans ex eo quod sit vera, sequitur, quod sit falsa; ergo non potest esse vera, quin sit falsa; ac per consequens significat verum, & falsum. Prob. anteced. Si enim verum est omnem propositionem esse particularem, hæc propositio *omnis propositio est particularis*, est falsa, quia ipsa est vniuersalis; ergo propositio se falsificans ex eo quod sit vera, sequitur, quod sit falsa; ac proinde verum, & falsum significat. Secundo. Propositio conditionalis est propositio: & tamen nō significat verum, vel falsum; ergo diffinitio propositionis non conuenit omni propositioni, & consequenter est mala. Minor prob. Conditionalis nihil ponit in esse, nec dicitur vera, vel falsa, sed bona, vel mala; ergo conditionalis non significat verum, vel falsum. Tertio. Hæc oratio *verum, vel falsum* significat verum, vel falsum: & tamen non est propositio; ergo diffinitio propositionis est mala. Respond. conc. mai. & neg. min. Ad probationem conc. antec. & distin. conseq. ergo prædicta oratio non significat verum, vel falsum seorsim sumpta, nego conseq. prout est in hac propositione, *homo est animal est propositio*, subdistinguo consequens reduplicatiuè, prout est ibi, concedo conseq. specificatiuè, nego conseq. Itaque hæc oratio *homo est animal* reduplicatiuè, prout componit istam propositionem, *homo est animal est propositio* solum materialiter, est propositio, & non formaliter,

quia non componit per ſecundam intentionem propoſitionis, ſed per ſecundam intentionem termini, vt dictum eſt diſp. 9. quæſt. 5. argum. 1. & ideò non mirum, quòd reduplicatiuè, provt componit prædictam propoſitionem non ſignificet verum, vel falſum, ſiquidem provt componit non eſt propoſitio, ſed terminus incompletè, & ſecundum quid iuxta dicta diſp. 9. quæſt. 1. argum. 2. At verò prædicta oratio, ſi ſpecificatiuè ſumatur, in tali propoſitione eſt formaliter propoſitio ſignificans verum, vel falſum, non quidem actu, ſed aptitudine; quod eſt idem ac dicere, quod id quod componit, eſt propoſitio, licet reduplicatiuè, vt componit non eſt propoſitio, & ſicut ſpecificatiuè eſt propoſitio, ita ſpecificatiuè ſignificat verũ, vel falſum in potentia, quatenus ſi ſeorſim ponatur, ſtatim nullo aliquo ſuperaddito verum, vel falſum ſignificabit. Sed contra iſtam ſolutionem replicabis. Prædicta oratio in hac propoſitione, *homo eſt animal eſt verum*, reduplicatiuè provt componit, ſignificat verum; ergo pariter etiam reduplicatiuè, provt componit hanc propoſitionem *homo eſt animal eſt propoſitio* ſignificabit verum, aut falſum. Prob. antec. Prædicatum verè affirmatur de ſubiecto; ſed prædicatum eſt *verum*; ergo ſubiectum, quod eſt prædicta oratio reduplicatiuè, vt componit, ſignificat verum. Reſpondetur ſolutionem datam eſſe legitimam. Et ad replicam dicatur, quod prædicatum prædictæ propoſitionis poteſt ſumi dupliciter, vel obiectiuè, vel formaliter. Si ſumatur obiectiuè, pro obiecto ſignificato, tunc ſubiectum ſtat formaliter ſignificans veritatem, cæterum propoſitio tunc caſus eſt incongrua, & fit congrua hoc modo, hominem eſſe animal eſt verum, in qua propoſitione ſubiectum non eſt propoſitio, ſed dictum propoſitionale, ſi vero prædicetur veritas formalis prædicati de veritate formali ſubiecti, tunc ſubiectum ſumitur materialiter, & tota propoſitio facit hunc ſenſum, in hijs vocibus homo eſt animal eſt veritas, tanquam in vocibus ſignificatiuis. Vnde prædicta propoſitio reduplicatiuè, provt componit alteram propoſitionem, ſemper ſtat materialiter. Ad primam confirmationem dicatur propoſitionem ſe falſificantem, ſi ſe ipſam habeat pro obiecto ſignificato per ipſam ſemper eſſe falſam, ſi tamen ſe ipſam non habeat pro obiecto, ſolum determinatè eſt vera, vel falſa, ſicut hæc propoſitio *omnis propoſitio eſt particularis*, caſu quo omnes propoſitiones particulares ſint, ſi ſe ipſam non habeat pro obiecto, eſt determinatè vera, & ſi ſe ipſam habeat pro obiecto determinatè eſt falſa. Vnde propoſitiones ſe falſificantes determinatè ſunt ve-

ræ, vel falsæ. Ad secundam concessa maior. nego. min. Etenim particula *si* dupliciter potest considerari in propositione conditionali, vel quatenus est nota illationis, qua vnum infertur ex alio, & hoc modo accepta non constituit propositionem, sed consequentiam, quæ nihil ponit in esse, & non est vera, vel falsa, sed mala, vel bona. Alio modo potest considerari prædicta particula, scilicet, quatenus est nota enunciationis, media qua aliquid enũciatur de aliquo, nimirum coniunctio obiecti vnius cathegoricæ cum obiecto alterius cathegoricæ, & hoc modo sumpta particula *si* constituit propositionem hypoteticam, quæ ponit in esse coniunctionem obiecti vnius cathegoricæ cum obiecto alterius, & quæ dicitur vera, vel falsa, & non mala, vel bona. Vnde propositio conditionalis quatenus propositio est, verum, vel falsum significat. Ad tert. distinguo mai. significat verum, vel falsum signatè, concedo maiorem, exercitè nego mai. & concessa minori, nego cõsequent. Prædicta enim oratio, licet signatè significet verum, vel falsum, exercitè tamen non significat verum, vel falsum. Quia non significat enunciatiuo modo aliquem iuditium, vel assensum asserendo, & exprimendo. Quapropter non est propositio, de cuius ratione est verum, vel falsum exercitè significare. Nec refert si dicas hanc orationem *hæc propositio est vera* esse propositionem; & tamen non significat verum exercitè, sed signate; ergo solutio est nulla. Non inquam hoc refert. Nam prædicta oratio exercitè significat veritatem reflexam, quia iudicium, seu assensum verum asserit, & exprimit.

3 Obijcies secundo. Propositio, quæ in præsenti diffinitur est propositio in communi: Sed propositio in communi, non potest exercitè significare verum, vel falsum; ergo diffinitio propositionis est mala. Minor probatur. Exercitia enim non conueniunt rationibus communibus, quæ nec fient, nec nent, sed singularibus; ergo propositio in communi, non potest in exercitio verum, vel falsum significare. Confirmatur primo. Nulla diffinitio potest dari per opposita: Sed diffinitio propositionis datur per opposita; ergo diffinitio propositionis est mala. Dices cum communi solutione prædictam diffinitionem dari per opposita disiunctiuè, non autem per opposita copulatiuè, & licet diffinitio non possit dari per opposita copulatiuè, benè potest dari per opposita disiunctiuè. Sed incontrarium est primò. Nam essentia cuiuslibet rei est determinata; ergo nulla diffinitio bona explicans essentiã rei potest dari per disiunctionẽ, & indifferentiã. Secundo. Hæc est mala diffinitio ho-

hominis, *homo est animal rationale, vel irrationale*: & tamen datur per opposita disiuntiuè; ergo nulla bona diffinitio potest dari per opposita disiuntiuè. Secundo cõfir. prin. arg. Illa particula *indicãdo* est superflua in diffinitione propositionis; ergo diffinitio propositionis est mala. Probat. antec. Per illam particulam, nec excluduntur propositiones categoricæ aliorum modorum à modo indicatiuo, quia tales propositiones cum non significent verum, vel falsum antecedenter ad particulam *indicando*, per particulam *verum, vel falsum* supponunitur exclusæ. Nec per particulam *indicando* excluduntur propositiones hypotheticę aliorum modorum à modo indicatiuo; quia tales propositiones non excluduntur à ratione propositionis; ergo particula *indicando* superfle ponitur in diffinitione propositionis. Tertio confir. Terminus diffinitur per ordinem ad propositionem; ergo etiam propositio debebat diffiniri per ordinem ad terminum; ac per consequens diffinitio propositionis, in qua nullus ordo ad propositionem explicatur est mala. Probat. conseq. Terminus, & propositio sunt correlatiua: sed relatiua vnum per aliud diffiniuntur; ergo si diffinitur terminus per propositionem, propositio per terminum debebat diffiniri. Denique veritas, seu falsitas in rebus, scilicèt, in obiectis, & in intellectu inuenitur; ergo significare verum, vel falsum alijs à propositione conuenit; ac per consequens diffinitio propositionis est mala. Respon. conc. mai. & distin. min. propositio in communi non potest exercite formaliter significare verum, vel falsum, conc. min. non potest exercite exactiuè significare verum, vel falsum, nego min. & conteq. Licèt enim propositio in communi, non habeat formaliter exercitium significandi verum, vel falsum, quia exercitia formaliter solum in singularibus inueniuntur, tamen propositio in communi exigit, quod in quocumque singulari ponatur ibi in exercitio formaliter significet verum, vel falsum, & hæc exigentia est, quæ per diffinitionẽ explicatur. Verba enim diffinitionis, non dicunt actum, sed aptitudinem; videantur, quæ diximus lib. 7. Logicæ, q. 23. arg. vlt. in simili de relatione. Ad primam confirm. dicatur solutionem datam esse legitimã; & ad primam replicam concesso antec. neg. conseq. Licèt enim significare verum, vel falsum sit aliquid indifferens respectu termini, qui significatur, tamen est aliquid determinatum respectu subiecti, scilicèt, propositionis, cuius essentia determinatè consistit in quadam determinata compositione radicante significationem veri, vel falsi. Sicut essentia quantitatis in quadam extensione in ordine ad se determina-

na-

nata radicante æqualitatem, vel inæqualitatem consistit. Et sicut eadem quantitas bicubita potest æquari quantitati bicubitæ, & inæquari quantitati tricubitæ, ita eadem propositio æquatur rei significatæ, quando res ita est, sicut per ipsam significatur, & tūc est vera, & inæquatur eidem rei significatæ, quando non ita est, sicut per ipsam significatur, & tunc consurgit falsitas. Vndè essentia propositionis per similitudinem ad essentiam quantitatis consistit in quadam compositione determinata in ordine ad se, & quæ posśit adæquari, vel inadæquari obiecto significato, seu enunciato, quod explicatur in diffinitione propositionis, dum dicitur propositionem verū, vel falsum significare. Ad secundam replicam dicatur illam diffinitionem esse malam. Quia essentia hominis est omninò absoluta, & non consistit in aliqua forma determinata respectu subiecti radicante rationalitatem, vel irrationalitatem Vndè non est eadem ratio. Ad secundam confirmationem constat ex dictis. Illa enim particula non ponitur in diffinitione propositionis tanquam differentia necessaria ad aliquid excludendum, sed claritatis gratia, & vt exemplum ad declarandum, quod omnis oratio significans aliquid asserendo, sicut significat propositiò de modo indicatiuo, est propositio, & quæ non ita significat, non est propositio. Ad tertiam dicatur, quod propositio dupliciter potest considerari, vel quatenus est totum perfectum, vel quatenus est instrumentum intellectus ordinatum ad manifestandam veritatem, seu falsitatem; sub prima consideratione concedimus, quod debet diffiniri in ordine ad terminos, ex quibus tanquam ex partibus componitur. At verò sub secunda consideratione in ordine ad finem debet diffiniri, vt constat ex ratione probatiua nostræ conclusionis; & cum per istam diffinitionem diffiniatur propositio sub secunda consideratione: hinc prouenit istam diffinitionem propositionis esse bonam. Ad vltimam dicatur veritatem inueniri in rebus tanquam in obiecto, & in intellectu tanquam in subiecto. At verò tanquam in signo solum in propositione potest inueniri. Vndè diffinitio propositionis nulli alia propositione conuenit. Quia solum ipsa est signum veritatis, seu falsitatis. Quæ solutio desumitur ex D. Thom. 1. per hermeniarum, lect. 3.

QVÆSTIO II.

Vtrùm essentia propositionis consistat in significare verum, vel falsum?

1 REsolutoriè dicendum est, essentiam propositionis formaliter consistere in ratione totius enunciatiui respicientis partes, quarum vna de alia

alia enunciatur. Hæc conclusio infertur ex Diuo Thoma primo peri herm. lect. 1. vbi asserit diuisionem propositionis in affirmatiuam, & negatiuam esse essentialem, & generis in species, quia datur per diuersum modum enũciandi; ergo secundum D. Thomam essentia propositionis in ratione totius enuntiatiui consistit. Denique prob. nostra conclusio ratione. Essentia cuiuslibet rei consistit formaliter in illo quod primo intelligitur in tali re, illam ab alijs distinguente: sed quod primo intelligitur in propositione illam ab alijs orationibus distinguens est ratio totius enunciatiui respicientis partes quarum vna de alia enunciatur; ergo in ratione totius enunciatiui respicientis, partes quarũ vna de alia enunciatur formaliter consistit essentia propositionis. Min. prob. Ordo ad signatum totale per modum adæquationis, vel inadæquationis cum signato totali, seu cum obiecto cõplexo in quo consistit significare verum, vel falsum, non potest esse quod primo intelligitur in propositione; ergo quod primo in propositione formaliter intelligitur est ratio totius enunciatiui respiciẽtis partes, quarum vna de alia enunciatur. Conseq. patet. Antec. vero prob. Ratio signi obiecti complexi consistens in ordine ad signatum totale, seu ad obiectum complexum per modum adæquationis, vel inadæquationis cum illo, non potest intelligi in propositione, quin prius intelligantur partes vnitæ; ergo ordo adsignatum totale non est quod primo intelligitur in propositione, sed quod primo in illa intelligitur est ratio totius enunciatiui respicientis suas partes, ad quam sequitur ordo ad signatum totale, seu ad obiectum complexum per modum adæquationis, vel inadæquationis cum illo in quo consistit significare verum, vel falsum. Confirm. hæc ratio. Essentia termini non cõsistit in ratione signi partialis respicientis signatum partiale, sed in ratione partis respicientis propositionem, vt constat ex dictis in disputatione de termino in communi; ergo similiter essentia propositionis non consistit formaliter in ratione signi totalis respicientis signatum totale, seu obiectum complexum per modum adæquationis, vel inadæquationis cum illo. Patet conseq. Sicut enim terminus est pars, ita propositio est totum enunciatiuum; ergo si essentia termini non consistit in ratione signi partialis respicientis signatum partiale, nec etiam essentia propositionis in ratione signi totalis respicientis signatum totale formaliter consistet.

2 Contra istam conclusionem obijcies primo. Illud est essentia alicuius rei, quod est adæquata causa omnium proprietatum illius; sed ratio totius enunciatiui

cia-

ciatiui, non est adæquata causa omnium proprietatum propositionis; ergo in ratione totius enunciatiui non consistit formaliter essentia propositionis. Minor prob. Veritas, vel falsitas est proprietas propositionis: sed ratio totius enunciatiui non est adæquata causa veritatis, vel falsitatis propositionis; ergo ratio totius enunciatiui, non est adæquata causa omnium proprietatum propositionis. Minor prob. Ratio totius enunciatiui in propositione conditionali non est adæquata causa veritatis, vel falsitatis illius; ergo ratio totius enunciatiui non est adæquata causa veritatis, vel falsitatis propositionis. Prob. antec. Hæc causalis est falsa, ideò conditionalis est vera, vel falsa, quia est enunciatiua; ergo ratio totius enunciatiui non est adæquata causa veritatis, vel falsitatis propositionis conditionalis. Prob. anteced. secundum sapientissimum Magistrum Soto, cap. de conditionalib. notab. 2. ad veritatem conditionalis sufficit, & requiritur, quod sit bona cõsequentia; & ad falsitatem sufficit, & requiritur, quod sit mala; ergo prædicta causalis est falsa. Deinde probatur ratione idem antecedens. Posita in propositione conditionali bonitate consequentiæ, quocumque alio secluso ponitur veritas cõditionalis, & sublata bonitate consequentiæ, quocumque alio posito, ponitur falsitas illius; ergo veritatis, vel falsitatis propositionis conditionalis non est adæquata causa ratio totius enũciatiui, sed bonitas, aut malitia consequentiæ. Respond. conced. mai. & neg. min. Ad probationem admitto mai. & nego min. Ad prob nego anteced. Etenim in propositione conditionali potest considerari hoc quod est significare verum, vel falsum, & falsitas, vel veritas illius; quo supposito dico rationem totius enunciatiui esse adæquatam causam, vt propositio conditionalis significet verum, vel falsum. Siquidem veritas, vel falsitas non inuenitur, nisi in compositione. At verò veritatis determinatè propositionis conditionalis, & similiter falsitatis determinatè illius non est adæquata causa ratio totius enunciatiui, sed bonitas, vel malitia consequentiæ; cæterum nihil contra nos, quia quod propositio cõditionalis sit determinatè vera, aut determinatè falsa, non est proprietas illius, sed accidens ab illa separabile. Quod quidẽ cõtingit in omni propositione. Nõ enim causa adæquata veritatis istius propositionis *homo est animal rationale*, est ratio totius enunciatiui. Quandoquidẽ ratio totius enunciatiui eriã reperitur in hac propositione, *homo non est animal rationale*, in qua veritas nõ inuenitur, sed adæquata causa veritatis prædictæ propositionis,

est

est quod propositio significat rem sicuti est in se. Vnde ratio totius enunciatiui est adæquata causa, vt propositio quælibet verum, vel falsum significet, licèt non sit adæquata causa, vt quælibet propositio sit determinatè vera, aut determinatè falsa. Veritas enim, aut falsitas disiunctiuè sumptæ, si admittatur, quod sunt proprietas propositionis, tunc dicendum est rationem totius enunciatiui etiam radicare istam passionem, non immediatè, sed mediatè, & dependenter à significatione veri, vel falsi. Sicut anima radicat voluntatem non immediatè, sed mediatè, & dependenter ab intellectu.

3 Obijcies secundo. In signo partiali prius est significare, quam ratio partis; ergo similiter in signo totali prius erit significare, quam ratio totius; ac per consequēs in propositione, quæ est signum totale, prius erit, & intelligetur significare verum, vel falsum, quam ratio totius enunciatiui. Patet conseq. à paritate rationis. Confirm. hoc argum. 1. In probabili sententia essentia termini consistit in ratione signi partialis; ergo similiter essentia propositionis consistet in ratione signi totalis; ac per consequens sicut terminus constituitur in ratione partis per esse signum partiale, ita propositio cōstituetur in ratione propositionis per esse signum totale veritatis complexæ. Confir.

2. In propositione prior est respectus ad signatum totale, quam respectus ad suas partes, in quo formaliter consistit ratio totius enunciatiui; ergo essentia propositionis consistit in respectu ad signatum totale, & complexum, in quo significare verum, vel falsum consistit. Prob. antec. Sicut in propositione datur respectus ad suas partes, & etiam respectus ad signatum totale, ita in termino datur respectus ad signatum partiale, & ad totum, scilicèt, ad propositionem; ergo sicut in termino respectus ad signatum partiale, est prior, quam respectus ad totum, scilicèt, ad propositionem, ita in propositione respectus ad signatum totale prior erit, quam respectus ad suas partes; vel sicut in propositione prius est respicere suas partes, quam esse signum totale, ita in termino prius erit respicere propositionem, quam esse signum partiale. Denique vrgetur esse signum partiale, est fundamentum, vt terminus respiciat propositionem, & constituatur in ratione partis; ergo similiter esse signum totale erit fundamentum, vt propositio respiciat suas partes, & constituatur in ratione totius enunciatiui; ac per consequēs in propositione prius intelligitur quod sit signum totale, & deinde quod respiciat suas partes, per quem respectum in ratione totius enunciatiui cōstituitur. Patet cōseq. Sicut enim

ra-

ratio partis comparatur ad terminum, ita ratio totius ad propositionem, & sicut ratio partis petit fundamentum, ita ratio totius fundamentum exigit; ergo si in termino esse signum partiale est fundamentum, vt terminus respiciat propositionem, & constituatur in ratione partis, ita in propositione esse signum totale erit fundamentum, vt propositio respiciat suas partes, & in ratione propositionis constituatur. Respond. conc. antec. & distinguo. conseq. ergo similiter in signo totali prius erit significare significatione partiali, quam ratio totius, conc. conseq. significatione totali enunciatiua, aliquid asserendo, & iudicium exprimendo, nego conseq. Itaque in propositione duplex ratio signi reperitur, alia necessariò præsupposita, & alia ad rationē propositionis per modum proprietatis subsecuta. Ratio signi præsupposita est significatio partialis, quæ in partibus componentibus propositionem inuenitur, & loquimur de significatione lato modo sumpta, quatenus comprehēdit repræsentationem quæ significatio præsupponitur ad rationem propositionis, & prior est ratione totius; significatio verò enunciatiua veri, vel falsi aliquid asserendo, & iudicium exprimendo per modum proprietatis ad rationē totius enunciatiui consequitur. Et ratio huius doctrinæ est. Nam ad significationem partialem, & incomplexam solum desideratur impositio; & cum hæc anteuertat ordinem ad propositionem, & rationem partis: hinc prouenit, quod etiam significatio partialis, & simplex antecedat in signo partiali, seu in termino ordinem ad propositionem, & rationem partis. At verò significatio cōplexa, & totalis alicuius veritatis, vel falsitatis præter partium impositionem exigit vnionem illarum inter se, ad quam vnionem consequitur, & cum per vnionem ponatur essentia totius, id circo ista significatio necessariò supponit rationem totius. Vndè significatio totalis, & enunciatiua supponit rationem totius in propositione, licèt significatio partialis, quæ in partibus propositionis inuenitur rationem totius propositionalis anteuertat. Ad primam confirmationem admisso antecedenti, quod est omninò falsum, vt docuimus disput. de termino in communi, neg. conseq. Disparitas consistit in hoc. Nam propositio, cum sit totum prius respicit suas partes, quam signum totale. Eo quod respicere suas partes conuenit illi in ordine ad se, & respicere signatum totale cōuenit illi in ordine ad aliud, & prius est illud, quod conuenit alicui in ordine ad se, quam illud, quod conuenit in ordine ad aliud: & cum essentia propositionis in illo, quod in ipsa primo in-

intelligitur, consistat: hinc prouenit essentiam propositionis in ratione signi totalis non posse consistere; tum propter rationem datam; tum etiam, quia significatio totalis, & enunciatiua necessariò supponit rationem totius. At verò ratio signi partialis, non præsupponit necessariò rationem partis, ad quam sequatur, sed potius illam antecedit, & insuper est quod primo intelligitur in termino illum à signis totalibus distinguens. Vnde non est eadem ratio. Ad 2. nego antec. Ad probationē dicatur paritatem solum probare, quod sicut in termino significatio partialis, & incomplexa præsupponitur ad rationem partis, ita in propositione significatio partialis, & incomplexa, quæ in partibus eius inuenitur antecedat rationem totius respicientis suas partes, & sit fundamentum illius. Ad vltim. conc. antec. nego conseq. Ad probationem dicatur disparitatem in hoc consistere, nimirum quod ad significationem partialem, & incomplexam solum desideratur impositio: & cum hæc anteuertat ordinem ad propositionē: hinc fit, quod etiam significatio partialis in signo partiali, seu in termino antecedat rationem partis, & sit fundamentum illius. At verò significatio totalis, & enunciatiua, necessariò præsupponit rationem totius propositionalis propter rationem datam in solutione huius argumēti. Vndè significatio totalis, & enunciatiua non potest esse fundamentum, vt propositio constituatur in ratione propositionis.

4 Obijcies vlt. Non potest concipi propositionem esse enunciatiuam, quin simul concipiatur significare verum, vel falsum; ergo in significare verum, vel falsum eius essentia consistit. Prob. antec. Non potest concipi propositionem esse enunciatiuā, quin simul concipiatur prædicatum esse relatum ad subiectum: sed hoc ipso concipitur significare verum, vel falsum; ergo nō potest concipi propositionem esse enunciatiuam, quin simul concipiatur significare verum, vel falsum. Maior patet. Quando enim vnum de alio enunciatur, ad illud etiam refertur. Minor verò prob. Non potest concipi prædicatum esse relatum ad subiectum, quin concipiatur ratio, & causa relationis: sed ratio relationis est conuenientia, vel disconuenientia; ergo non potest concipi prædicatum esse relatum ad subiectum, quin simul concipiatur conuenientia, vel disconuenientia illius cum subiecto, in qua veritas, vel falsitas consistit; ac per consequens non potest concipi propositionem esse enunciatiuam, quin simul concipiatur ipsam verū, vel falsum significare. Confirm. hoc argu. Essentia consequentiæ in bo-

bonitate consistit (vt diximus disputatione præcedēti, q. 6.) ergo pariter essentia propositionis in significare verum, vel falsum consistet. Prob. conseq. Ita se habet bonitas respectu consequentiæ, sicut veritas, vel falsitas respectu propositionis; ergo si essentia consequētiæ in bonitate consistit, etiā essentia propositionis in significare verum, vel falsum cōsistet. Prob. antec. Sicut propositio dicitur vera per hoc quod prædicatū verè dicatur de subiecto, ita consequētia dicitur bona per hoc, quod cōsequēs benè inferatur ex antecedēti; ergo ita se habet bonitas ad cōsequētiā, sicut veritas, vel falsitas ad propositionē. Dices esse disparē rationem. Nam in propositione antecedēter ad hoc, quod est significare verum, vel falsum, intelligitur ratio totius enūciatiui respiciētis suas partes, in consequētia autem antecedenter ad bonitatē non intelligitur aliquid in quo eius essentia consistat. Sed cōtra est. Nā sicut in propositione antecedenter ad hoc, quod est significare verū, vel falsum, videtur intelligi ratio totius enunciatiui, ita in consequētia antecedenter ad hoc, quod consequens benè inferatur ex antecedenti, intelligitur ratio totius illatiui; ergo par ratio vtrobique currit. Resp. disting. antec. non potest concipi propositionem esse enunciatiuā, quin simul implicitè concipiatur significare verū, vel falsum, concedo antec. explicitè nego antec. & cōseq. Verum enim est, quod in ratione totius enunciatiui exercetur conuenientia, vel disconuenientia prædicati ad subiectum; ac proinde etiā veritas, vel falsitas in ratione totius enūciatiui implicatur, & exercetur, sicut in rationalitate implicatur risibilitas, non tamē ibi explicatur. Vnde sicut in homine prius intelligitur rationalitas, tanquā ratio ipsum constituens, & deinde risibilitas ad rationem hominis constitutiuam, tanquam propria passio secuta, ita pariter in propositione prius intelligitur ratio totius enunciatiui propositionē ab alis totis distinguens, & cōstituens, & deinde intelligitur significatio veri, vel falsi ad rationē totius enunciatiui per modum proprietatis secuta. Nec refert si dicas non posse intelligi enunciationē vnius de alio, quin intelligatur significario partium vnitarum: sed significatio totius nihil aliud est, quàm significatio partium vnitarum; ergo non potest intelligi ratio totius enūciatiui, quin simul intelligatur significatio totalis veri, vel falsi. Cōfirm. Eo ipso quod intelligatur enūciatio vnius partis significātis de alia parte significante, intelligitur ratio totius habentis partes significatiuas; ergo intelligitur totū significatiuū, & consequenter significatio totalis veri, vel falsi. Patet cōseq. Implicat intelligere partes materiales vni

tas, quin simul intelligatur totum materiale, & physicum; ergo pariter implicabit intelligere partes significatiuas vnitas, quin simul intelligatur totum significatiuum; ac per consequens non poterit intelligi ratio totius enũciatiui, quin simul intelligatur significatio totalis veri, vel falsi. Resp. solutionem datam esse legitimam, & ad primam replicã concessa maiori distinguenda est minor: sed significatio totius nihil aliud est, quàm significatio partium vnitarum præcisè, nego minorem; cum relatione ad signatum totale, & complexum concedo min. & nego conseq. Etenim ad verũ, vel falsum significandum duo requiruntur, nimirum artificiosa cõpositio totius, & ordo ad signatum totale, & licet intellecta enunciatione vnius de alio simul intelligatur significatio partium vnitarum, & cõsequenter significatio totalis præcisè sumpta, & sine ordine ad signatum totale, tamẽ non intelligitur significatio totalis formaliter sumpta, & cum ordine ad signatum totale per modũ adæquationis, vel inadæquationis cũ ipso. Quo circa eo ipso quod intelligatur enunciatio vnius de alio, nõ simul intelligitur explicitè, & per modum obiecti cogniti, & significati significatio veri, vel falsi. Ad confirm. conced. antec. & nego cõseq. Ad cuius probationem itetum concedo antec. & nego cõseq. cuius discrimen consistit in hoc. Nam totalitas materialis, & physica conuenit alicui præcisè per respectum ad suas partes, & ideò implicat intelligere partes materiales vnitas, quin simul intelligatur totũ materiale, & physicum, at verò totalitas significatiua non conuenit alicui præcisè per respectum ad suas partes, sed insuper exigit ordinẽ ad signatum complexum supponẽtem partes significatiuas vnitas. Quo circa benè possumus intelligere partes significatiuas vnitas, quin simul intelligatur totũ significatiuum veri, vel falsi. Ad confirmationem principalis argumenti dicatur solutionem datam esse legitimam, & ad replicam constat ex dictis in disputatione præcedẽti, quæstione sexta in solutione primi argumenti, contra primam conclusionem. Ex dictis infero in propositione primo inueniri rationem orationis, & totius, quæ constituitur per hoc quod est partes respicere, & hæc ratio est ratio generica propositionis, quæ contrahitur per rationem totius enunciatiui, tanquam per differentiam essentiæ propositionis cõstitutiuam, quæ constituitur per hoc quod est respicere partes, quarum vna de alia enunciatur, ad quam rationem consequitur adæquatio, vel inadæquatio cum obiecto enunciato, in quo consistit verum, vel falsum significare.

QVA-

QVÆSTIO III.

Vtrùm significare verum, vel falsum sit proprietas quarto modo propositionis?

1 EX dictis in præcedēti quæstione facile intellig'tur præsens difficultas, in qua resolutoriè dicendum est significare verum, vel falsum esse proprium quarto modo propositionis. Hæc conclusio est expressa D. Thom. opusc. 47. & probatur illius ratione. Sola enunciatio, seu propositio est signum illorum, quæ sunt obiectiuè in secunda operatione intellectus: sed in secunda operatione intellectus est veritas, vel falsitas; ergo sola propositio est signum, veri vel falsi. Maior patet. Nam in secūda operatione intellectus est cōpositio, qua vnum de alio enunciatur, vel negatio, qua vnum ab alio separatur, & iudicium, quo de compositione, seu de negatione iudicatur: sed hæc omnia solum possunt significari per enunciationem, seu propositionē; ergo sola propositio est signū illorum, quæ sunt obiectiuè per modum enunciationis affirmatiuæ, vel negatiuæ in secunda operatione intellectus. Minor vero principalis probatur. In illa operatione intellectus est veritas, vel falsitas, per quam intellectus denominatur verus, vel falsus errans, & sciens: sed per solam secūdam operationem habet intellectus istam denominationē; ergo solū in secunda operatione intellectus est veritas, vel falsitas. Minor prob. Etiā si quis falsas propositiones apprehendat dummodo illis non assentiatur, non est falsus formaliter; vt patet in resumente falsas propositiones propositas ab arguēte; ergo per solam secundam operationē dicitur intellectus verus, vel falsus formaliter. Confirm. Sola propositio significat cōformitatem, vel difformitatem iudicij cum obiecto cognito; ergo sola illa significat verum, vel falsum. Prob. antec. Conformitas iudicij cum obiecto cognito fit quatenus intellectus cognoscit, quod illud, quod de re existente in ipso vt cognoscente apprehēdit, conformatur cum re à parte rei existente, quod quidem importat aliquam attributionem vnius ad aliud: sed attributio vnius ad aliud non potest significari nisi per propositionē; ergo sola propositio significat conformitatem iudicij cum obiecto cognito; ac per consequens sola illa verum, vel falsum significabit. Confirm. 2. Proprium quarto modo est illud, quod naturaliter sequitur ad essentiā, sed significare verum, vel falsum sequitur naturaliter ad essentiam propositionis; ergo significare verum, vel falsum est propriū quarto modo propositionis. Prob. min. Essentia propositionis consistit in ratione totius enunciatiui respicientis partes, quarū vna de altera enunciatur, sed ad rationem totius enunciatiui respicientis partes, quarū vna de al-

téra enunciatur, sequitur naturaliter verum, vel falsum significare; ergo ad essentiã propositionis sequitur naturaliter verum, vel falsum significare. Mai. constat ex dictis in præcedenti quæstione. Min. vero prob. Ad totũ enunciatiuum respiciens partes, quarum vna de alia enunciatur, sequitur enunciatio conformitatis, vel difformitatis vnius partis cum alia, & iudicij intellectus cũ obiecto cognito: sed in hoc consistit significare verũ, vel falsum; ergo ad rationẽ enunciatiui respicientis partes, quarum vna de alia enunciatur, consequitur verum, vel falsum significare.

2 Contra nostram conc. obijcies 1. significare verum, vel falsum non conuenit soli propositioni; ergo non est proprium illius quarto modo. Prob. antec. Voces pertinentes ad primã intellectus operationem significãt verũ, vel falsum; ergo significare verum, vel falsum non conuenit soli propositioni. Prob. anteced. Voces pertinẽtes ad primã operationem intellectus exprimunt simplicem cõceptum. sed in simplici conceptu veritas, vel falsitas inuenitur; ergo voces pertinentes ad primã intellectus operationem significant verum, vel falsum. Prob. min. Nam 2 D. Thom. 1. p q. 16. art. 1 in corpore. Veritas consistit in adæquatione intellectus cum re: sed simplex conceptus adæquatur cum re; ergo in simplici conceptu veritas, vel falsitas inuenitur. Min. prob. Simplex cõceptus est similitudo naturalis rei cognitæ; ergo simplex cõceptus adæquatur cum re. Resp. negando antec. Ad prob. nego antec. ad cuius prob. concedo mai. & nego min. Ad prob. explico D. Thom. veritas consistit in adæquatione intellectus iudicantis cum re. concedo mai. in adæquatione intellectus præcisè simpliciter apprehẽdẽtis, nego mai. & disting. min. Simplex conceptus adæquatur cum re per modum simpliciter apprehendentis, cõcedo min. per modum iudicantis, nego min. & distinguo consequens; ergo in simplici conceptu veritas, vel falsitas inuenitur, tanquam in re vera, concedo conseq. tanquam in cognoscente, nego conseq. Etenim simplex conceptus per formam intelligibilem, scilicet, per speciem impressam, adæquatur cum re cognita, cæterum, quia per simplicem conceptum non cognoscit intellectus, si illud, quod apprehendit cõformatur, vel non conformatur cum re à parte rei existente, ideò in simplici conceptu non inuenitur veritas, vel falsitas, tanquã in cognoscente, sed solum tanquam in re vera; vnde licet in simplici cõceptu inueniatur veritas transcendentalis, veritas tamẽ prædicamentalis, & formalis in illo non inuenitur. Sed contra istam solutionem replicabis primo. In simplici conceptu reperitur veritas formalis; ergo solutio est nulla. Prob. antec. Veritas trãscen-

cendentalis consistit in adæquatione rei cum intellectu, & formalis in adæquatione intellectus cum re: Sed adæquatio simplicis conceptus non est adæquatio rei cum intellectu, sed intellectus cũ re; ergo in simplici conceptu veritas formalis, & prædicamentalis inuenitur. Secundo, sicut veritas formalis cõsistit in adæquatione intellectus cũ re, ita veritas transcendentalis cõsistit in adæquatione rei cum intellectu: Sed veritas transcendẽtalis non petit adæquationem rei cum intellectu solum iudicante: sed cum intellectu iudicãte, vel simpliciter apprehendente; ergo similiter veritas formalis non exiget adæquationem intellectus præcisè vt iudicantis cũ re, sed adæquationem ipsius vt iudicantis, vel simpliciter apprehẽdentis cũ re. Maior est certa, & min. prob. Veritas enim transcendentalis consistit in cognoscibilitate rei: sed cognoscibilitas rei nõ desumitur solum pẽnes adæquationẽ cũ intellectu iudicãte, sed pẽnes adæquationem cum ipso vt iudicante, vel simpliciter apprehẽdente; ergo veritas transcendentalis, non petit adæquationem cum intellectu præcisè vt iudicante: sed cum ipso vt iudicãte, vel simpliciter apprehendẽte; ac per cõsequens licet simplex cõceptus non dicat adæquationem per modum iudicantis cum re in illo erit veritas formalis, & prædicamentalis. Resp. solutionem datam esse legitimam, & ad primam replicam, nego antec. Ad probationẽ distinguo mai. & formalis in adæquatione intellectus iudicantis cum re, concedo mai. intellectus simpliciter apprehẽdentis, nego mai. & distinguo min. sed intellectus simpliciter apprehendentis, concedo min. iudicãtis, nego min. & distinguo consequens; ergo in simplici conceptu veritas formalis, & prædicamẽtalis inuenitur materialiter, transeat consequẽs, formaliter, nego conseq. Non enim omnis adæquatio intellectus cum re est veritas formalis, sed solũ illa adæquatio intellectus cum re, qua intellectus cognoscit, quod illud quod apprehendit cõformatur cum re; quia solum per istam adæquationem cognoscit intellectus rem ita esse, vel non esse à parte rei, sicut ipse apprehendit, qua solum adæquatione dicitur verus, vel falsus, & cũ per simplicẽ conceptũ non cognoscat intellectus, an illud, quod de re apprehendit conformetur, vel non conformetur cum re existente à parte rei, siquidem simplex conceptus nihil iudicat de re apprehẽsa: hinc prouenit, quod in simplici conceptu non inueniatur veritas formalis, & prædicamẽtalis, nisi dicatur, quod in illo inuenitur veritas formalis materialiter, quatenus in illo reperitur adæquatio simplicis conceptus cum re, qua intellectus constituitur verus, tanquam

res vera; cæterum, quia per simplicem conceptum non cognoscit intellectus, si quod apprehēdit adæquatur, vel non adæquatur cum re à parte rei existente, ideò in simplici conceptu nō reperitur formaliter veritas formalis, & prædicamentalis, sed solum veritas transcendentalis, quæ consistit in omni adæquatione cum intellectu, quæ non est intellectus iudicantis cum re, siue sit rei cum intellectu, siue intellectus cum re.

3 Ad secundam replicam admissa maiori, & minori negatur cōseq. Ratio discriminis est. Nā veritas transcendentalis solum petit conformitatem rei cū intellectu, qua reddatur intelligibilis, ab ipso, & cum per adæquationem, vel conformitatem cū intellectu, vt apprehendēte, vel iudicante reddatur res intelligibilis ab ipso: hinc prouenit veritatem transcendentalem solum exigere adæquationem cū intellectu, vt apprehendente, vel iudicāte. At verò formalis veritas est, qua intellectus constituitur verus, vel falsus: & cum per simplicem apprehensionem rei, seu per adæquationē intellectus simpliciter apprehendentis cum re non reddatur intellectus verus, vel falsus formaliter, vt constat ex probatione nostræ cōclusionis: hinc prouenit, quod veritas formalis, & prædicamentalis exigat determinatè adæquationem intellectus iudicantis cū re. Vnde non est eadem ratio. Sed adhuc vrgebis. Non est aliqua ratio probans formalem veritatē solum in intellectu iudicanti inueniri; ergo poterit etiam reperiri in intellectu simpliciter apprehēdente. Resp. neg. ant. Etenim in intellectu debet inueniri veritas distincto modo, ac inuenitur in rebus, in quibus veritas solum subiectiuè inuenitur, in intellectu autem debet reperiri veritas iuxta modum proprium ipsius, modus autem proprius intellectus illi soli conueniens, est quod aliquid sit in illo obiectiuè, & tanquam obiectum cognitum: & cum solum in intellectu iudicante aliquid sit obiectiuè, & tāquam obiectum cognitum; quia solum per illum cognoscitur rem ita esse, vel non esse, sicut ipse apprehendit: hinc prouenit veritatem formalem solum formaliter reperiri in intellectu iudicante: in intellectu autem simpliciter apprehendente magis inuenitur res vt apprehensa, quam propriè vt cognita; sed de hijs plura mittimus ad metaphysicam.

4 Obijcies secundo. Essentia cuiuscumque rei potest intelligi, sine eius proprietate: sed essentia propositionis non potest intelligi sine significatione veri, vel falsi; ergo significare verum, vel falsum non est proprium quarto modo propositionis. Minor prob. Non potest intelligi aliqua propositio, quin intelli-

ga-

gatur esse veram, vel falsam; ergo essentia propositionis, non potest intelligi sine significatione veri, vel falsi. Probat. antec. Veritas, & falsitas opponuntur virtualiter contradictoriè: sed sine vno ex contradictorijs, non potest quælibet res intelligi; ergo propositio, non potest intelligi sine significatione veri, vel falsi. Minor patet. Etenim *quodlibet est, vel non est*; ergo sine vno ex contradictorijs nō potest aliqua res intelligi. Ad hoc argumentum constat solutio ex dictis in solutione vltimi argumenti præcedentis quæstionis. Vel 2. respond. disting. maiorem. Essentia cuiuscumque rei potest intelligi, si eius proprietate nō importante oppositionem contradictoriam. Concedo maior. importante cōtradictoriam oppositionem, nego mai. & admissa min. nego conseq. Quando enim proprietas alicuius rei importat oppositionem contradictoriam, non potest res intelligi sine proprietate, non quia proprietas est, sed quia talis proprietas est, nimirum, quia oppositionem contradictoriam importat, *& quælibet res est vel non est*, & quantū ad hoc idem esset dicēdum de accidenti communi importāte oppositionem contradictoriam, sine quo res in particulari. & vt existens non potest intelligi: & cum significare verū, vel falsum importet virtualiter oppositionem cōtradictoriam; eo quod veritas dicit negationē falsitatis, & falsitas negationem veritatis; hinc prouenit propositionem in particulari, non posse intelligi sine significatione veri, vel falsi.

5 Obijcies tertio. Propositio apprehēsiua est propositio: & tamen non significat verū, vel falsum; ergo significare verum, vel falsum, non est proprium quarto modo propositionis. Minor probat. Ante iudicium nō datur veritas, vel falsitas: sed propositio apprehensiua antecedit iudiciū; ergo propositio apprehēsiua nō significat verū, vel falsum. Maior constat ex dictis. Minor vero prob. Propositio apprehensiua sistit in prima operatione intellectus: sed iudicium solum in secūda operatione inuenitur; ergo propositio apprehensiua antecedit iudicium. Confirm. hoc argumentum. Iudicium, quo assentimus propositioni, dicendo ita est, significat veritatem, vel falsitatem: & tamen prædictum iudicium, nō est propositio; ergo significare verum, vel falsum, non cōuenit soli propositioni; ac per consequens significare verū, vel falsum, non est proprium quarto modo propositionis. Respond. disting. mai. Est propositio, quatenus sistit in prima operatione intellectus, nego maiorem; quatenus transit ad secundam, concedo maiorem, & distinguo minorem. Non significat verum, vel falsum, quatenus manet præcisè in prima operatione in-

tellectus, cõcedo min. quatenus transit ad secundam, subdistinguo min. si non suspendatur iudicium, nego min. si suspendatur, iterum subdistinguo minor. non significat veritatem, vel falsitatem vt assertam, & iudicatam, concedo min. vt apprehensam, & significatam, nego min. & consequentiam. Etenim propositio apprehensiua, quatenus præcisè sistit in prima operatione intellectus, non est propositio; quia secundum istam considerationem, nullam importat enunciationem vnius de alio, sed solum apprehensionem subiecti copulæ, & prædicati, absque aliqua attributione vnius ad aliud. Quãdoquidem compositio, & attributio vnius ad aliud solum in secunda operatione inuenitur, in qua est subiectum copula, & prædicatum. Vnde propositio apprehensiua, quatenus præcisè sistit in prima intellectus operatione non est propositio; quo circa secundum istam considerationem nihil mirum, quod non significet verum vel falsum. Cæterum si propositio apprehensiua transeat ad secundã intellectus operationem, tunc vel suspenditur iudicium, ita vt nihil iudicetur de illa, vel non suspenditur, sed coniungitur per copulam, non solùm prædicatum cum subiecto, sed etiam iudicium cum obiecto per ipsam propositionem significato; si suspenditur iudicium, tunc propositio significat veritatem, vel falsitatem, non vt iudicatam, & assertam, sed vt apprehensam, & significatam; si vero non suspenditur iudicium, tunc propositio significabit veritatem, vel falsitatem vt assertam, & iudicatam. Vnde nunquam probatur significare verũ, vel falsum, vt significatum, vel vt assertum, & iudicatum non esse proprium quarto modo propositionis. Ad confirm. distinguo maiorem, significat veritatem, vel falsitatem assertiuè, & per modum assensus, concedo maiorem, copulatiuè, & enunciatiuè per modum vnionis extremorum, nego maiorem, & concessa minori, nego consequent. Licet enim iudicium, quo propositioni assentimus, dicendo, *ita est, vel non est*, significet veritatem, vel falsitatem assertiuè, & per modum assensus, non tamen significat veritatem, vel falsitatem enunciatiuè, & copulatiuè per modum copulæ, & vnionis extremorum, supra quã possit cadere iudicium. Quapropter non significat verum, vel falsum ea ratione, qua est proprium quarto modo propositionis, quæ significat verum, vel falsum enunciatiuè, & copulatiuè per modum copulæ, & vnionis extremorum supra quam potest iudicium immediatè cadere.

6 Obijcies vltimo. Hæc propositio, *mundus erit*, pro priori ante decretum diuinum de mundo producendo, est propositio:

&

& tamẽ pro illo priori nõ significat verum, vel falsum; ergo significare verum, vel falsum non conuenit omni propositioni; ac per consequens non est propriũ quarto modo illius. Minor probatur. Propositiones de futuro contingenti ante diuinum decretum non habent determinatam veritatem, vel falsitatem: sed prælicta propositio pro illo priori est propositio de futuro contingenti anteuertens diuinum decretum; ergo pro illo priori non significat veritatem, vel falsitatem. Maior prob. Vt propositio de futuro sit vera, requiritur, quod sua de inesse sit futura, sicut ad hoc, quod hæc propositio, *mundus erit*, sit vera, requiritur, quod hæc propositio *mundus est* sit futura: sed propositiones de futuro contingenti pro illo priori, quo diuinum decretum anteuertunt non possunt habere suas de inesse futuras; ergo propositiones de futuro contingenti ante diuinum decretum non habent determinatam veritatem, vel falsitatem. Minor prob. Futuritio dependet à determinatione causæ primæ; sed pro illo priori anteuerteate diuinum decretum non est determinatio causæ primæ ergo pro illo priori propositiones de futuro contingenti non possunt habere suas de inesse futuras, & quæ futuræ sint veræ. Hoc argumentum exigebat longissimam disputationem inquirentem, an propositiones de futuro contingenti pro priori rationis, quo diuinum decretum anteuertunt sint determinatè veræ, vel falsæ, quã nos libenter ad Theologos mittimus; nõ enim est huius loci prædictam quæstionem disputare, & modo ad argumẽtum breuiter resp. conced. mai. & min. & disting. conseq. non conuenit omni propositioni de præsenti, seu de præterito, nego conseq. de futuro contingenti, subdistinguo cõsequẽs, pro omni priori, concedo conseq. in instanti reali, nego cõseq. Etenim veritas determinatè, vel falsitas determinatè sunt accidẽtia propositionis. Quandoquidem eadẽ propositio, absque intrinseca mutatione potest de vera in falsam transire; sicut hæc propositio, *Petrus sedet*, ipso sedente est vera, & ipso non sedẽte est falsa. Vnde proprietas quarto modo propositionis solũ est veritas, vel falsitas, scilicet, totum hoc cõplexũ *veritas, vel falsitas significata, seu iudicata*, hoc autẽ complexũ omni propositioni de præsenti, vel de præterito conuenit, & propositioni de futuro cõtingẽti, licet non conueniat pro omni priori rationis, vt benè probat argumentũ; conuenit tamen in omni instanti reali, seu in omni nunc æternitatis, quia Deus in primo nunc æternitatis à nobis intelligibili, & ab æterno decreuit futuritionem; vel nõ futuritionẽ cuiuscũque propositionis,

quod

quod sufficit ad hoc, quod significare verum, vel falsum sit proprium quarto modo propositionis, sicut ad hoc risibilitas sit proprium quarto modo hominis, non est necesse, quod pro omni priori rationis, homini cõueniat risibilitas, siquidem pro priori rationis, pro quo intelligitur rationalitas, vt causa dicans risibilitatem, non intelligitur risibilitas. Vel secundo poterat respõderi, quod licet passiones, quæ non dependent ab aliquo extrinseco, ponantur statim, ac ponitur essentia, tamen passiones ab aliquo extrinseco dependentes non ponuntur quoad vsque ponatur extrinsecum à quo dependent, vt constat in motu grauium deorsum, & in passionibus entis rationis, quæ non ponuntur posita essentia, nisi interueniat actus intellectus illas confingẽs: & cum veritas, vel falsitas propositionis de futuro contingenti sit passio illius, dependens à diuino decreto; hinc prouenit, quod non ponatur quoad vsque ponatur decretum. Et hoc argumentum magis probat essentiam propositionis, non cõsistere in significare verum, vel falsum, quam quod verum, vel falsum non sit propria passio propositionis.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm vna propositio sit verior altera formaliter?

1 SVppono duplicem esse veritatẽ, vnam transcendentalem, & formalem, seu prædicamentalem alteram, veritas transcendentalis, quæ ideò transcẽdẽtalis nuncupatur, quia omnia entia transcendit, & in omnibus entibus inuenitur, nihil aliud est, quàm entitas, seu actualitas rei secundum quod nata apta est conformari cum intellectu, & quia diuersæ sunt actualitates, quarum vna alia est perfectior, ideò vna veritas trãscendentalis maior est altera; siquidem vbi maior est actualitas, maior erit aptitudo, vt intellectui conformetur. Veritas vero formalis, seu prædicamentalis, quæ ideò prædicamentalis dicitur, quia non est ita transcendens, sicut transcendentalis veritas, nihil aliud est, quam adæquatio iudicij intellectus cũ obiecto cognito cum negatione excessus, & defectus, siue hæc adæquatio in relatione transcendentali, (vt vult noster Soncinas 7. metaph. quæst. 17.) consistat siue in relatione prædicamẽtali, vt alij Thomistæ tuẽtur, à quo prò nunc supersedendum est, & ad metaph. mittendum. Et hijs breuiter suppositis resolutoriè dicendum est vnam propositionem non esse altera veriorem formaliter. Hæc con-

clu-

cluſio videtur expreſſa D. Thomæ, quæſt. 2. de virtutibus, art. 9. ad 1. illis verbis: *Cum autem veritas conſiſtat in adæquatione intellectus, & rei, ſi conſideretur veritas ſecundum rationem æqualitatis, quæ non recipit magis, & minus, ſic non contingit aliquid eſſe magis, & minus verum*; ergo ſecundum D. Thom. vna veritas non eſt maior altera formaliter. Secundo probatur noſtra concluſio ratione ex verbis D. Thomæ deducta. Veritas formaliter conſiſtit in adæquatione iudicij intellectus cum obiecto cognito cum negatione exceſſus, & defectus; (vt docet D. Thom. 1. p. quæſt. 42. art. 1.) ac per conſequens eſt æqualitas. Sed æqualitas non ſuſcipit magis, & minus formaliter ſumpta; ergo veritas formaliter ſumpta non ſuſcipit magis, & minus; ac per conſequens non datur vna propoſitio verior altera formaliter. Minor prob. exemplis Ferrarienſis. Etenim non magis æquatur lignum viginti cubitorum ligno aliorum viginti cubitorum, quã lignum vnius cubiti ligno alterius cubiti; & ſimiliter virga aurea vnius cubiti, nõ magis æquatur alteri virgæ aureæ alterius cubiti, quam virga lignea vnius cubiti alteri virgæ ligneæ alterius cubiti; ergo æqualitas non ſuſcipit magis, & minus; ac per conſequens iudicium adæquatum cum obiecto huius propoſitionis, *Deus eſt* non magis adæquabitur illi, quàm iudicium adæquatum cum obiecto huius propoſitionis, *Petrus currit*; ac proinde non dabitur vna propoſitio altera verior formaliter.

2 Contra noſtram concluſionem ſunt aliqua, & non leuia argumenta, contra quam obijcies primò. Vna propoſitio eſt falſior altera formaliter; ergo, & verior. Anteced. ſuppono, & conſeq. prob. Sicut veritas dicit adæquationem cum obiecto cũ negatione exceſſus, & defectus, ideſt, quod non minus, nec magis, quam eſt obiectum concipiatur, & iudicetur, ita falſitas dicit negationem adæquationis cum obiecto cognito; ergo ſi negatio adæquationis ſuſcipit magis, & minus, etiam negatio exceſſus, & defectus magis, & minus ſuſcipiet; ac per conſequens ſi datur vna propoſitio falſior altera formaliter, etiam dabitur vna propoſitio altera verior formaliter. Reſpondetur admittẽdo antecedens, & negando conſequentiam. Ratio diſcriminis eſt. Nam falſitas conſiſtit in inadæquatione, & in receſſo ab adæquatione, & veritate: cum autem vna inadæquatio ſit maior altera, vt maior eſt inadæquatio vnius palmi ad tricubitum, quam bicubiti ad tricubitum: hinc prouenit, quod vna falſitas ſit maior altera formaliter, & vna propoſitio ſit falſior altera formaliter: at verò veritas conſiſtit in adæquatione iudi-

dicij intellectus cum re, quæ non suscipit magis, & minus. Quo circa non datur vna veritas, maior altera formaliter. Quæ solutio desumitur ex D. Thom. 3. contra gentes, cap. 139. illis verbis: *Quantò magis à veritate recedituri, tantò est maior falsitas; non enim est tam magna falsitas existimantis tria esse quinque, sicut eius, qui existimat tria esse centum*; cui doctrinæ fauet etiam D. August. epist 29. illis verbis: *Licèt omnia recta sint æqualiter recta, non tamen omnia curua sunt æqualiter curua; cum rectitudo consistat in indiuisibili, non verò curuitas.* Insuper est alia ratio disparitatis. Nã falsitas solum dicit negationem adæquationis, veritas autem dicit adæquationem iudicij cum re cognita, cum negatione excessus, & defectus: & cum negatio adæquationis magis, & minus suscipere possit, secus verò adæquatio: hinc prouenit, quod non sit eadem de falsitate, ac de veritate ratio. Sed contra solutionem replicabis. Sicut veritas formaliter consistit in relatione adæquationis iudicij ad obiectum cognitum, ita falsitas formaliter consistit in relatione in adæquationis iudicij ad obiectũ cognitum: sed relatio non suscipit magis, & minus; ergo vel vtraque, scilicèt, veritas, & falsitas, non suscipit magis & minus, vel vtraque magis, & minus suscipiet. Respondetur solutionem traditam esse legitimam, & ad replicam admitto maiorem, & distinguo minorẽ: relatio per se primo, non suscipit magis, & minus, conc. min. ex fundamento, nego min. & conseq. Licèt enim relatio per se primo formaliter, non suscipiat magis, & minus. nihilominus à fundamẽto potest magis, & minus suscipere, quatenus magis, & minus fundamenti refusum in relatione facit ipsam magis, & minus formaliter suscipere, sicut diuersitas fundamenti, multoties refusa in terminum relationis facit ipsum formaliter diuersum, vt contingit in eodem numero, albo terminante relationem similitudinis alterius albi, & dissimilitudinis alicuius nigri, quod quidem est diuersum formaliter diuersitate à fundamẽtis talium relationum desumpta, quatenus refusa in ipsum facit ipsum formaliter diuersum in ratione termini. Sed adhuc vrgebis. Ergo similiter veritas poterit formaliter magis, & minus suscipere, quatenus magis, & minus fundamenti refusum in ipsa relatione veritatis facit ipsam formaliter magis, & minus suscipere. Secundo. Nam quod magis, & minus fundamenti relationis falsitatis refusum in ipsa relatione faciat ipsam suscipere magis, & minus, solum probat falsitatem suscipere magis, & minus fundamentaliter: sed etiam veritas suscipit magis, & minus fundamentaliter; ergo quatenus

ad

ad hoc nulla est disparitas inter veritatem, & falsitatem. Resp. solutionem traditam esse legitimam. Et ad primam replicam, nego suppositum consequentis. Fundamentum enim relationis, in qua consistit veritas, non suscipit magis, & minus, eo quod est adæquatio iudicij intellectus cum obiecto cognito: & cũ ista adæquatio vtpotè dicens negationem excessus, & defectus non suscipiat magis, & minus: hinc provenit, quod fundamentum proximum relationis veritatis, non suscipiat magis, & minus; ac proinde non potest magis, & minus refundere in relationem. At verò fundamentum relationis in qua falsitas consistit, est negatio adæquationis iudicij intellectus cum obiecto cognito; quæ negatio, vt constat ex dictis suscipit magis, & minus, & ideò magis, & minus potest refundere in ipsam relationem, & facere ipsam magis, & minus formaliter suscipere. Vnde non est eadem ratio. Ad secundam nego maiorem. Etenim vtraque relatio, tam veritatis, scilicet, quàm falsitatis, duo habet fundamenta, proximum, scilicet, & remotum. Fundamentum remotum relationis falsitatis, sunt causæ ipsius falsitatis, & hoc potest magis, & minus suscipere, quatenus causæ sunt magis, & minus firmiores, sicut causæ huius propositionis falsæ, *homo non est animal*, sunt magis firmiores, quam causæ huius propositionis falsæ, *homo non currit*. Quando quidem prima propositio semper est falsa, & nunquam potest esse vera, & secunda aliquando potest esse vera. Fundamentum verò proximum relationis falsitatis est negatio adæquationis iudicij intellectus cum obiecto cognito, quæ negatio suscipit magis, & minus, vt diximus ex D. Thoma in solutione huius argumenti. Vnde vtrumque fundamentum, tam proximum, scilicet, quàm remotum relationis falsitatis magis, & minus suscipere valet. Quapropter potest magis, & minus refundere in ipsam relationem, & facere ipsam magis, & minus suscipere. Similiter relatio veritatis, etiam duo habet fundamenta, remotum, scilicet, & proximũ. Fundamentum enim remotum relationis veritatis sunt causæ ipsius veritatis, & hoc suscipit magis, & minus, quatenus causæ sunt magis, & minus firmiores, sicut causæ huius propositionis veræ *Deus est*, sunt magis firmiores, quam causę huius propositionis veræ, *homo currit*, siquidem prima semper est vera, & nunquam potest esse falsa, & secunda aliquando potest esse falsa. Fundamentum verò proximum relationis veritatis est adæquatio iudicij intellectus cum obiecto cognito, vt est à parte rei, & in se cum negatione excessus, & defectus;

quæ

quæ adæquatio magis, & minus ſuſcipere non poteſt, vt conſtat ex ratione probatiua noſtræ cõcluſionis; quo circa non poteſt magis, & minus refundere in ipſam relationem, & facere ipſam magis, & minus formaliter ſuſcipere; eo quod ſolum fundamẽtum proximum eſt, quod poteſt refundi in relationem; cùm ſolum illud indirectè, & reductiuè pertineat ad lineam relationis. Vndè veritas formaliter nunquam magis, & minus ſuſcipere valet, licèt fundamentaliter remotè magis, & minus ſuſcipere poſsit. At verò falſitas non ſolum fundamentaliter remotè magis, & minus ſuſcipere valet, verumetiã fundamẽtaliter proximè; quo circa magis, & minus formaliter ſuſcipere poteſt, quatenus magis, & minus fundamẽti proximi refuſum in ipſam relationem falſitatis facit ipſam magis, & minus formaliter ſuſcipere. Aduertendum tamẽ erit noſtram concluſionem non dependere à ſentẽtia aſſerente veritatem, & falſitatem eſſe aliquid relatiuum, & in relatione conſiſtere. Nam multi Thomiſtæ tuentur veritatem, & falſitatem conſiſtere in abſoluto; & tamen nullus Thomiſtarum à noſtra concluſione diſcordat: qua ratione admiſſi maiorem principalis replicæ qua admiſſa etiam ſubſiſtit ratio diſparitatis inter veritatem, & falſitatem.

3 Obijcies ſecundo. Sanitas ſuſcipit magis, & minus; ergo etiam veritas magis, & minus ſuſcipiet. Prob. conſeq. Sicut veritas conſiſtit in adæquatione iudicij intellectus cũ obiecto cognito, ita ſanitas conſiſtit in proportione, & æqualitate humorum; ergo ſi ſanitas magis, & minus ſuſcipit, etiam veritas magis, & minus ſuſcipiet. Confirm. 1. Eſſentia caloris in indiuiſibili conſiſtit: & tamen calor magis, & minus ſuſcipere poteſt; ergo quamuis veritas conſiſtat in indiuiſibili, magis, & minus ſuſcipere poterit. Prob. conſeq. Ideò calor ſuſcipit magis, & minus, quamuis eius eſſentia in indiuiſibili conſiſtat, quia calor maiori intenſione, & radicatione poteſt ab vno ſubiecto participari, quã ab alio: ſed etiam veritas, quamuis in ſua eſſentia in indiuiſibili conſiſtat, poteſt ab vno ſubiecto fortiori, & firmiori modo participari, quàm ab alio; ergo ſi calor ſuſcipit magis, & minus, etiã veritas formalis magis, & minus ſuſcipiet. Secundò. Veritas obiectiua ſuſcipit magis, & minus; ergo ſimiliter veritas formalis magis, & minus ſuſcipiet. Antecedens eſt certum, cum vnũ obiectum verius ſit alio. Cõſeq. verò prob. Sicut enim veritas formalis conſiſtit in adæquatione iudicij intellectus cum obiecto cognito, ita veritas obiectiua cõſiſtit in adæquatione obiecti cum iudicio intellectus, ergo ſi veritas obiectiua ſuſcipit magis, & mi-

minus, etiã veritas formalis magis, & minus ſuſcipere poterit. Tertio. Veritas tranſcendẽtalis ſuſcipit magis, & minus; ergo ſimiliter veritas formalis magis, & minus ſuſcipere poterit. Prob. conſeq. Sicut veritas tranſcendẽ talis ſequitur ad entitatẽ rei magis, & minus ſuſcipiẽtem, ita veritas formalis ſequitur ad entitatem intellectus magis, & minus ſuſcipientem; ergo ſi veritas tranſcendentalis ſuſcipit magis, & minus, etiam veritas formalis magis, & minus ſuſcipere valebit. Reſpond. diſting. anteced. ſanitas quatenus dicit perfectiſſimam cõmenſurationem humorum, ſuſcipit magis, & minus, nego anteced. quatenus dicit perfectiſſimam humorum commẽſurationem, vel illud, quod parũ deficit à perfectiſſima humorum commenſuratione, concedo anteced. & nego conſequent. Sanitas enim formaliter ſumpta non ſuſcipit magis, & minus, quia in proportione humorum conſiſtit. Et ſi vnus homo dicitur magis ſanus, quam alter, hoc non prouenit ex eo quod ſanitas formaliter magis, & minus ſuſcipiat, ſed hoc euenit ex eo quod hoc nomen *ſanum*, non eſt impoſitũ ad ſignificãdam ſolam perfectiſſimam commenſurationem humorum, ſed ad ſignificandã perfectiſſimam commẽſurationem humorum, vel illud, quod parũ deficit à perfectiſſima humorum commenſuratione; & cũ in hoc, quod eſt deficere à perfectiſſima humorum comenſuratione magis, & minus inueniatur, ideò vnus homo dicitur magis ſanus, quàm alter; in quo ſenſu concedit Philoſophus 10. Ethicorum ſanitatem magis, & minus ſuſcipere. At verò ſi hoc nomen *ſanũ* eſſet impoſitum ad ſignificãdam ſolam perfectiſſimam humorũ cõmenſurationem, tunc ipſa ſanitas nõ diceretur maior, & minor, vt eiſdem verbis docet D. Thom. 1.2. quæſt. 52. artic. 1. & cum hoc nomen *veritas* impoſitum ſit ad ſignificandam ſolam perfectiſſimam commẽſurationem intellectus cum re, & adæquationem iudicij intellectus cũ obiecto cognito: hinc prouenit, quod nõ dicatur vna veritas formaliter altera verior, & maior, nec vnus intellectus formaliter magis verus, quam alter. Si autẽ inquiras, cur ſicut hoc nomen *ſanum* impoſitum eſt ad ſignificãdam perfectiſſimam commẽſurationem humorum, vel id quod parum deficit à perfectiſſima humorum commenſuratione, ita ſimiliter hoc nomen *veritas*, non erit impoſitum ad ſignificãdam perfectiſſimam commenſurationem iudicij intellectus cum obiecto cognito, vel id quod parũ deficit à commenſuratione iudicij intellectus cum obiecto cognito. Tibi breuiter reſpondeo, quadam mirabili doctrina Angelici Præceptoris 3. p. quæſt. 3. art. 7. ad 2. argumentum in illis ver-

verbis : *Nominibus est vtendum secundum quod sunt ad significandum imposita, quod quidem est ex consideratione eorum, quæ apud nos sunt: & idcò oportet circa modum significandi, & consignificandi cõsiderare ea, quæ apud nos sunt:* Cum autem apud nos aliquis dicatur sanus, quamuis non habeat perfectissimam humorum commensurationem, dummodo parum deficiat à perfectissima humorum commensuratione, & apud nos nullus dicatur verus, nisi eius iudicium cum obiecto cognito adæquetur: hinc prouenit hoc nomen *sanum*, impositum esse ad significãdam humorum commensurationem, vel illud quod parum deficit ab humorum commensuratione, & hoc nomen *veritas* impositum esse ad significandam solã adæquationem iudicij intellectus cum obiecto cognito.

4 Ad primam confirm. dist. mai. Essentia caloris in indiuisibili consistit quantum ad prædicata essentialia, conc. mai. quantum ad prædicata accidentalia, nego mai. & sub eadem distinct. min. nego conseq. Ad probationem concessa maiori dist. min. fortiori, & firmiori modo fundamentaliter remotè, conc. minor. formaliter nego min. & cõseq. Etenim essentiæ rerum sunt sicut numeri consistentes in puncto indiuisibili, teste Arist. 8. metaph. vndè essentia caloris quãtum ad sua prædicata specifica, & essentialia in indiuisibili consistit, quia in sua specie non habet vnde diuidatur, & magis, & minus suscipiat, & idem dicendum erit de qualibet alia essentia. Caterum indiuisibilitas non est de ratione caloris eius essentiam constituens; quo circa illi non repugnat, quod modo diuisibili à subiecto participetur, & ex participatione subiecti magis, & minus suscipiat; quatenus vnũ subiectum maiori radicatione, quam aliud ipsum calorem participat. Vndè licèt essentia caloris, quantum ad prædicata essentialia in indiuisibili consistat, quantum ad prædicata accidentia, & ex participatione subiecti magis, & minus suscipere potest. At verò veritas quoad omnia consistit in indiuisibili, eo quod indiuisibilitas est de ratione veritatis ipsam in sua essentia constituens, siquidem per adæquationem consistentem in indiuisibili veritas formaliter constituitur, & idcircò non potest modo diuisibili à subiecto participari, sed quæcumque participant veritatem, oportet quod indiuisibiliter participent, aliàs illam non participarent. Vndè veritas formaliter sumpta ex nullo capite potest magis, & minus suscipere. Quæ solutio desumitur ex D. Thom. 1. 2. q. 52. art. 1. in corpore, de qua plura mittimus ad libros de Generatione. Ad 2. disting. antec. veritas obiectiua fundamentaliter, & in esse rei sus-

suscipit magis, & minus, concedo anteced. formaliter, & vt terminat adæquationem iudicij intellectus cum obiecto cognito, nego anteced. & consq. Obiectum enim iudicij veri, quod dicitur veritas obiectiua prædicamenta is dupliciter potest considerari, vno modo in esse rei præscindēdo à terminatione adæquationis iudicij intellectus cum ipso; alio modo, vt terminat adæquationē iudicij intellectus cum ipso. Si primo modo consideretur magis, & minus, suscipere potest, quatenus vnum obiectū in esse rei perfectius est alio, sicut hoc obiectum *Deus est* perfectius est in esse rei, hoc obiecto *Petrus est*. Si vero secundo modo consideretur, non suscipit magis, & minus, eo quod terminat adæquationem consistentem in indiuisibili. Ad tertiam concesso antecedenti, nego consequētiam. Veritas enim transcendentalis sequitur ad entitatem, seu actualitatem rei secūdum quod apta nata est conformari cum intellectu: & cum diuersæ sint actualitates, quarum vna alia est perfectior, & proportionabilior cum intellectu, ideò vna veritas transcendentalis altera est maior. At verò veritas formalis sequitur ad intellectum, vt adæquatum cum obiecto cognito, vel est ipsamet adæquatio. Quo circa magis, & minus non suscipit.

5 Obijcies tertio. Veritas formalis analogicè dicitur de creata, & increata; ergo veritas formalis increata maior est veritate creata. Patet consequentia. Nā in analogatis datur principalius analogatum, & minus principale analogatum. Antecedens vero probatur. Deo, & creaturæ nihil datur commune vniuocum; ergo veritas formalis analogicè dicitur de veritate creata, & increata. Confirmat. primo. Veritas formalis creata est participatio veritatis formalis diuinæ; ergo veritas formalis creata suscipit magis, & minus. Probatur conseq. Omne participatum à Deo potest magis, & minus accedere ad diuinam perfectionem; ergo omne participatum à Deo potest magis, & minus suscipere. Confirmat. secundo. Veritas transcendentalis analogicè dicitur de veritate creata, & increata; ergo similiter veritas formalis analogicè dicetur de veritate formali creata, & increata. Resp. disting. antec. Veritas formalis materialiter, & in esse entis analogicè dicitur de veritate creata, & increata, concedo antec. formaliter, & in ratione veritatis, nego anteced. & consequentiam. Ad probationem antecedētis distinguo antecedens, in ratione entis, concedo antecedēs, in ratione veri formaliter, nego antecedens, & consequentiam. Etenim veritas formalis dupliciter potest considerari, vel secundum

entitatem, quam importat, vel secundum adæquationem cũ obiecto cognito, quam dicit; primo modo considerata analogicè dicitur de veritate creata, & increata, secundo vero modo inspecta non dicitur analogicè, sed vniuocè, eo quod isto modo inspecta, cũ consistat in indiuisibili, in illa nõ datur magis, & minus, & ideò nec analogia. Ad primã confirm. disting. antec. Veritas formalis creata materialiter, & in esse rei, est participatio veritatis formalis diuinæ, concedo anteced. formaliter, & in ratione adæquationis cum obiecto, nego antec. & distinguo consequens; ergo veritas formalis creata suscipit magis, & minus, quantum ad entitatem, concedo conseq. quantum ad æqualitatẽ, & adæquationẽ cum obiecto cognito, in qua formaliter cõsistit veritas formalis, nego conseq. Veritas enim formalis creata, quatenus comparatur ad Deum, vt est prima causa perfectionis, non dicit indiuisibilitatem. Quo circa secundum istam considerationem magis, & minus suscipere valet, & est aliquid participatũ à Deo. At verò, quatenus comparatur ad obiectum cognitum per adæquationem cum illo indiuisibilitatem dicit, & ideò nec suscipit secundum istam considerationẽ magis, & minus, nec est aliquid participatum à Deo: & cũ in ratione veritatis formaliter sumptæ non ad Deum, sed ad obiectum cõparetur per adæquationẽ cum illo; hinc prouenit, quod licet in ratione entis secundum quam ad Deum comparatur sit aliquid participatũ à Deo, & magis, & minus suscipiat in ratione tamen veritatis formalis formaliter sumptæ secundum quã non ad Deum, sed ad obiectum cum quo adæquatur comparatur, non est aliquid participatum à Deo, nec suscipit magis, & minus, quia secundum istam rationem, non ad Deum, sed ad obiectum comparatur. Exemplum est in æqualitate creata, quæ in ratione entis participatur ab æqualitate diuina, in qua ratione minor est æqualitate diuina. At verò in nõ recedendo à puncto æqualitatis, & cõformitatis cum suo termino, non est minor æqualitate diuina. Nam si ab illa secundũ istã rationem caderet, iam non esset æqualitas, sed inæqualitas, siquidem deficeret à pũcto æqualitatis cũ suo termino, similiter numerus ternarius creatus in ratione entis, à numero ternario diuino participatur, & secũdum istã rationem ab illo cadit, at verò in hoc, quod est habere tertiam vnitatem vt vltimam, nullatenus ab illo cadit; si enim secundum istam rationem aliquo modo ab illo caderet, iam non esset numerus ternarius, sed binarius. Quæ solutio desumitur ex D. Thoma loco 1. 2. citato illis verbis: *Quando indiuisibilitas est de ratione formæ, oportet, quod quæ-*

quæcumque illam participant, illam indiuisibiliter participent. Sed adhuc manet scrupulus. Nam veritas formalis creata, etiam formaliter sumpta, & in ratione adæquationis cum obiecto cognito, est secunda veritas, & veritas diuina prima veritas: sed omne secundum deficit à primo; ergo veritas formalis creata, etiam formaliter sumpta, & in ratione adæquationis cum obiecto cadit à veritate diuina, & minor est illa. Secundo. Nam si veritas diuina, & veritas formalis creata in ratione veritatis, & adæquationis vniuocè conuenirent, in Deo daretur compositio ex genere & differentia. Consequens est falsum; ergo, & antecedens. Maior probatur. Veritas formalis, vt sic esset prædicatum genericum præcisum à differentijs; ergo facere compositionem metaphysicã, cum illo per quod contrahitur ad veritatem diuinam; ac per consequens in Deo daretur aliqua compositio metaphysica. Tertio. Sapientia formaliter sumpta analogicè dicitur de sapientia creata, & increata; ergo similiter veritas formalis formaliter sumpta analogicè dicetur de veritate formali creata, & increata. Respõdetur solutionem datam esse legitimam, & ad primam replicã, nego maiorem. Etenim veritas formalis creata formaliter sumpta, & in ratione adæquationis iudicij intellectus cũ obiecto cognito, solum materialiter à Deo dependet, & solum materialiter, & in ratione entis est secunda veritas; eo quod solum secundum istam rationem comparatur ad Deum, tanquam ad primam causam, à qua accipit entitatem, & perfectionem. Omnis enim causalitas, & dependentia veritatis formalis creatæ à Deo est in genere entis in quo solum genere à Deo, vt à prima causa causatur. At verò veritas formalis creata formaliter sumpta in ratione adæquationis, nec dicit dependentiam à Deo, nec esse secundam veritatem, quia in ratione adæquationis, cum consistat in puncto indiuisibili, nec datur formaliter dependens, nec formaliter primum, & secundum. Ad secundam nego maiorem. Ad probat. nego antec. Licet enim veritas formalis, vt sic formaliter sumpta sit prædicatum vniuocum ad veritatem formalem creatam, & increatam formaliter sumptas, non tamen est prædicatum genericum præcisum à differentijs, eo quod non est prædicatum habẽs differentias, per quas contrahatur, & ideò non est genericum, sed specificum, & athomum indiuisibiliter participabile à pluribus subiectis, cum quibus non facit compositionem metaphysicam; quia subiecta nõ respicit, vt differentias intraneas contractiuas, sed vt subtracta materialia in quibus potest inueniri.

Quo circa non sequitur ex nostra solutione, quod in Deo detur aliqua metaphysica compositio, sicut ex eo quod Deus, & creatura vniuocè conueniant in ratione obiecti specificatiui nostri intellectus, non sequitur in Deo dari compositionem metaphysicã, eo quod obiectum specificatiuum nostri intellectus, nõ est prædicatum genericum habens differentias per quas contrahatur, sed est prædicatũ specificum athomum. Ad tertiam admisso antecedenti, nego consequentiam. Disparitas consistit in hoc, quod sapientia est cognitio rei per altissimas causas: & cum diuina sapientia cognoscat rem per altiores causas, quam sapientia creata, & plus penetret de re cognita diuina sapientia, quàm creata: hinc prouenit, sapientiam posse magis, & minus suscipere, & analogicè dici de sapientia creata, & increata. At verò veritas formalis (vt sæpè sæpius repetitum est) in æqualitate, & adæquatione iudicij intellectus cum obiecto cognito consistit: & cum hæc non suscipiat magis, & minus, ideò veritas formalis formaliter sumpta non dicitur analogicè de veritate formali creata, & increata. Ad tertiam confirmationem principalis argumenti ex dictis ad tertiam cõfirmationem præcedentis argumenti constat solutio. Nec refert si dicas, ex ista doctrina inferri veritatẽ transcendentalem increatam, non esse magis aptam natam conformari cum nostro intellectu, quam veritatem transcendentalem creatam. Non inquam hoc refert. Veritas enim transcendentalis increata ex se magis apta nata est conformari cum nostro intellectu, quam veritas transcendentalis creata, licet ob debilitatem nostri intellectus, non sit cum illo magis proportionata, quam veritas transcendentalis creata. Quapropter veritas transcendentalis increata secundum se semper est maior veritate transcendentali creata.

6 Obijcies quarto. Vna propositio est magis necessaria, quam alia; ergo vna propositio erit magis vera, quam alia. Antecedens est certum, & consequentia tenet à paritate rationis. Confirmatur primò. Vna propositio est certior altera formaliter; ergo, & verior altera formaliter. Secundò. Vna bonitas est maior altera formaliter; ergo similiter vna veritas erit maior altera. Probatur consequentia. Sicut veritas consistit in adæquatione iudicij intellectus cum obiecto cognito, ita bonitas consistit in conformitate cum regulis rectæ rationis; ergo si vna bonitas est maior altera formaliter, etiã vna veritas erit altera maior formaliter. Tertio. Visio beatifica perfectior est fide; ergo visio beatifica ve-

verior erit formaliter fide. Patet conseq. Fides enim, & visio beatifica sunt actus intellectus veri; ergo si visio beatifica est formaliter perfectior fide, etiam erit formaliter fide verior. Respond. conced. antec. & neg. consequent. Ratio discriminis in hoc consistit, quod propositio dicitur necessaria ex eo quod non possit aliter se habere: & cum vna propositio possit difficilius aliter se habere, quam alia, eo quod potest habere vna maiorem, & firmiorem connexionē extremorum, quam alia. Maiori enim connexione connectitur rationale cum homine, quam risibile: hinc fit, quod vna propositio possit esse magis necessaria, quam alia. At verò veritas formalis consistit in adæquatione, & æqualitate iudicij intellectus cum obiecto cognito, quæ non suscipit magis, & minus, vt dictum est: & idcircò vna propositio, non potest esse altera verior formaliter. Ex ista solutione sequitur, quòd vna propositio potest esse magis per se, quā alia, eo quod perfectas propositionis sequitur ad eius necessitatē; ergo si vna propositio est magis necessaria quā alia, etiā vna erit magis per se, quam alia. Ad primam confirm. concesso anteced. negāda est consequētia, cuius disparitas stat in eo quod certitudo (vt ait D. Thom. 3. Sentent. dist. 23. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 3. in corpore) est adhæsio, & determinatio intellectus ad obiectum, & cum adhæsio, & determinatio intellectus ad obiectum causatur à perceptione obiecti, & vnum obiectum potest magis percipi, & videri, quàm aliud; siquidem vnū obiectum percipitur, & videtur ab intellectu in se ipso, & immediatè, sicut prima principia, & aliud mediatè, sicut conclusio: hinc prouenit, quod vna certitudo potest esse maior, quam alia. At verò veritas in puncto indiuisibili consistit, quo circa vna non est maior alia. Ex ista solutione sequitur vnā propositionem esse euidentiorem, & clariorem alia. Nam euidentia, & claritas consistit in manifestatione obiecti medio lumine intellectus: sed vnum lumen intellectus est maius alio, sicut lumen primorum principiorum maius est lumine conclusionis; ergo vna propositio euidentior, & clarior potest esse altera. Sed contra istam solutionem replicabis primo. Certitudo in veritate fundatur; ergo si certitudo suscipit magis, & minus, etiam veritas magis, & minus suscipiet. Patet consequentia. Fundatum enim cum fundamento debet proportionem habere; ergo si certitudo in veritate fundatur, & suscipit magis, & minus, etiam veritas magis, & minus suscipiet. Secundo. Sicut veritas formalis dicit adaquationē iudicij intellectus ad obiectum cognitū cū negatione excessus,

& defectus, ita necessitas dicit ad hæsionem intellectus ad rem cum negatione cõtingentiæ, & certitudo cum omnimoda negatione formidinis, euidẽtia, & claritas cum omnimoda negatione obscuritatis; ergo si necessitas, certitudo, claritas, & euidentia magis, & minus suscipiunt, etiã veritas formalis magis, & minus suscipiet. Resp. solutionem datã esse legitimã: & ad primã replicam distinguo antec. certitudo fundatur in veritate, tanquam in aliquo præsuppositio, concedo anteced. tanquam in fundamẽto à quo habet esse, nego antec. & cõseq. Itaque licet certitudo veritatẽ supponat, à veritate tamẽ non accipit suum esse, sed ex vno capite desumitur veritas, & ab alio desumitur certitudo. Nam certitudo desumitur à perceptione obiecti, & veritas ad adæquationem iudicij intellectus cum obiecto cognito. Vnde licet certitudo supponat veritatẽ, tamen non accipit suum esse à veritate, sicut gratia causata per Sacramentum supponit significationem Sacramenti, & tamen non habet suum esse ex significatione Sacramenti, sed ex virtute physica Sacramenti. Et instò argumentum. Nam diuisibilitas quantitatis sequitur ad essentiam quantitatis indiuisibilem; ergo licet certitudo ad veritatem sequeretur, poterat veritas consistere in indiuisibili, & non certitudo. Ad secundam admisso antecedenti, nego conseq. cuius discrimen est. Nam aliud est dicere negationem excessus, & defectus, & aliud dicere negationem sui oppositi. Multæ enim sunt formæ, quæ omnimodam negationem sui oppositi dicunt: & tamẽ magis, & minus suscipiunt, sicut gratia, charitas, scientia, dicunt omnimodam negationem sui oppositi: & tamen magis, & minus suscipiunt. At vero forma dicens negationem excessus, & defectus semper consistit in puncto indiuisibili: & cum certitudo, euidentia, necessitas, & claritas solum dicãt negationem sui oppositi, veritas vero negationem excessus, & defectus importet: hinc fit, quod licet certitudo euidentia, necessitas, & claritas magis, & minus suscipiant; veritas tamẽ magis, & minus non suscipit. Vnde non est eadẽ ratio. Ad secundã principalis argumenti confirm. distinguo antec. vna bonitas est maior altera formaliter, quãtum ad conformitatẽ cum regulis rectæ rationis, nego antec. quantum ad entitatem, & perfectionem ex aliis capitulis prouenientem, concedo antec. & nego conseq. Itaque actus bonus duo dicit, & conformitatẽ cum regulis rectæ rationis, & tendentiam ad obiectum. Ex 1. capite non suscipit magis, & minus, ex 2. vero capite, iuxta excessum obiecti ad quod tendit magis, & minus suscipere valet; & ideò actus cha-

ri-

ritatis magis bonus est, quam actus temperantiæ; eo quod Deus, qui est obiectum charitatis perfectior est, quam refrenatio passionum, quæ est obiectum temperantiæ. At verò veritas formalis solum dicit adæquationem iudicij cum obiecto cognito. Quo circa ex nullo capite ad veritatem formalem formaliter pertinente potest magis, & minus suscipere; ac proinde ex ipsa bonitate potest contra arguentem retorqueri argumentum. Nam si bonitas ex capite adæquationis, & conformitatis cum regulis rectæ rationis, non suscipit magis, & minus, si veritas solam adæquationem importat, ex nullo capite magis, & minus suscipere valebit. Ex ista solutione sequitur vnum bonum, etiam posse esse maius alio non ex capite conformitatis cum regulis rectæ rationis, sed quatenus vnum bonum magis excludit contrarium, quam aliud. & hoc modo Deus est summum bonum excludens omne malum; bona autem creata sunt minus bona; eo quod nunquam inueniuntur ab omni imperfectione liberata. Sed contra istam solutionem adhuc replicabis. Ergo similiter veritas formalis poterit magis, & minus suscipere, quatenus tendit circa obiectum magis, & minus perfectum. Patet consequentia. Sicut enim actus bonus dicit conformitatem cum regulis rectæ rationis, & tendentiam ad obiectum, ita actus verus dicit adæquationem iudicij intellectus cum obiecto cognito, & tendentiam ad obiectum cognitum; ergo si actus bonus moraliter ex obiecto ad quod tendit, suscipit magis, & minus, etiam actus verus formaliter ex obiecto, ad quod tendit suscipiet magis, & minus. Respond. negando consequentiam. Ad prob. distinguo antecedens. ly *sicut* dicente omnimodam paritatem, nego antec. aliqualem, concedo antecedens. & nego cõsequentiam. Verum enim est, quod tam actus bonus, quàm verus dicunt tendentiam ad obiectum; vnde in hoc est paritas in vtroque actu. Cæterum non eodem modo actus bonus, & actus verus respiciunt obiectum. Nam actus bonus non respicit obiectũ per adæquationem cum illo, vnde potest magis, vel minus benè attingere illud, & circa obiectum magis, vel minus perfectum versari. Adæquatio enim actus boni moraliter non est cum obiecto, sed cum regulis rectæ rationis. At verò actus verus formaliter respicit obiectum per adæquationem cum illo, & vt adæquatum ipsi: & cum obiectũ vt adæquatum cum iudicio intellectus, & quatenus terminat istam adæquationem, nõ suscipiat magis, & minus, vt dictum est in solutione secundæ cõfirmationis primi argumenti: hinc prouenit, quod licet actus bonus ex tendẽtia ad obiectum magis, & minus

susciplat, actus tamen verus ex tendentia ad obiectum magis, & minus susciperc non valet. Nec refert si it rum dicas actum bonum etiam respicere obiectum, vt adæquatum cũ regulis rectæ rationis, secundum quam rationem obiectum illius non susciplt magis, & minus; ergo solutio est nulla. Fateor istam replicam valdè probabilem, reddere sententiam asserentem bonitatem moralem formaliter sumptam non susciperc magis, & minus, & actum charitatis solum materialiter esse magis bonum actu tẽperantiæ; & ideò ad illam respõdeo, quod actus moraliter bonus, quatenus importat adæquationem, & conformitatem cum regulis rectæ rationis, & similiter quatenus respicit obiectum vt conform., & adæquatum cũ regulis rectæ rationis, non susciplt formaliter magis, & minus; in hac enim ratione eodem modo discurrẽdum est de illo, ac de actu vero. Cæterum, quia bonitas moralis actus etiam desumitur ex fine, & ex circunstantijs, ideò ex his capitibus potest actus moralis bonus magis, & minus susciperc, vnde sicut actus moralis bonus, quantum ad adæquationem, quam importat non susciplt magis, & minus, ita actus verus, quantum ad adæquationẽ cum obiecto, in qua formaliter consistit veritas, nõ susciplt magis, & minus, licet aliunde possit magis, & minus susciperc, nõ in ratione veritatis, sed in alia ratione. Insuper potest reddi alia discriminis ratio. Nam bonitas moralis, & formalis amplectitur adæquationem cum regulis rectæ rationis perfectionẽ obiecti, finem, & circunstantias; quo circa ab aliquo ex hijs, quæ amplectitur potest magis, & minus formaliter susciperc, quamuis à cõformitate, & ab adæquatione magis, & minus non susciplat. At verò veritas formalis solam adæquationẽ cum obiecto cognito importat, & ideò formaliter sumpta magis, & minus non susciplt; sed de hoc, quod dictum est sufficiat. Non enim est huius loci præsentem difficultatẽ disputare; quapropter illam libenter omittimus, & ad Theologos 1.2. quæst. 18. mittimus. Ad tertiam confirmationem principalis argumenti, distingo anteced. perfectior est fide in ratione cognitionis, concedo antec. in ratione veritatis, & adæquationis cum obiecto cognito; nego anteced. & conseq. Licet enim visio beatifica in ratione cognitionis Dei sit perfectior fide; eo quod clarè attingit Deum, & fides obscurè, tamen in ratione adæquationis cum obiecto non est perfectior fide, quoniam ita adæquatur fides cum Deo cognito per ipsam, sicut visio beatifica. Quapropter in ratione veritatis formalis, non datur excessus

ſus viſionis beatificæ ſupra fidē diuinam.

7 Obijcies quinto. Veritas formalis fundamentaliter ſumpta, & ineſſe rei ſuſcipit magis, & minus; ergo formaliter ſumpta etiam magis, & minus ſuſcipiet. Probat. conſequentia. Veritas fundamētalis eſt cauſa fundamentalis veritatis formalis: ſed ad incrementum cauſæ creſcit effectus; ergo ſi veritas fundamentalis ſuſcipit magis, & minus, etiam veritas formalis magis, & minus ſuſcipiet. Confirmatur primo hoc argumentum. Concluſio eſt vera propter præmiſſas; ergo præmiſſæ ſunt magis veræ; ac per conſequens iam vna propoſitio eſt verior altera formaliter. Probat. conſequent. Nam ſecundum Ariſtotel. 4. metaphyſicæ, textu 4. *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*, ergo ſi concluſio eſt vera propter præmiſſas, præmiſſæ erunt magis veræ, vt docet Philoſophus primo poſteriorum c. 2. Secundo Albedo in ſua ſpecie dicit indiuiſibilitatem, & non ſuſcipit magis, & minus: & tamen in indiuiduo magis, & minus admittit; ergo pariter licet veritas in ſua ſpecie dicat indiuiſibilitatem, & non ſuſcipiat magis, & minus, in indiuiduo tamen poterit magis, & minus ſuſcipere. Tertio. Infinitum dicit negationem finiti, & vltimæ vnitatis, & ſimiliter vnitas dicit negationem diuiſionis: & tamen infinitum, & vnitas magis, & minus ſuſcipiunt; ergo licet veritas dicat negationem exceſſus, & defectus, poterit magis, & minus ſuſcipere. Quarto. Veritas, & falſitas opponuntur contrariè: ſed contrariè oppoſita magis, & minus ſuſcipiunt; ergo veritas, & falſitas magis, & minus ſuſcipiunt. Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiã. Ad probationem admiſſa maiori, iuxta dicta in ſolutione ad primam replicam ſolutionis primæ confirmationis quarti argumẽti, diſtinguo minorem; quando effectus non conſiſtit in indiuiſibili, concedo minorem; quando in indiuiſibili conſiſtit, nego minorem, & conſequentiam. Licet enim, quando effectus non conſiſtit in indiuiſibili, & ſuſcipit magis, & minus ad incrementum cauſæ, creſcat etiam ipſe effectus; quando tamen effectus conſiſtit in indiuiſibili ad incrementum cauſæ nos creſcit effectus: & cum veritas formalis fundata in veritate fundamentali conſiſtat in indiuiſibili: hinc prouenit, quod quantumvis creſcat veritas fundamentalis, veritas tamen formalis ſemper manet in eodem puncto, non ſuſcipiendo incrementum penes magis, & minus. Et iſto argumentum in paternitate, quæ fundatur in actione generatiua,

ſeu

seu in potentia generatiua cõnotante actionem generatiuam, & tamen quamuis crescat potentia generatiua, & actio generatiua, non tamen crescit paternitas; quoniam tam pater est ille, qui vnicum genuit filium, sicut ille, qui centum filios genauit: similiter æqualitas fundatur in quãtitate; & tamen non crescit ad quantitatis incrementum; nam tota æqualitas est inter duas virgas vnius palmi, sicut inter duas virgas viginti palmorũ. Ad primam confirmationem concesso antecedenti neganda est conseq. Ad probationem dicatur prædictum axioma debere intelligi, quando forma illius, quod est propter aliud est diuisibilis, & suscipit magis, & minus, non verò quando forma illius, quod est propter aliud in indiuisibili consistit; sicut hæc consequentia non valet. Petrus est homo propter Paulum Patrẽ suum; ergo Paulus est magis homo, quæ explicatio est D. Thomæ q. 2. de Veritate, art. 9. ad 1. quam nos etiam tradidimus in nostra Logica lib. vlt. q. 4. Ad authoritatem Philosophi dicatur Philosophum in prædicto loco, nõ asseruisse præmissas veriores esse conclusione, sed solum docuisse præmissas esse magis necessarias, & certiores conclusione, quod nos libenter fatemur. Ad secundam confirm. distinguo mai. dicit indiuisibilitatem, tanquam conditionẽ speciei, concedo mai. tanquam rationem formalem constitutiuam albedinis, nego mai. & concessa min nego conseq. Diuersimode stat in hoc, quod albedo in sua specie dicit indiuisibilitatem, tanquam conditionem speciei communẽ, & generalem ad omnes species; eo quod species rerum sunt, sicut numeri, non tamen dicit indiuisibilitatem, tanquam rationem formalem, per quam constituatur; quoniam albedo non per indiuisibilitatem constituitur, sed per aptitudinalem inhærentiam cum speciali qualificatione subiecti. At verò veritas formalis dicit indiuisibilitatem, tanquam rationem formalem ipsius constitutiuam; siquidem per adæquationem intellectus cum obiecto cognito constituitur. Vnde non est eadem ratio, vt dictum est in solutione primæ confirmationis argumenti 2. Ad tertiam confirmat. concessa mai. disting. min. fundamentaliter, concedo min. formaliter, nego min. & disting. consequens distinct. min. Infinitum enim, & vnitas formaliter magis, & minus non suscipiunt, licet fundamentaliter magis, & minus suscipiant, quatenus infinitum, & vnitas important entitatem positiuam, quæ potest esse maior, vel minor. Sed contra istam solutionem replicabis. Ergo falsitas, licet fundamentaliter magis, & minus suscipiat, formaliter tamen magis, & minus nõ suscipit: consequens est contradicta; ergo, & anteced. Prob. cõseq.

seq. Sicut enim infinitum dicit negationem finiti, & vltimæ vnitatis, & vnitas dicit negationem diuisionis, ita falsitas dicit negationem veritatis, & adæquationis; ergo si negatio finiti, & diuisionis non suscipit formaliter magis, & minus, etiam negatio veritatis, & adæquationis non suscipiet formaliter magis, & minus; ac per consequens, vel falsitas formaliter non suscipit magis, & minus, vel si magis, & minus suscipit formaliter, etiã infinitum, & vnitas magis, & minus suscipiunt formaliter. Ad istam replicam poteram consequentiam concedere, & dicere falsitatem formaliter sumptam, quatenus dicit negationem adæquationis magis, & minus non suscipere. Cæterum substinendo, quæ diximus in solutione primi argum. nego conseq. Discrimen consistit in hoc. Nam falsitas dicit negationem adæquationis iudicij intellectus cum obiecto cognito, quæ negatio est merus recessus à veritate, & cum recedere à veritate magis, & minus suscipiat, vt patet in ægritudine recedente à sanitate, quæ magis, & minus suscipit, & vna ægritudo est altera maior: hinc prouenit falsitatem formaliter sumptam magis, & minus suscipere. At verò infinitum, & vnitas dicunt negationem finiti, & diuisionis, quæ negatio non est merus recessus, sed potius peruenientia ad perfectionem infinitatis, & vnitatis: & cum in hoc, quod est ad aliquid peruenire non detur magis, & minus; hinc prouenit infinitum, & vnitate magis, & minus, non suscipere formaliter. Vel si tibi non placet prædicta solutio, poteris ad tertiam principalis argumenti confirmationem, maiorem, & minorem concedere, & negare cõseq. Ratio disparitatis erit, quod infinitum, & vnitas dicunt negationem sui contrarij; at verò veritas formaliter sumpta dicit negationem excessus, & defectus; quo circa non est eadem vtriusque ratio. Recolantur dicta in solutione secundæ replicæ contra solutionem primi confirmat. 4 arg. Ad 4. princip. argu. confirm conc. mai. & distin. min. contraria, quæ habent latitudinẽ gradualem, conc. min. contraria non habentia latitudinem gradualem, nego minor. & conseq. Quando enim vtrumque contrariorum non habet latitudinẽ gradualem, non est necesse vtrũque magis, & minus suscipere, sicut *par*, & *impar*, sunt contraria: & tamen vtrumque magis, & minus non suscipit; cum par cõsistat in indiuisibili. Sed replicabis. Contrariorum eadem est disciplina: sed veritas, & falsitas sunt contraria, & falsitas suscipit magis, & minus; ergo etiam veritas magis, & minus suscipiet. Respon distinguendo mai. Contrariorum eadem est disciplina, quantum ad id in quo conueniunt,

conc.

conc. mai. quantum ad id in quo opponuntur, nego mai. & conceſſa min. nego conſeq. In illo enim in quo contraria conueniunt, eandem debent habere diſciplinam; ſecus verò in illo in quo non conueniunt, ſed opponuntur: & cum in hoc quod eſt conſiſtere in indiuiſibili non cōueniant falſitas, & veritas: hinc fit, quod ex eo quod falſitas formaliter ſumpta ſuſcipiat magis, & minus, inde tamen non ſequatur veritatem formaliter ſumptam magis, & minus ſuſcipere. Et inſto argumentum *Par* enim, & *impar* ſunt contraria: & tamē *impar* ſuſcipit magis, & minus, ſecus verò *par*. Similiter virtus, & vitium ſunt contraria: & tamen virtus in medio conſiſtit, ſecus verò vitium. Nec refert, ſi dicas priuationem etiam conſiſtere in indiuiſibili; ergo falſitas, quæ dicit priuationem adæquationis iudicij intellectus cū obiecto cognito conſiſtet in puncto indiuiſibili. Prob. antec. Priuatio vitæ naturalis non ſuſcipit magis, vel minus; ſiquidem vnus homo non dicitur magis, vel minus mortuus, quam alter; ergo priuatio conſiſtit in puncto indiuiſibili. Non inquam hoc refert, licèt enim priuatio ſimpliciter talis, quæ vocatur priuatio in facto eſſe, non ſuſcipiat magis, vel minus, eo quod nihil vitæ relinquit, ſed tota vita priuat: tamen priuatio ſecundum quid talis, & in fieri magis, & minus ſuſcipere poteſt; quia non toto priuat, ſed ſolum aliquo: & cum falſitas, & ſimiliter peccatum non importent priuationem ſimpliciter talem, & in facto eſſe, ſicut mors, & cæcitas: hinc prouenit, quod magis, & minus ſuſcipere poſsint. Exemplum eſt in ægritudine, quæ quia eſt priuatio in fieri, & non in facto eſſe magis, & minus ſuſcipere poteſt; ſecus verò mors, quæ eſt priuatio in facto eſſe priuans per totalem deſtructionem compoſiti. Quæ ſolutio deſumitur ex D. Thom. 1.2.q.73.art.2.

8 Obijcies vltimo. Non omnes veritates ſunt eiuſdem ſpeciei: ſed ſpecies neceſſariò ſe debent in perfectione excedere; ergo vna veritas eſt maior altera formaliter. Minor eſt certa. Etenim ſpecies rerum ſunt ſicut numeri in perfectione ſe inuicem excedentes, teſte Ariſt. loco in 2. argum. relato Mai. verò prob. 1. Veritas formalis intellectus diuini non poteſt ſpecificè athomè conuenire cum veritate formali intellectus creati; ergo non omnes veritates ſunt eiuſdē ſpeciei. Secundo. Nam multæ veritates formales habent diuerſiſſima obiecta; ergo diſtinguntur ſpecie. Tertio. Nam ideò veritates formales non diſtinguerētur ſpecie, quia veritas formalis in indiuiſibili conſiſtit: ſed hæc ratio eſt nulla; ergo non omnes veritates formales ſunt eiuſdem ſpeciei. Min. prob. Subſtantia cōſiſtit

siſtit in indiuiſibili: & tamen nō omnes ſubſtantiæ ſunt eiuſd. m ſpeciei; ergo ex eo quod veritas formalis conſiſtat in indiuiſibili, nō ſequitur omnes veritates formales eſſe eiuſdē ſpeciei. Quarto. Nam æqualitas reperta inter diuinas perſonas, non conuenit ſpecie athoma cū æqualitate reperta inter duas quantitates bicubitas; ergo ſimiliter veritas formalis reperta in intellectu diuino, non conueniet ſpecie athoma cum veritate formali reperta increato intellectu. Cōfirm. hoc argumentū. Hæc propoſitio, *homo eſt lapis* eſt formaliter falſior iſta propoſitione, *homo non eſt albus*; ergo hæc propoſitio, *homo nō eſt lapis* erit formaliter minus vera, quā iſta, *homo eſt albus*. Probat. conſeq. Maior falſitas magis deſtruit de veritate: ſed hæc propoſitio, *homo eſt lapis* opponitur huic propoſitioni, *homo non eſt lapis*, & hæc *homo non eſt albus* opponitur huic, *homo eſt albus*, & hæc, *homo eſt lapis* eſt magis falſa formaliter, quā iſta, *homo non eſt albus*, ergo hæc propoſitio, *homo non eſt lapis*, minus vera erit formaliter quam iſta, *homo eſt albus*. Et vrgebitur argumētum ſi prædictæ propoſitiones fiant contradictoriæ ponendo ſubiectum illarum ſingulare. Secundo. Veritas formalis cōſiſtit in relatione tranſcendentali iudicij intellectus ad obiectum cognitū: ſed relatio tranſcendentalis magis, & minus ſuſcipere poteſt; ergo veritas formalis magis, & minus ſuſcipere poterit. Denique. Scientia ſuſcipit magis, & minus; ergo etiam veritas formalis. Ab hoc argumento vix expedire nos poſſumus; tamen ad illud reſpōdetur negando maiorem. Ad primam probationem nego antec. Etenim veritas formalis, vt ſic non habet ſub ſe plures ſpecies ad quas per differentias deſcendat, (vt dictum eſt in ſolutione ſecundæ replicæ contra ſolutionem primæ confirmationis tertij argumenti) ſed ipſa eſt ſpecies athoma participabilis à pluribus ſubiectis, in quibus tanquam in ſubſtractis materialibus inuenitur. Et ratio eſt. Nam cum ipſa conſiſtat in puncto indiuiſibili, de qualibet veritate formali in particulari prædicatur dicendo totam eſſentiam veritatis formalis in particulari, & non ſolum partem eſſentiæ veritatis formalis in particulari: & cum ſpecies athoma prædicetur de inferioribus dicendo totam eſſentiam illorum, & genus de ſuis inferioribus prædicetur, dicendo ſolam partem eſſentiæ illorum: hinc prouenit veritatem formalem, vt ſic eſſe ſpeciem athomam, & non genus habens ſub ſe plures ſpecies, ad quas per differentias deſcendat; vnde non dantur plures ſpecies veritatis formalis, ſed veritas formalis in ſe ipſa eſt ſpecies athoma. Exemplū erit in obiecto ſpecificatiuo noſtri intellectus, quod in ra-

ratione obiecti specificatiui est species athoma non habens sub se species ad quas per differentias descendat. Nam ens, vt sic sub ratione veri, qua ratione est obiectum specificatiuum, est impossibile, quod determinetur ad aliquam speciem, quia eo ipso quod determinetur, iam nō erit ens vt sic, sed ens determinatum; ac per consequens iam non erit obiectum specificatiuum nostri intellectus. Quapropter licèt homo sit ens, non tamen est obiectum nostri intellectus. Similiter ergo veritas formalis est species athoma, non habens sub se plures species, ad quas per differentias descendat, quia non descendit dicendo partem; cum ipsa vt potè indiuisibilis nō habeat partes, sed dicendo totam essentiam cuiuscūque inferioris. Quo circa, vt species athoma descendit, & prædicatur de suis inferioribus. Ad secundam probationem dicatur, multas veritates formales habere diuersissima obiecta materialiter, non verò formaliter, quoniam omnia obiecta veritatum formalium in ratione adæquationis cum iudicio intellectus, & in terminare iudicium adæquatum intellectus formaliter conueniunt. Vndè licèt veritates formales distinguantur quasi specie materiali, & in ratione entis, specie tamen formali, & in ratione adæquationis nō distinguuntur formaliter. Recollantur dicta in solutione secundæ confirm. 2. argum. Ad 3. probat. conc. mai. nego min. Ad probat. conc. mai. & distin min non omnes substantiæ sunt eiusdem speciei in ratione entis, vel in alia ratione, cōc. min. in ratione substantiæ formaliter, nego min. & conseq. Itaque omnes substantiæ in ratione formalissima substantiæ, quatenus substantia dicit esse per se, & non in alio tanquam in subiecto, sunt eiusdem speciei athomæ; eo quod substantia secundum istam rationem de qualibet substantia in particulari dicendo totam illius essentiā prædicatur in ratione substātiæ; quo circa omnes substantiæ in ratione formali substantiæ, & in eo quod est habere esse per se, & nō in alio specie athoma conueniūt, & vna non est magis substantia quàm alia, licèt in ratione substantiæ, quatenus substantia cōsideratur in ordine ad esse, & dicit subsistere, & existere per se solum analogicè conueniant, & vna maior, & perfectior sit altera, quia substantia diuina est suū esse, & identificat sibi suam subsistentiam, & existentiam, substantia verò creata non est suum esse, nec identificat secum suam existentiam, & idcircò in ista ratione valdè perfectior est substātia diuina qualibet substantia creata. Ad 4. probat. dist. antec. non conuenit specie athoma in ratione entis, & materialiter, conc. antec. in ratione qualitatis, nego antec. & conseq. Licèt enim

enim æqualitas, quæ reperitur inter diuinas personas in ratione entis, non cõueniat specie athoma cum æqualitate reperta inter duas quantitates bicubitas; eo quod æqualitas, quæ reperitur inter diuinas personas, est substantia, & est infinita, æqualitas vero, quæ inter duas quantitates bicubitas reperitur, est accidens limitatum, & finitum: tamen in ratione æqualitatis, & in hoc, quod est non recedere à puncto conformitatis, specie athoma conueniunt. & vna non est altera maior. Nam si in ista ratione vna esset altera maior, illa quæ in ista ratione excederetur, non esset æqualitas, sed inæqualitas. Redeat exemplum de numero ternario, & omnia, quæ diximus in solutione primæ confirmationis tertij argumenti.

9 Vel secundo ad totum principale argumentum respondebis dicendo, quod ad hoc, quod aliquid magis, & minus suscipiat, nõ sufficit, quod detur aliud perfectius ipso, sed requitur, quod id quod suscipit magis, & minus modo sit perfectius, & posteà sit imperfectius, vel non tam perfectius, & ècontra: & cum vna veritas modo non sit imperfectior, & minor, & posteà perfectior, & maior se ipsa: hinc prouenit, quod veritas non suscipiat magis, & minus, licet aliqua veritas, nempè diuina maior sit, & in perfectione multum excedat veritatem creatam; sicut albedo non ideò suscipit magis, & minus, quia alia qualitas, scilicet, gratia perfectior est illa, sed quia albedo existens in aliquo subiecto est remissa, & posteà intensa, vel è conuerso. Quam solutionem multi philosophi patrocinantur in libris de Generatione, capite de alteratione, & intensione qualitatum. Ad primam confirm. concesso antecedenti, neganda est consequentia. Ad probationem dicatur maiorem falsitatem magis destructuram esse de veritate, si veritas esset capax suscipiendi magis, & minus: at verò cum veritas (vt iam probatum, est consistat in puncto indiuisibili, & ideò incapax sit magis, & minus suscipiẽdi: hinc prouenit, quod maior falsitas plus de veritate non destruat, sicut vna ægritudo maior est altera formaliter: & tamẽ sanitas opposita cum ægritudine maiori, non est minor formaliter altera sanitate; eo quod sanitas formaliter, & quatenus importat perfectissimam humorũ commensurationem in puncto indiuisibili consistit, sic similiter discurrendum est de veritate falsitati opposita. Ad secundã confirm. admissa maiori distinguo min. relatio transcendentalis ex conceptu communi, concedo min ex conceptu particulari, nego min. & consequent. Frequens enim sententia Thomistarum asserit veritatem formalem in aliquo absoluto consistere, scilicet,

cèt, in adæquatione conceptus cum re in qua fundatur relatio conformitatis conceptus ad obiectum cognitum. Admisso tamen veritatem formalem formaliter in relatione transcendẽtali, consistere dicimus relationem transcendentalem ex conceptu communi magis, & minus susc ipere; at verò ex conceptu particulari, & quia talis relatio est, bene potest magis, & minus non susc ipere. Videantur, quæ diximus disp. 7. q. 3. in solutione secundæ confirm. 3. arg. Ad vlt. confirm. dicatur scientiam esse habitum certum, & euidentem respicientem obiectum: & cum vnus habitus possit plura obiecta, quàm alius respicere: hinc prouenit, quod scientia possit magis, & minus susc ipere. Videatur D. Thom. 1. 2. q. 52. art. 1. Ex dictis tantum vnum colligo, scilicèt, quod licèt detur vna veritas formalis perfectior alia, non tamen datur vna veritas maior alia formaliter, & in ratione veritatis. Ratio est. Nam ad hoc quod dicatur, quod vna veritas formalis perfectior est alia, sufficit, quod vna veritas formalis certior, euidentior, & magis necessaria sit quam alia, vt constat ex dictis in 4. argum. hinc prouenit vnam veritatem formalem perfectiorem altera esse, hæc tamen perfectio materialis est veritati formali formaliter sumptæ, & in ratione adæquationis, quæ ratio incapax est maioris, vel minoris perfectionis, sicut triãgulus, qui fit in auro, perfectior est triangulo facto in ligno: tamen in ratione trianguli formaliter sumpti, vterque est æqualiter perfectus; eo quod triangulus, non materiam, sed figuram respicit præcisè: ita similiter, quia veritas formalis formaliter sumpta, non materiam, sed præcisè adæquationem dicit, ideò in ratione veritatis formalis vna veritas formalis, non est formaliter altera verior, licèt vna veritas formalis sit altera perfectior perfectione accidentali materialiter se habente ad rationem veritatis formalis formaliter sumptæ præcisè meram adæquationem iudicij intellectus cũ obiecto cognito dicentis. Maneat ergo fixũ vnam propositionem non posse altera formaliter esse veriorem. De quo satis, & superst quod dictum est.

QVÆSTIO V.

Vtrùm dentur propositiones æternæ veritatis?

1 REsolutoriè dico primo. Dantur propositiones æternæ veritatis. Hæc conclusio videtur expressa D. Thom. 1. p. q. 10. art 3. ad 3. illã etiam tenet sapientissimus Magister Soto lib. 2. Summul. cap. 9. sect. 3. & probatur illius ratione. Veritas huius propositionis, *homo est animal*, non dependet ab exi-

existentia subiecti, & prædicati; ergo hæc propositio, *homo est animal*, est æternæ veritatis; ac per consequens dātur propositiones æternæ veritatis. Prob. anteced. Veritas prædictæ propositionis est necessaria, & immutabilis; ergo non potest ab existentia rei dependere. Antecedens est certum, & consequentia prob. Necessitas, & immutabilitas, non potest dependere ab aliquo mutabili, & contingenti, sed existētia rei est contingens, & aliter po est se habere; ergo si veritas prædictæ propositionis est necessaria, & immutabilis, non poterit ab existentia subiecti, & prædicati dependere; ac per consequens, vel negandæ sunt propositiones necessariæ, vel admittendæ sunt propositiones æternæ veritatis. Maior cum consequentia constat. Minor vero probatur. Etenim existentia de nullius rei est essentia dempto Deo; ergo existentia rei est contingens, & aliter potens se habere. Confirmatur hæc ratio. Vt hæc propositio, *homo est animal* sit æternæ veritatis, nihil aliud requiritur, quā quod homo in sua ratione ab æterno includat animal: sed homo in sua ratione ab æterno animal includit; ergo prædicta propositio est æternæ veritatis. Maior patet. Et minor probatur. Essentiæ rerum sunt ab æterno: sed hominem includere animal est essentia ipsius hominis; ergo homo ab æterno animal includit. Reddeant in confirmationē nostræ cōclusionis omnia, quæ dixmus disputatione 12. quæst. 3.

2 Dico secundo. Omnes propositiones, in quibus prædicatū est diffinitio, vel pars diffinitionis, vel proprietas subiecti, si sint affirmatiuæ, sunt æternæ veritatis, & similiter propositiones negatiuæ, in quibus prædicatū essentialiter subiecto repugnat, etiā sunt æternæ veritatis. Hæc conclusio constat ex dictis. Nam veritas omniū harū propositionū est necessaria, & immutabilis; ergo non potest ab existentia rei dependere; ac per cōsequens est perpetua, & æterna; ac proinde omnes propositiones enumeratæ, & omnes, in quibus subiectū nō potest accipi sub opposito prædicati sunt æternæ veritatis. Totus discursus constat ex dictis in probatione primæ conclusionis. Contra quam obijcies primo, Si aliqua propositio esset æternæ veritatis, maximè ista, *homo est animal*, sed ista non est æternæ veritatis; ergo non dantur propositiones æternæ veritatis. Minor prob. Connexio prædicati cū subiecto prædictæ propositionis nō est æterna; ergo prædicta propositio nō est æternæ veritatis. Probatur antec. subiectū, & prædicatū prædictæ propositionis nō sunt ab æterno; ergo nec cōnexio prædicati cum subiecto ab æterno erit. Patet conseq. Connexio prædicati cū subiecto

identificatur cum ipso prædicato, & subiecto; ergo si subiectū, & prædicatum prædictæ propositionis non sunt ab æterno, nec connexio ab æterno erit. Confirmat. primo. Secundum Aristotelem *ab eo quod res est, vel non est*, propositio dicitur vera, vel falsa; ergo si subiectum, & prædicatum, non sunt ab æterno, propositio prædicta non erit ab æterno vera. Secundo. Propositio affirmatiua de subiecto, non supponente est falsa; ergo propositio affirmatiua de subiecto, quod ab æterno nō supponit, nequibit ab æterno esse vera: sed homo ab æterno non supponit; cum non sit ab æterno productus; ergo subiectum prædictæ propositionis non supponit ab æterno, & consequenter prædicta propositio non potest ab æterno esse vera. Resp. conced. mai. & neg. minor. Ad probat. distinguo antec. connexio positiua, concedo antec. connexio negatiua, nego antec. & conseq. Itaque veritas formalis (vt docet D. Thomas 1. p. quæst. 16. art. 1.) est adæquatio iudicij intellectus cū re cognita, quæ adæquatio est in intellectu. Vnde si ab æterno detur intellectus, cuius iudicium adæquetur cum re cognita, ab æterno dabitur veritas formalis: cum autem ab æterno sit intellectus diuinus, cuius iudicium adæquatur cum obiecto significato per istam propositionem *homo est animal*, (quia cum obiectum significatum per illam propositionem sit enunciabile necessarium non potuit non intellectus diuinus ab æterno circa illud versari:) hinc prouenit prædictam propositionem ab æterno esse actu formaliter veram. Veritas autem fundamentalis, seu fundamentum, supra quod fundatur prædicta adæquatio, quæ est veritas formalis, est connexio prædicati cum subiecto, & hæc est duplex, vna positiua, & altera negatiua. Connexio positiua est quando subiectum, & prædicatum verè habent eandem realitatem, & entitatem, & de ista connexione benè probat argumentum, quod non est ab æterno connexio prædicati prædictæ propositionis cum subiecto. Cōnexio verò negatiua est negatio diuersitatis inter extrema, quæ tamdiu dicitur esse inter aliqua extrema, quando ab illis ab uerit diuersitas: & cum ab æterno ab hijs extremis, *homo*, & *animal*, absit diuersitas: hinc prouenit, quod ab æterno inter prædicta extrema sit connexio negatiua, & veritas fundamentalis negatiua sufficiens ad hoc, quod prædicta propositio sit actu formaliter vera per adæquationem iudicij intellectus diuini cum obiecto per illam significato. Si autem inquiras, in quo reperiebatur ab æterno hæc negatio diuersitatis, in qua consistit connexio negatiua? Brebiter respōdeò, quod si omnis negatio petit po-

positiuum, in quo fundatur, & sit: talis negatio diuersitatis fuit ab æterno in ipsis extremis, quæ licet non sint ab æterno secundum esse existentiæ; sunt tamen ab æterno secundum esse obiectiuum, vel in entitate exemplarium diuinorum, quæ non distinguitur ab ipso Deo. Quod autem hæc connexio negatiua sufficiens sit, vt sit fundamentum veritatis formalis positiuæ existentis in intellectu diuino, comprobatur exemplo. Nam vnitas formalis negatiua, quæ reperitur à parte rei, est secundum logicos sufficiens fundamentum vnitatis formalis positiuæ, quæ inuenitur in intellectu; ergo pariter connexio negatiua, quæ ab æterno inter extrema prædictæ propositionis inuenitur, sufficiens erit, vt sit fundamentum veritatis formalis positiuæ prædictæ propositionis, cuius veritas formalis positiua in intellectu diuino ab æterno reperitur. Ad primam confirmationem dicatur Aristotelem locutum fuisse de propositionibus contingentibus, non verò de necessariis. Vel secundo dicatur verba Aristotelis sic esse intelligenda, *ab eo quod res est, vel non est*, ideſt, ab obiecto significato per propositionem, si ita se habeat, sicut specificatur propositio dicitur vera: & cum in prædicta propositione obiectum significatum, ita se habeat ab æterno, sicut per ipsam significatur, quamuis res significatæ per terminos simplices non existant: hinc prouenit prædictam propositionem ab æterno veram esse. Ad secundam dicatur propositionem affirmatiuam de subiecto non existente, cuius verbum non absoluitur à tempore falsam esse: secus verò contingit si verbum à tempore absoluatur propter rationem datam disputat. 12. quæst. 3. & cum verbum prædictæ propositionis à tempore absoluatur (vt probauimus loco citato) hinc fit prædictam propositionem ab æterno veram esse; quamuis eius subiectum ab æterno non existat. Sed adhuc replicabis. Hæc propositio, *Adam est creandus* ab æterno fuit vera in mente diuina; & tamen per hoc non dicitur prædicta propositio æternæ veritatis; ergo ex eo quod hæc propositio, *homo est animal*, ab æterno sit vera in intellectu diuino, non benè probatur esse propositionem æternæ veritatis. Respondetur concesso antecedenti, negando conseq. Magnum enim est discrimen inter propositiones necessarias, & contingentes. Nam licet propositiones necessariæ in intellectu diuino sint veræ ab æterno, ex se tamen habent, quod sint veræ propter connexionem saltim negatiuam extremorum, & non præcisè, quia Deus illas cognoscit: at verò contingentes, ideò sunt veræ, quia Deus decreuit futuritionem illarum, & eas cognouit, quo circa non di-

cuntur æternæ veritatis. Quia verbum in illis non absoluitur à tempore, sed restringit subiectum, vt stet solum pro re futura propter rationem datam loco proximè citato.

3 Obijcies secundo. Si aliqua propositio esset æternæ veritatis, maximè ista, *homo est viuens*: sed hæc non; ergo nulla. Probatur minor. Ad hoc quod homo sit viuens requiritur vnio animæ ad corpus: sed ab æterno non fuit vnio animæ ad corpus; ergo ab æterno prædicta propositio non est vera. Confirmatur primo. Homo aliquãdo est mortuus; ergo nõ semper est viuens; ac per consequens talis propositio non erit æternæ veritatis. Secundo. Ab æterno non erant quatuor, & tria; ergo hæc propositio, *quatuor, & tria sunt septem*, non fuit ab æterno vera. Tertio. Ab æterno non fuit homo, & animal; ergo hæc propositio, *homo est animal*, non est æternæ veritatis. Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem dicatur ad veritatem prædictæ propositionis non requiri vnionem positiuam animæ ad corpus, sed sufficere vnionem negatiuam, ideſt, quod homo nunquam fuerit non viuens, nec detur homo absque vnione animæ ad corpus; prædicta enim propositio non facit sensum, quod homo sit actu viuens, sed quod isti termini, scilicet, *homo*, & *viuens* inter se essentialiter connectuntur: & hoc ab æterno est verum: quo circa prædicta propositio est æternæ veritatis. Ad primam confirmationem dicatur, quod homo nunquam est mortuus. Nam quando est mortuus, iam non est homo, sed cadauer, quod solum abusiuè, & æquiuocè dicitur homo. Ad secundam similiter dicatur, quod licet quatuor, & tria secundum esse existentiæ ab æterno non sint; tamen secundum esse obiectiuum ab æterno sunt. Per quod etiam patet ad vltimam. Licet enim homo, & animal secundum esse existentiæ ab æterno non sint: tamen secundum esse obiectiuum, quatenus erant obiectum intellectus diuini, cui obijciebantur, & cuius cognitionem terminabant ab æterno sunt.

4 Contra secundam conclusionem obijcies primo. Istæ propositiones, *homo albus est homo*, *homo qui existit est animal*, sunt propositiones in quibus subiectum, non potest accipi sub opposito prædicati: & tamen non sunt æternæ veritatis; ergo non omnes propositiones, in quibus subiectum non potest accipi sub opposito prædicari, sunt æternæ veritatis. Maior est certa, & min. prob. Prædictæ propositiones ad sui veritatem petunt existentiam hominis: sed ab-

æterno homo non existit; ergo prædictæ propositiones non sunt æternæ veritatis. Maior probatur. Homo non potest esse albus, nisi existat, nec potest esse, qui existit, nisi sit existens; ergo prædictæ propositiones ad sui veritatem petunt existentiam hominis. Confirm. primo. Hæc propositio, *homo est risibilis*, non est æterna veritatis: & tamen subiectum illius, non potest accipi sub opposito prædicati; ergo secunda cõclusio est falsa. Maior prob. primo. Propositio æternæ veritatis nullo modo potest falsificari: sed prædicta propositio potest falsificari, si per diuinam potentiã risibilitas ab homine separetur; ergo prędicta propositio nõ est æternę veritatis. Secundo. Hæc propositio, *homo est rationalis* prius fuit vera, quam hæc propositio, *homo est risibilis*; ergo hæc propositio, *homo est risibilis*, nõ est æternæ veritatis. Consequẽtia patet. Nam nihil est prius eo quod est ab æterno. Et antecedens probat. Causa prior est effectu: sed hominem esse rationalem est causa risibilitatis ipsius; ergo hæc propositio, *homo est rationalis* prius fuit vera, quam hæc propositio, *homo est risibilis*. Confirm secũdo. Istæ propositiones, *nix est alba*, *corvus est niger*, non sunt æternæ veritatis: & tamen subiectum illarum non potest accipi sub opposito prædicati; ergo non omnes propositiones, in quibus subiectum non potest accipi sub opposito prædicati sunt æternæ veritatis. Denique hæc propositio, *Christus est homo* est essentialis: & tamen non est æternæ veritatis; ergo conclusio est falsa. Minor probatur primo. Christus ab æterno non fuit homo, sed in tempore factus fuit homo; ergo prædicta propositio, non est æternæ veritatis. Secundo. Prædicta propositio aliquando fuit falsa; ergo non potest esse æternæ veritatis. Probat. anteced. In triduo mortis. Christus non fuit homo (vt docet D. Thomas 3. part. quæst. 50. art. 4.) ergo prædicta propositio aliquando fuit falsa. Ad hoc argumentum aliqui cum nostro Soncinate suo videri probabiliter respondent dicendo prædictas propositiones esse absolutè accidentales; & ideò non esse æternæ veritatis. Etenim hæc solutio manifestè est cõtra Diuum Thomam 3. Sententiarum, dist. 10. quæst. 3. artic. 2. Hæc enim est differentia inter subiectum, & prædicatum, quod licet omne, quod se tenent ex parte prædicati debeat per se, & essentialiter subiecto conuenire, vt propositio sit essentialis, non tamen omni, quod se tenet ex parte obiecti requiritur, quod prædicatum conueniat essentialiter, vt propositio essentialis sit; quo circa hæc propositio, *homo albus est homo* est essentialis, & ista *homo est homo albus* est accidentalis. De quo plura diximus disputat. duodecima, quæst. 4. argumento 1.

& consequenter ad illa. Relicta ista solutione, ad argumentum respondet. conced. maiorem, & distinguendo minorem. Non sunt æternæ veritatis ex parte conuenientiæ prædicati cum subiecto, nego minorem; ex parte suppositionis subiecti, concedo minorem, & nego conseq. quam distinctionē non impugnat probatio min. Eodem enim modo, quo prædictæ propositiones sunt essentiales, sunt etiam æternæ veritatis, & eodem modo, quo sunt cōtingentes, non sunt æternæ veritatis. Vnde sicut ex capite connexionis prædicati cum subiecto sunt essentiales, ita similiter ex isto capite sunt etiā æternæ veritatis. Nam talis connexio prædicati cum subiecto est ab æterno. Cum prædicatū sit de essentia subiecti. Et sicut ex capite suppositionis subiecti prædictæ propositiones sunt contingentes, ita ex isto capite non sunt æternæ veritatis. Quia suppositio subiecti illarum non est ab æterno. Necessariò sunt recollenda omnia, quæ diximus disp. 12. quæst. 4. argum. 1. Ad primam confirmationem, nego maiorem. Ad primam probationem dicatur prædictam propositionem, nunquam posse falsificari, quia non facit hunc sensum, *homo actu habet risibilitatem*, sed hunc, *homini debetur risibilitas*, & hoc semper est verum, quamuis Deus ab homine auferat risibilitatem. Vel secundo potest dici non esse inconueniens aliquam propositionem æternæ veritatis posse miraculosè falsificari, dummodo naturaliter sit infalsificabilis. Ad secundam distinguo anteced. prius, prioritate intellectionis, concedo antec. prioritate tēporis, nego antec. & consequentiam. Prioritas enim intellectionis, qua hæc propositio, homo est rationalis, præcedit istam, *homo est risibilis*, non tollit hanc propositionem, *homo est risibilis*, esse æternæ veritatis. Sicut omnes Philosophi admittunt mundum, quoad res permanentes potuisse esse abæterno: & tamen Deus semper præcederet præcedentia rationis, & intelligentiæ mundum. Ad tertiam concedo maiorem, & nego minorem. Etenim hæc propositio est vera, *nix secundum sua prædicata essentialia non est alba*, & similiter hæc etiam est vera, *coruus secundum sua essentialia non est niger*. Vnde subiectum prædictarum propositionum potest accipi sub opposito prædicato; ac per consequens nō sunt æternæ veritatis. De quo plura diximus in prædicabilibus Logicæ. Ad vltimam concessa maiori neganda est minor. Ad primam probationem dicatur, quod licet Christus abæterno non fuisset homo, secundum esse existentiæ, tamen abaterno fuit homo secundum esse obiectiuum; eo quod Christus semper habuit necessariam connexionē cum

cum homine. Nam verbum diuinum ſine humanitate non eſt Chriſtus. Ad ſecundam dicatur prædictam propoſitionem nunquam fuiſſe falſam. Nam in triduo mortis, licet fuiſſet verbum diuinum vnitum ſeorſim animæ, & corpori, non tamen fuit verbum diuinum vnitum animæ animanti corpus, & informanti illud. Quo circa ſi in rigore loquamur in triduo mortis non fuit Chriſtus: cum hoc nomen *Chriſtus* ſupponat pro verbo diuino vnito animæ rationali corpu animanti, & informanti.

5 Obijcies ſecundo. In hac propoſitione; *animal eſt homo* ſubiectum poteſt accipi ſub oppoſito prædicati: & tamen eſt propoſitio æternæ veritatis; ergo ſecunda concluſio eſt falſa. Maior probatur. Prædicta propoſitio eſt contingens; ergo ſubiectum illius poteſt accipi ſub oppoſito prædicati. Confirmatur. In hac propoſitione, *homo albus eſt homo*, ſubiectum non poteſt accipi ſub oppoſito prædicati, & tamen non eſt æternæ veritatis; ergo concluſio eſt falſa. Probatur minor. Prædicta propoſitio eſt contingens; ergo non eſt æternæ veritatis. Probatur anteced. Benè valet, *homo eſt albus*; ergo *homo eſt homo albus*: conſequens eſt contingens; ergo, & anteced. Patet conſeq. In bona enim conſequentia, ſi conſequens eſt contingens anteced. etiam debet eſſe cõtingens.

6 Hoc argumentum poſtulat illam quæſtionem, quæ inquirit, an hæc propoſitio *animal eſt homo* ſit neceſſaria, vel contingens. In qua parte duas ſapientiſſimorum Magiſtrorum inuenio ſententias. Prima eſt ſapientiſsimi Magiſtri Soto, l bro 3. Summulatum capit. 2. lectione vnica, notabili 4. aſſerentis prædictam propoſitionem eſſe in materia contingenti, & eſſe accidentalem. Cuius prima ratio eſt. Nam ſpecies non prædicatur eſſentialiter de genere: ſed in prædicta propoſitione ſpecies prædicatur de genere; ergo prædicta propoſitio non eſt eſſentialis. Minor conſtat. Maior probatur. Etenim differentiæ ſunt, extra conceptum eſſentialem generis, teſte Ariſtotele cap. de Differentia: ſed in propoſitione eſſentiali prædicatum debet eſſe de conceptu eſſentiali ſubiecti; ergo propoſitio, in qua ſpecies prædicatur de genere non eſt eſſentialis. Secundo. Nam hæc propoſitio, *animal eſt homo*, non æquiualet vniuerſali; ergo non eſt propoſitio neceſſaria. Antecedens eſt certum. Nam hæc conſequentia eſt mala, *animal eſt homo; ergo omne animal eſt homo*. Conſequentia verò probatur. Nam omnis propoſitio indiffinita neceſſaria æquiualet vniuerſali; ergo ſi prædicta propoſitio non æquiualet vniuerſali, prædicta propoſitio non eſt neceſſaria. Tertia ratio eſt. Quia

homo non est de conceptu essentiali animalis; ergo non prædicatur essentialiter de illo; ac per consequens prædicta propositio non est essentialis. Secunda sententia est sapientissimi Magistri Bañez cap. 4. de Suppositione asserentis prædictam propositionem esse necessariam, & æternæ veritatis. Cuius prima ratio est. Nam benè valet, *omne risibile est animal, omne risibile est homo; ergo animal est homo*: sed antecedens est necessarium; ergo, & consequens. Minor cum consequentia tenet. Et maior patet. Etenim prædictus syllogismus est in darapti; ergo est bonus; nec valet dicere, consequens prædicti syllogismi esse necessariũ provt infertur. Non tamen absolutè. Nam in contrarium est. Etenim consequens prædicti syllogismi, siue inferatur, siue non, semper habet idem subiectum, & prædicatum; ergo si provt infertur est necessarium absolutè, necessarium erit. Secunda ratio est. Nam si prædicta propositio est contingens, hæc propositio esset vera, *hæc propositio animal est homo est contingens*. Consequens est falsum; ergo, & antecedens. Maior est certa; & minor probatur. Benè valet, animal est homo; ergo hoc animal est homo, vel hoc animal est homo: consequens est necessarium; ergo, & antecedens. Maior est certa. Minor vero probatur. Consequens est vna disiuntiua, cuius aliqua pars est necessaria; ergo consequens est necessarium. Probatur antecedens. Nam signato homine, hæc pars, *hoc animal est homo* est necessaria; ergo consequens est vna disiunctiua, cuius aliqua pars est necessaria.

7 In pace tamen tam sapientissimorum Magistrorum sententia media inter istas duas oppositas illas complectens, subtinenda est. Etenim si prædicatum prædictæ propositionis dicatur de subiecto secundum formam significatam per subiectum, prædicta propositio cõtingens erit, & accidentalis propter rationes sapientissimi Magistri Soto. Si autem prædicatum dicatur de subiecto ratione alicuius suppositi subiecti, quod sibi determinat prædicatũ, prædicta propositio est necessaria, quia de aliquo supposito animalis, nempè de homine, necessariò dicitur homo. Simili doctrina vtitur noster Eminentissimus Caietanus 3. part. quæstion. 26. artic. 1. vbi docet hãc propositionem, *Deus est homo*, esse necessariam, si prædicatum dicatur de subiecto ratione suppositi deitatis incarnati: si tamẽ prædicatum dicatur de subiecto ratione formæ significatæ per subiectum, prædicta propositio est contingens, & accidentalis, absolutè tamen talia sunt subiecta, qualia permittuntur ab eorum prædicatis:

& cum hoc prædicatum *homo* exigat, quod subiectum stet pro persona Verbi diuini incarnati: hinc prouenit, quod hæc propositio *Deus est homo* dicatur absolutè necessaria; eodem ergo modo philosophandum est de ista propositione animal est homo, quæ in sensu, in quo est necessaria est æternæ veritatis per quod vtraque concordatur sententia, & soluitur propositum argumentum. Ad confirmationem respondetur iuxta dicta in solutione primi argumenti contra secundam conclusionē, quod prædicta propositio est essentialis ex capite conuenientiæ prædicati cum subiecto, licet sit contingens ex parte suppositionis subiecti, quæ contingentia sufficiens est, vt inferatur aliquod consequens contingens. Recollantur dicta in solutione primi argumenti contra secundā conclusionem.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm propositio mentalis sit simplex qualitas?

1 TRiplex potest distingui propositio mentalis, apprehensiua, scilicet, enunciatiua, & iudicatiua. Propositio igitur apprehensiua est apprehēsio subiecti, copulæ, & prædicati, subiecto, copula, & prædicato materialiter acceptis, & absque aliqua attributione vnius ad aliud sistendo præcisè in pura apprehensione; vt diximus in hac disputatione, quæst. 3. in solutione tertij argumenti. Propositio vero enunciatiua mentalis est enunciatio, qua intellectus vnum de alio enuciat, vnum alteri attribuendo, vel vnum ab altero separando, si fuerit propositio negatiua. Propositio denique mentalis iudicatiua est iudicium, quo intellectus iudicat de enunciatiua propositione dicendo, ita est sicut enunciatur, siue hoc iudicium sit actus distinctus ab enunciatione, siue sit ipsa enunciatio in exercitio se ipsam iudicans. Hoc supposito resolutoriè dico primo. Propositio apprehensiua, non est simplex qualitas, vel vnus simplex conceptus. In hac conclusione omnes conueniunt, & probatur hac vnica ratione. Intellectus non potest apprehendere plura, vt plura sunt vnico conceptu, vt diximus disputatione decima, quæstione quinta; sed res, quæ est subiectum, res quæ est copula, & res quæ est prædicatum sunt plura, vt plura; ergo non possunt vnico conceptu apprehendi. Maior est certa; & minor probatur. Nam in pura, & simplici apprehensione, nulla considerantur conuenientia, sed præcisè apprehenduntur res secundum suas quidditates, & essentias: sed res, quæ est subiectum,

ctum, res, quæ est prædicatum, & res, quæ est copula secundum suas essentias sunt plura, vt plura; ergo subiectum copula, & prædicatum, quatenus per simplices apprehensiones apprehenduntur sunt plura, vt plura, ac per consequens diuersis conceptibus apprehenduntur. Confirm. primo. Termino complexo correspondent duo conceptus, licet cum ordine; ergo multo melius propositioni vocali plures cõceptus correspondebunt. Patet conseq. Nam maior compositio est in propositione vocali, quã in termino complexo; ergo si termino complexo plures conceptus correspondent, multo melius propositioni vocali plures simplices conceptus correspondebunt. Secundo. Ita enim concipimus, sicut loquimur: sed quando dicimus propositionem aliquam vocalem, loquimur per plures terminos; ergo etiam illam apprehendimus per plures simplices conceptus. Recollãtur dicta disputat. 8. quæst. 1, conclus. 3. arg. vlt. Nec refert si dicas, subiectũ, copulam, & prædicatum aliquẽ ordinem inter se habere, nempè ordinem determinabilis, & determinantis; ergo vnico simplici conceptu apprehenduntur. Non inquam id refert. Nam quamuis prædictum ordinem habeant, ex hoc solum sequitur, quod illis correspondeant plures simplices conceptus cum prædicto ordine; non tamen infertur illis vnicum simplicem conceptũ correspondere; sicut ex eo quod partes termini complexi habeant ordinem determinabilis, & determinãtis, solum sequitur illis duos cõceptus cum tali ordine correspondere, non tamẽ infertur illis vnicum conceptum respondere. Si denique dicas, rebus sine aliquo ordine plures conceptus correspondere; ergo rebus cum aliquo ordine debet vnicus correspondere conceptus. Respondebimus concesso antecedenti negando conseq. Nam quælibet res, sicut suam habet propriam essentiam, ita suum habet proprium cõceptum; vnde diuersis nominibus res diuersas secundum sibi propria signate significãtibus diuersi cõceptus correspondent. Et solum est differentia in hoc, quod rebus diuersis sine aliquo ordine significatis plures conceptus sine ordine correspondent, rebus vero diuersis cum aliquo ordine significatis plures conceptus cum tali ordine correspondent. Insuper potest alia assignari differentia, nimirum, quod diuersis rebus sine aliquo ordine significatis diuersi conceptus sine ordine correspondent. Qui quidem conceptus non possunt esse simul in eodem intellectu, sed successiuè: at verò diuersis rebus cum aliquo ordine significatis, diuersi cõceptus cũ tali ordine correspondent, qui conceptus possunt esse simul in eodem intellectu; eo quod ratione illius ordinis, quasi con-

considerantur per modum vnius rei.

2 Dico secundo. Propositio iudicatiua mentalis est simplex qualitas, & vnus simplex conceptus. Ab hac conclusione nullus, quem viderim discordat, & probatur vnica ratione. Etenim propositio iudicatiua mentalis est iudicium, quo intellectus iudicat de enunciatione facta dicendo ita est, vel ita non est, sed hoc iudicium est vnicus simplex conceptus; ergo propositio iudicatiua mentalis est simplex qualitas. Min. prob. Hoc iudicium non facit enunciationem, sed illam præsupponit factam, & habet pro obiecto: sed vnicus conceptus sufficit ad attingendam totam enunciationem, tanquam obiectum, & partes illius ratione compositionis ipsius enunciationis; ergo prædictum iudicium est vnicus simplex conceptus. Min. patet. Nam vnicus conceptus est sufficiens ad attingēdum totum hominem, & partes illius ratione compositionis ipsius hominis, & provt hominem constituunt, & componunt; ergo vnicus cōceptus sufficiens erit ad attingēdam totam enunciationem, & ratione cōpositionis ipsius partes eiusdem enunciationis. Nec refert, si dicas propositionē apprehensiuam non esse simplicē qualitatem; ergo nec iudicatiua est simplex qualitas. Non inquā hoc refert. Nam propositio apprehensiua, non attingit totam enunciationem sub ratione totius; cum tunc non sit enunciatio, nec attingit partes illius in toto; cum ante illam non sit totum: sed attingit rem, quæ est subiectum rem, quæ est copula, & rem, quæ est prædicatum, apprehendendo illas secundū suas proprias essentias, quapropter non est vnicus simplex conceptus: at verò propositio iudicatiua mentalis habet pro obiecto enunciationem, quæ iam præsupponitur facta, & attingit eius partes, tanquam partes in toto: & cum ad attingendum totum, & partis ipsius in toto vnicus conceptus sufficiat: hinc prouenit propositionem iudicatiuam mentalem esse vnicum simplicem conceptum, & vnam simplicem qualitatem; quo circa non est eadem vtriusque ratio.

3 Tota igitur difficultas reducitur ad propositionem enunciatiuam mentalem; an scilicèt, ista sit vnicus conceptus significans totam enunciationem, & attributionem, qua vnum alteri attribuitur, an verò importet plures conceptus adinuicem ordinatos, quibus propositio enunciatiua mentalis componatur, & vnus conceptus alteri attribuatur. In qua parte duplex, & vtraque probabilis, inuenitur sententia; prima est affirmativa, & secunda negatiua, ego verò resolutoriè. Dico tertio. Propositio enunciatiua mētalis, non est simplex qualitas, nec vnicus simplex

con-

conceptus, sed plures, quibus propositio enunciatiua mentalis componatur, & qua vnus conceptus alteri attribuatur. Hæc conclusio est D. Thom. 1. per herm. lect. 3. illis in verbis: *Veritas, & falsitas non inueniuntur in compositione, nisi secundum quod intellectus comparat vnum conceptum alteri.* Idem docet Angelicus Magister 1. p q. 58. art. 4. ad 1. & quæst. 13. eiusdem 1. p. art. 12. & prob. 1. illius ratione. Intellectus humanus per secundam suã operationem intelligit componendo, & diuidendo (vt probauimus cum D. Thom. disp. 1. q. 2. n. 1. & 2. sed compositio non potest saluari absque multitudine conceptuum, quorum vnus alteri attribuatur; ergo propositio enunciatiua mentalis, quæ in compositione secundę operationis intellectus consistit, non est vnicus simplex conceptus, sed plures, quorum vnus alteri attribuatur, & quibus propositio enũciatiua mentalis componatur. Maiorem loco cit. probau. ratione D. Thom. 1. par. q. 85. art. 5. Min. verò prob. Compositio nõ potest intelligi sine partibus, quarum vna se habeat, vt materia determinabilis, & alia vt forma determinans; ergo compositio conceptuum formalium, quæ in secunda operatione intellectus inuenitur, nõ potest saluari absque multitudine conceptuũ, quorum vnus, scilicèt, cui attribuitur se habeat vt materia determinabilis, & alter, nempè qui attribuitur se habeat vt forma determinans, ac per consequens compositio non potest intelligi absque multitudine conceptuũ, quorum vnus alteri attribuatur. Confirm. 1. Nam simplex qualitas, & vnicus simplex conceptus excludit compositionem; ergo si propositio enunciatiua mẽtalis importat compositionem secundæ operationis intellectus, non est simplex qualitas, nec vnus simplex conceptus. Secundo. Propositio enunciatiua mẽtalis ex conceptu essentiali propositionis importat essentialiter subiectum, copulam, & prædicatum: sed est impossibile, quod vnicus simplex cõceptus sit subiectum, copula, & prædicatum; ergo impossibile est, quod propositio enunciatiua mentalis sit simplex qualitas, & vnicus simplex conceptus. Min. prob. Impossibile est, quod idem, sit cui attribuitur, & quod attribuitur, & attribuens; aliàs idem respectu eiusdem esset materia determinabilis, & actus determinans; ergo impossibile est, quod vnicus simplex conceptus sit simul subiectum, copula, & prædicatum; aliàs simul esset in actu, & in potentia respectu eiusdem.

4 Respondent contrarij Authores compositionem secundæ operationis nostri intellectus, in qua propositio enunciatiua mẽtalis consistit, non esse compositionem formalem, sed virtualẽ,

ad

ad quam non requiritur multitudo formalis conceptuum formalium: sed sufficit multitudo virtualis conceptuum formalium, quæ in simplici qualitate, & in vnico conceptu potest inueniri, ac proinde ratio probatiua nostræ cõclusionis non probat propositionẽ enunciatiuam mentalẽ esse compositã ex multis conceptibus formalibus, quorum vnus alteri attribuatur. Hæc tamẽ solutio nõ placet, & reijcitur primo. Etenim noster intellectus ab eodẽ capite, à quo habet discurrere in sua tertia operatione, habet etiã componere in sua secunda operatione: sed in tertia operatione habet discurrere formaliter, & non solũ virtualiter; ergo in sua secunda operatione habebit cõponere formaliter, & non solum virtualiter, ac per cõsequens cõpositio, quæ in secunda operatione nostri intellectus inuenitur, est compositio formalis, cõceptuũ formalium, & non solum virtualis. Minor patet. Si enim intellectus noster solũ virtualiter discurreret, nõ distingueretur ab intellectu angelico, qui etiã virtualiter discurrit, quatenus ex parte obiecti vnũ obiectũ potest per aliud cognoscere; ergo intellectus noster, ne dũ virtualiter, verũ etiã formaliter discurrit. Maior vero probatur. Intellectus noster ideò formaliter discurrit, quia ob sui limitationem, & debilitatẽ infimi gradus intellectiui, non statim viso principio pẽnetrat conclusiones ex principio educibiles, vt ait D. Thom. 1. p. q. 85. art. 5. sed etiã propter eandem rationẽ cognito subiecto, nõ statim cognoscit proprietates, & accidẽtia, quæ tali subiecto possunt attribui; ergo intellectus noster ab eodẽ cap. à quo habet discurrere, in tertia sua operatione, habere etiã cõponere in sua secunda operatione; ac per cõsequẽs, sicut in tertia operatione formaliter discurrit per successionẽ pluriũ cõceptiuũ formaliũ, quorum vnus ex altero infertur, ita similiter in sua secunda operatione habebit formaliter componere per attributionem plurium conceptuum formalium, quorum vnus alteri attribuatur. Secundo. Intellectus noster aliter componit, ac componit intellectus Angeli: sed intellectus Angeli componit virtualiter, quatenus ex parte obiecti cognoscit vnũ alteri attribui; ergo intellectus noster formaliter cõponit vnũ cõceptum formalẽ alteri attribuendo. Respondebis intellectũ nostrum in sua secũda operatione virtualiter cõponere quasi subiectiuè, quatenus formaliter præsupponit multitudinem conceptuum formalium in prima sua operatione, scilicet, in apprehensione; intellectum vero Angelicum tantum virtualiter obiectiuè componere, nõ verò subiectiuè, quia non supponit multitudinem conceptuum formalium in aliqua

sua

sua antecedenti operatione quo circa saluatur sufficiens discrimẽ inter nostrum, & angelicum intellectum, quamuis noster intellectus non formaliter componat in sua secunda operatione.

5 Hæc etiam solutio, in qua nimis confidunt oppositæ sententiæ Authores, non minus displicet, quam prima, & reijcitur primo. Etenim, quod operatio intellectiua Angeli, non supponat multitudinem conceptuum formalium in aliqua Angeli antecedenti operatione & nostra secũda intellectus operatio multitudinem. Conceptuum formalium supponat in prima nostri intellectus operatione, solum probat nostram secundã intellectus operationem distingui præsuppositiuè, & pro illo, quod supponit ab intellectione Angeli, non verò probat distingui formaliter ab Angelica intellectione: sed secũda nostri intellectus operatio, nedum præsuppositiuè verum etiã formaliter debet distingui ab intellectione Angelica; ergo solutio est nulla. Minor paret. Nam tertia operatio nostri intellectus, ne dum præsuppositiuè debet distingui ab intellectione Angeli; verum etiam formaliter ab intellectione Angelica debet distingui. Paret conseq. Cum ab eodem capite, à quo habet intellectus noster distingui in tertia operatione ab intellectu Angeli, habet etiam distingui ab illo in sua secunda operatione. Maior vero prob. Iuxta præfictam solutionem supposita multitudine conceptuum formalium in prima operatione nostri intellectus, in secunda vnico conceptu intellectus noster attingit totam attributionem prædicati ad subiectũ, & totam compositionẽ: sed hoc habet intellectio Angelica; ergo ex prædicta solutione solum sequitur nostram secundam intellectus operationẽ distingui præsuppositiuè ab intellectione Angelica; non tamen sequitur ab illa differre formaliter. Confirm. hæc replica. Si tertia operatio nostri intellectus vnico conceptu attingeret conclusionem, & præmissas, & non discurret formaliter per successionem pluriũ conceptuum formalium, quamuis præsupponeret multitudinem conceptuum formalium in prima, vel in secunda nostri intellectus operatione, tertia operatio nostri intellectus non distingueretur, tunc casus ab intellectione Angelica; ergo pariter si secunda operatio nostri intellectus vnico conceptu attingit attributionem vnius ad aliud, & totam compositionem, ita vt nõ componat formaliter per multitudinem plurium conceptuũ formalium, quorum vnus alteri attribuatur, quantumvis præsupponat multitudinem conceptuũ formalium in prima apprehensione, non distingueturab intellectione Angelica. Antecedẽs est certum, nisi Authores contrarij

solum

ſolum diſcurſum virtualem ponantin noſtro intellecta, quod quidem eſt falſum, cum virtualis diſcurſus etiam inueniatur in Angelis. Conſequentia verò tenet à paritate rationis: ſi enim præſupponere multitudinem conceptuum formalium non ſufficit, vt intellectus noſter in attingentia conclusionis diſtinguatur in tertia operatione ab intellectu angelico, nec etiam præſuppone re multitudinem conceptuum formalium in prima apprehenſione, ſufficiet, vt intellectus noſter in attingentia enũciationis diſtinguatur in ſecunda operatione ab intellectu angelico. Confirm. 2. Nam quando Angelus inferior cognoſcit res diuerſi ordinis, vt quando cognoſcit hanc propoſitionem, *lapis non eſt gratia* præſuppoſitiuè ad cognitionem, & iudicium prædictæ propoſitionis habet plures ſpecies, & plures conceptus de quidditate lapidis, & gratiæ, vt docet D. Tho. 1. p. q. 58. art. 4. ad 1. & tamen quia vnico conceptu attingit prædictam propoſitionem, dicitur non componere, niſi obiectiuè, & diſtingui ab homine in non componendo; ergo vt noſter intellectus diſtinguatur ab intellectu Angeli in componendo, non ſufficit, quod ſecunda noſtri intellectus operatio ſupponat plures apprehenſiones, ſed requiritur quod ipſa noſtri intellectus ſecunda operatio per multitudinem conceptuũ formalium, quorum vnus alteri attribuatur, formaliter componat. Denique confirm. Nã quod iudicium Angeli circa prædictã propoſitionem præſupponat plures conceptus, non ſufficit, vt dicatur intellectum Angeli, vel vt ſubiectiuè componere; ergo ſimiliter quod noſtra ſecunda intellectus operatio ſupponat plures apprehenſiones, non ſufficiet ad hoc quod dicatur, quaſi ſubiectiuè componere. Secundo impugnatur prædicta ſolutio. Compoſitio virtualis, quaſi ſubiectiua non poteſt ſaluari, niſi in aliquo compoſitionem formalem habente: ſed ſi ſecunda operatio intellectus noſtri non componit formaliter, nõ eſt aliquod compoſitum formaliter, vbi cõpoſitio virtualis, quaſi ſubiectiua ſaluetur; ergo ſi ſecunda operatio noſtri intellectus non componit formaliter, nec etiam cõponet virtualiter, quaſi ſubiectiuè. Maior patet. Etenim ſi mixtum non eſſet formaliter compoſitum ex quatuor qualitatibus, quæ ſunt virtutes elementorum, non diceretur elementa virtualiter, quaſi ſubiectiuè mixtum componere; ergo virtualis compoſitio, quaſi ſubiectiua nequit ſaluari, niſi in aliquo compoſito formaliter. Min. verò probat. Prima operatio intellectus nullam facit compoſitionem, quandoquidẽ non attribuit vnũ alteri, ſed ſolum ſimpliciter apprehendit nihil affirmando, vel re-

negando; ergo si secunda operatio nostri intellectus non componit formaliter, non est aliquod compositum formaliter, vbi cōpositio virtualis, quasi subiectiua saluetur; ac per consequens nostram secundam intellectus operationem supponere plures apprehensiones non est sufficiens, vt in illa saluetur compositio virtualis, quasi subiectiua distincta à compositione obiectiua, quæ in intellectu angelico etiam inuenitur. Tertio impugnatur prædicta solutio. Nam quando intellectus noster format hanc propositionem, *homo est animal*, non cognoscit confusè animal, & provt continetur in homine, sed explicitè cognoscit animal secundum suam propriam naturam: sed non potest cognoscere animal explicitè, & secundum suam propriam naturam, nisi per conceptum distinctum à cōceptu hominis; ergo prædictam propositionem format per multitudinem conceptuum formalium, & non per vnicum conceptum. Minor est D. Thom. 1. p. q. 89. art. 4. asserentis intellectum nostrum non posse cognoscere partes alicuius totius explicitè, & secundum suas naturas, nisi per multos conceptus, licèt illas confusè, & provt in toto vnico conceptu attingere valeat.

6 Si denique respondeas in fauorem oppositæ sententiæ, intellectum nostrum ex tribus cōceptibus subiecti copulæ, & prædicati formatis per primam suā operationem posse elicere, seu formare, in sua secunda operatione quartum conceptum habentem pro obiecto tres cōceptus formatos per primam operationem, illosque componentem, & in hoc quarto conceptu consistere propositionem enunciatiuam mentalem, qui quidem conceptus licèt in se non sit formaliter compositus, habet tamē formalem compositionem in suo obiecto, quatenus habet pro obiecto compositionem formalem conceptuum formaliū per quod distinguitur ab intellectu angelico, qui nunquam habet pro obiecto compositionem formalem conceptuum formalium. Hæc etiam solutio est insufficiens, & reijcitur. Nam tres cōceptus formati per primam intellectus operationem, nullam inter se habent compositionem; siquidem in prima operatione intellectus nulla datur compositio; ergo ex illis non potest intellectus noster quartum cōceptum formare prædictos conceptus componentē. Antec. est certum. Et conseq. probat. 1. Nam compositio (vt probauimus in ratione probatiua nostræ cōclusionis) necessariò importat multitudinem conceptuum formalium; ergo si tres illi conceptus formati per primam intellectus operationem non sunt inter se compositi, non poterūt per vnicum conceptum formatum in se-

secunda operatione nostri intellectus componi. Secundo. Nam intellectus noster vnico cõceptu nõ potest attingere plura vt plura: sed illi tres coceptus formati per primã nostri intellectus operationem, sunt plura vt plura (vt probaui in prima conclusione, quia non habent compositionẽ; ergo nõ potest intellectus noster in secunda operatione formare aliquẽ conceptũ, qui vnus sit, & tres illos cõceptus attingat. Nec refert si dicas intellectum nostrũ in nostra sententia per secundam suam operationem formare vnicum conceptum, qui dicitur iudicium, quo attingit totam enũciationem, & conceptus subiecti, copulæ & prædicati; ergo similiter poterit per secũdã suam operationem formare vnicum conceptum attingẽtem tres primos cõceptus formatos per primam apprehensionem. Non inquam id refert. Etenim iudicium non facit compositionem, sed illam supponit factam, & habet illam pro obiecto; & cum in cõpositione conceptus subiecti copulæ, & prædicati vt partes contineantur: hinc prouenit, quod vnicus conceptus, qui dicitur iudicium possit attingere totam enunciationem compositam, & conceptus copulæ subiecti, & prædicati, tanquam partes in toto, vt dixi in secunda conclusione: at verò conceptu formati per primã apprehensionẽ cum non habeant cõpositionẽ nõ possunt attingi, vt partes in toto; quo circa non possunt attingi per vnicũ conceptũ formatũ per secũdam intellectus operationẽ. Insuper est alia ratio. Nam iudicium non cõponit conceptus formales, sed illos cõpositos supponit, & ideo potest esse vnicus simplex cõceptus: at verò cõceptus secũdæ operationis nostri intellectus, in quo propositio enunciatiua mentalis consistit, cõponit conceptus formales formatos per primam apprehensionem: & cum compositio necessariò importet multitudinem cõceptuũ formaliũ: hinc prouenit, quod intellectus noster ex tribus conceptibus formatis per primam apprehensionẽ, non potest quartum in sua secunda operatione formare, qui vnicus sit, & tres conceptus formatos per primã apprehensionẽ attingat, illosque inter se componat. Vnde non est eadẽ ratio. Cõfirmat. prædicta doctrina, & simul prædicta solutio impugnatur. Propositio enim enũciatiua mẽtalis, non minus petit componi ex conceptibus formalibus, quã vocalis ex vocibus: sed propositio enunciatiua vocalis habens pro obiecto tres res, quæ sunt antecedẽter ad illam, illas componit per tres voces; ergo similiter propositio enunciatiua mentalis habens pro obiecto tres apprehensiones, quæ sunt antecedenter ad illam, illas componet per tres formales conceptus secundæ operationis intellectus.

7 Contra tertium conclusionem obijcies primo. Secundum D. Thom. primo contra gentes cap. 55. art. 1. *Intellectus simul intelligit totam propositionem, & nõ prius subiectum, & postea prædicatum, quia vnica specie totius extrema intelligit*, sicut intelligit partes continui: sed continuum, & eius partes intelligit vnico simplici cõceptu; ergo etiã vnico simplici conceptu intelligit totam propositionem. Idẽ docet 1. p. quæst. 58. artic. 2. & q. 89. art. 4. & quæst. 68. art. 1. Ad omnes istas authoritates Diui Thomæ, & ad alias, si quæ sunt, facili negocio respondetur explicando Diuum Thom. & dicendo Angelicum Magistrũ locutum fuisse de propositione iudicatiua, scilicet, de illo iudicio, quo intellectus noster, præcisè iudicat de propositione iam facta, quod quidem iudicium cum non componat, sed compositionem supponat, est vnicus simplex cõceptus attingens totam enunciationem, & subiectum, copulam, & prædicatum, vt partes in toto. Quæ explicatio habet fundamentum illis in verbis primæ authoritatis. *Quia vnica specie totius extremæ intelligit*: & cum intellectus non possit habere speciem totius, nisi propositio sit iam facta: hinc prouenit D. Thom. in locutum fuisse prædictis in locis de iudicio supponente propositionem factam, & illam pro obiecto habente, non tamen de conceptu componente enunciationem, & si de hoc conceptu locutus fuit D. Thomas, dicendum erit, quod illum vocauit vnum vnitate compositionis, non verò vnitate simplicitatis. Sed replicabis. Eodem actu, quo intellectus noster propositionem mentalem componit, potest in exercitio de illa iudicare: sed secundum D. Thomam iudicium, quo intellectus iudicat de propositione est vnicus simplex conceptus; ergo etiã actus, quo propositionem mentalem componit erit vnicus simplex cõceptus. Respondetur admittendo maiorem, & distinguẽdo minorem, iudicium reflexum præcisè iudicans, concedo min. iudicium exercitum iudicans, & componens, nego minorem, & consequentiam. Itaque dupliciter potest intellectus noster de propositione mentali iudicare, vel per ipsum actum, quo propositionem componit, quatenus in exercitio est iudicatiuus sui ipsius, vel per alium actum reflexum mere iudicans, & non componens, sed compositionem supponens. Hoc supposito dico, quod licet secundum iudicium sit vnus simplex cõceptus propter rationem datam in secunda conclusione; & sæpè sæpius repetitam, tamen primum iudicium non est vnicus simplex conceptus, sed plures, quia licet ex illa parte, qua iudicium est nõ petat plures conceptus; ex illa ta-

tamen parte, qua simul compositio est, postulat plures conceptus propter rationem traditam in probatione tertiæ conclusionis.

8 Objicies secundo. Secundum D. Thom. 1. p. quæst. 1. art. 9. & quæst. 12. Imaginatio præconceptis speciebus montis, & aurei format speciem montis aurei; ergo intellectus noster ex simplicibus apprehensionibus subiecti, copulæ, & prædicati præsuppositis in prima sua operatione poterit in secunda formare vnicum conceptum repræsentantem totam enunciationem. Confirm. primo hoc argumentum. Quæ per vnicam speciem repræsentantur vnico conceptu possunt intelligi: sed quod homo sit animal, vnica specie repræsentatur; ergo vnico conceptu intelligitur ab intellectu. Confirm. secundo. Subiectum, & prædicatum huius propositionis, *homo est animal* vnico conceptu repræsentantur; ergo prædicta propositio, quatenus in mente nostra est simplex qualitas. Probat. antec. In subiecto prædictæ propositionis intelligitur prædicatum; ergo subiectum, & prædicatum prædictæ propositionis vnico conceptu repræsentatur. Antec. est certum; quia prædicatum est idem realiter cum subiecto, & de essentia illius; ergo non potest intelligi subiectum, quin etiam in illo intelligatur prædicatum. Consequentia vero probatur. Id. ò Angelus vnico conceptu cognoscit subiectum, & prædicatum, quia intelligit prædicatum in subiecto; ergo si intellectus noster intelligit prædicatum prædictæ propositionis in subiecto, subiectum, & prædicatum vnico conceptu intelligit, & vnico conceptu repræsentantur. Respondetur explicando D. Thomam: *format speciem repræsentantem montem aureum* per modum vnius naturæ, concedo anteced. per modum duarum naturarum, quarum vna alteri attribuitur, nego anteced. & eadem distinctione distinguo consequens. Imaginatio enim, licet ex præconceptis speciebus montis, & aurei possit tertiam formare speciem repræsentantem montem aureum per modum vnius essentiæ, nempè per modum essentiæ quimeræ, non tamen potest formare tertiam speciem repræsentantem montem aureum per modum duarum naturarum, quarum vna alteri attribuatur. Ita similiter licet intellectus noster possit formare aliquem conceptum repræsentantem propositionem per modum vnius essentiæ, & quidditatis propositionis, sicut quando intelligit propositionem vt sic, & quidditatem illius, non tamen potest formare vnicum conceptum repræsentantem subiectum copulam, & prædicatum per modum duarum rerum, quarum vna alteri attribuatur; ac per consequens

quens licet detur vnicus cõceptus totam propositionẽ per modum vnius quidditatis repræsentans: non tamen potest dari vnicus conceptus componens enũciationẽ, vnde compositio semper petit multitudinem conceptuum, quorum vnus alteri attribuatur; quia in vnico simplici cõceptu, non relucet compositio, quamuis possit habere compositionem pro obiecto. Ad primam confirm. nego antec. loquendo de intellectu nostro, qui ob sui debilitatem infimi gradus intellectiui pluribus cõceptibus cognoscit, quæ per vnicam speciem repræsentantur. Et instio argumentum. Nam ens reale, & ens rationis vnica specie impressa repræsentantur: & tamen in probabiliori sententia non cognoscuntur vnico conceptu, sed pluribus conceptibus, scilicet, duabus speciebus expressis. Et omnium ratio est. Nam species impressa habet rationẽ principij. Si quidẽ est cõprincipiũ intellectionis. Conceptus vero, seu species expressa habet rationẽ termini, & cũ principium ex suo cõceptu habeat maiorem indifferentiã, & minorem determinationẽ; quã terminus: hinc prouenit, quod plures res vnica specie impressa, repræsentẽtur, & non vnico cõceptu intelligantur. Vel secundo dicatur, quod licet illa, quæ vnica specie repræsentantur, possint intelligi vnico conceptu, si intelligantur per modum vnius quidditatis, non tamen si intelligantur per modum compositionis exercitę, & quatenus in exercitio vnum alteri attribuitur. Ad secundam confirmat. distinguo anteced. Vnico conceptu repræsentantur per modum vnius essentiæ, scilicet, per modum essentiæ hominis, concedo antec. per modum compositionis formalis exercitæ, & attributionis vnius ad aliud, nego anteced. & cõseq. Quæ solutio cõstat ex dictis. Sed cõtra istam solutionem replicabis. Ideò Angelus non intelligit componendo, quia in subiecto propositionis prædicatũ intelligit; ergo si noster intellectus in subiecto prædictæ propositionis prædicatum intelligit vnico conceptu, & sine cõpositione prædictã propositionẽ intelligit. Dices Angelum non cõponere, quia in subiecto alicuius propositionis prædicatum explicitè, & clarè cognoscit; at verò noster intellectus quamuis in subiecto alicuius propositionis prædicatũ implicitè, & confusè cognoscat, nõ tamẽ illud cognoscit clarè, & explicitè ob sui debilitatẽ intellectiuã; quo circa intellectus noster formaliter cõponit vt clarè, & explicitè cognoscat, quæ implicitè, & in cõfuso iã in subiecto cognouerat. Sed adhuc replicabis. Potest cõtingere, quod lumẽ, & vis intellectiua nostri intellectꝰ excedat cognoscibilitatẽ passiuã subiecti, & prędicati alicuiꝰ propositionis; ergo potest in-

intellectus noster in subiecto alicuius propositionis prædicatum clarè, & explicitè cognoscere. Secundo. Idem lumen intellectiuum est in nostro intellectu in statu cõiunctionis cum corpore; ac in statu separationis à corpore; sed in statu separationis vnico conceptu in subiecto propositionis prædicatum clarè, & explicitè cognoscit; ergo etiam in statu coniunctionis cum corpore vnico conceptu in subiecto propositionis prædicatũ clarè, & explicitè cognoscit. Resp. solutionem datam esse legitimã, & ad vltimam replicam dicatur, quod lumen cognoscitiuum nostri intellectus semper exceditur in modo cognoscendi à subiecto, & prædicato cognitis per modum attributionis, & quatenus vnum alteri atttibuitur; quia subiectũ, & prædicatum, quatenus hoc modo cognoscuntur, sunt plura vt plura, & plura vt plura semper excedunt lumen intellectiuum, ne dum intellectus nostri verum etiam intellectus angelici; vnde nunquam intellectus noster potest vnico cõceptu cognoscere subiectum, & prædicatũ per modũ attributionis, & quatenus vnum alteri attribuitur; imò nec intellectus Angeli potest vnico conceptu subiectũ, & prædicatũ per modũ attributionis, exercitæ & quatenus vnũ alteri, alteri attribuitur cognoscere, quapropter in modo cognoscẽdi per modũ attributionis semper lumen intellectus nostri exceditur à subiecto, & prædicato cognitis per modum attributionis, qua vnum alteri attribuitur. Ex quo prouenit, quod intellectus noster nunquam potest vnico conceptu cognoscere explicitè prædicatum, vt prædicatum in subiecto, licet possit vnico conceptu cognoscere implicitè prædicatum per modum partis essentiæ subiecti in ipso subiecto. Ad secundam distinguo maiorem, idem ex parte recti, concedo maiorem, idem ex parte obliqui, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Lumen enim intellectiuum nostri intellectus duo importat, vnum in recto, & aliud in obliquo, in recto importat ipsum intellectum, in obliquo importat species intelligibiles. Hoc supposito dico, quod licet ex parte recti idem lumen intellectiuum sit in intellectu nostro in statu coniunctionis cum corpore, ac in statu separationis à corpore, non tamen est idem lumen ex parte obliqui in vtroque statu, quia non habet eadem species intelligibilse in vtroque statu. Nam in statu coniunctionis intelligit intellectus noster per species causatas ab obiectis, & per conuersionem ad phantasmata, in statu verò separationis intelligit per species infusas similes speciebus angelicis, & per conuersionem ad prima intelligibilia, & cũ species intelligibi-

les à rebus causatæ sint valdè determinatæ, & limitatę, & species intelligibiles à Deo intulæ sint vniuersaliores, & amplissimæ, vtpotè ideatæ à diuina essentia: hinc prouenit, quod licet intellectus noster in statu separationis possit vnico cõceptu cognoscere explicitè, & clarè in subiecto alicuius propositionis prædicatum ipsius, non tamen possit in statu coniunctionis explicitè, & clarè in subiecto alicuius propositionis prædicatũ ipsius vnico conceptu intelligere, quo circa licet intellectus noster in statu separationis non intelligat componẽdo, & diuidẽdo, in statu tamen coniunctionis componẽdo intelligit, & diuidendo. Et instò argumentum. Nam hæc est mala consequentia, *intellectus noster in statu separationis non intelligit discurrendo; ergo in statu coniunctionis non intelligit discurrendo*; ergo similiter, etiam hæc consequentia mala erit, intellectus noster in statu separationis non intelligit componendo, & diuidẽdo; ergo in statu coniunctionis non intelligit componendo, & diuidẽdo. An autẽ modus cognoscẽdæ animæ separatæ sit illi naturalis, vel præternaturalis non est præsentis loci disputare. Videatur sapientissimus Magister Bañez 1. p. quæst. 89. art. 1. dub. 2. Similiter nõ est huius loci disputare, in quo distinguantur species intelligibiles animæ separatæ ab speciebus angelicis, & ideò ab hoc libenter supersedeo. Videatur idem sapientissimus Magister Bañez 1. p. quæst. 79. art. 3. dub. 2. ad secundum argumentum.

9 Obijcies tertio. Quamuis intellectus hominis haberet eundem modum intelligendi, ac habet Angelus adhuc intellectus hominis esset inferior intellectu Angeli; ergo ex eo quod intellectus hominis est inferior intellectu Angeli, non infertur intellectum hominis, non posse habere eundem modum intelligendi, ac habet Angelus; ac per consequens ex eo quod Angelus non componat quãdo intelligit propositionem enunciatiuam, non sequitur hominis intellectum componendo intelligere. Prob. antec. Voluntas hominis habet eundem modum volendi, ac habet voluntas Angeli: & tamen saluatur, quod voluntas hominis sit inferior voluntate Angeli; ergo quamuis intellectus hominis haberet eundem modum intelligendi, ac habet Angelus, adhuc intellectus hominis esset inferior intellectu Angelico. Minor constat. Et maior probatur. Sicut voluntas Angeli amat per electionem, & intentionem, tanquam per duos actus distinctos, ita in voluntate hominis distinguuntur duo actus, intentio, scilicet, & electio; ergo voluntas hominis habet eundem modum volendi, ac habet voluntas Angeli. Confirmat. Debilitas luminis intellectiui Angeli inferioris

solum probat Angelum inferiorem per plures species intelligere: non tamen probat Angelū inferiorem vnico conceptu non intelligere totam enunciationē; ergo similiter imbecillitas luminis intellectiui intellectus nostri solū probabit intellectum nostrū per plures species intelligibiles intelligere totam enunciationē, nō tamen probabit vnico cōceptu nō intelligere ipsam enūciationem. Respond. negando antec. Ad probationem nego maiorem. Etenim licet in voluntate Angeli, sicut in nostra voluntate distinguantur duo actus, intentio, scilicet, & electio, tamen voluntas Angeli, & voluntas nostra diuersum modum habent operandi, nam voluntas Angeli amat inflexibiliter, voluntas vero nostra flexibiliter; quo circa voluntas nostra, & voluntas Angeli diuersum modum habent operandi: at verò si intellectus noster vnico conceptui intelligeret totam enunciationem, nō esset aliud caput, à quo venanda foret distinctio ipsius ab intellecta Angelico, nec posset restare principium à quo desumeretur inferioritas nostri intellectus respectu intellectus Angelici, vt constat ex ratione probatiua nostræ conclusionis. Quo circa nunquam intellectus noster potest vnico conceptu intelligere totam enūciationem. Ad confirmationem concedo anteced. & nego conseq. Ratio discrimin's est. Nam debilitas luminis intellectus Angeli inferioris, est debilitas existens in specie gradus intellectiui superioris ad lumen intellectus nostri; quia est in specie gradus intellectiuè Angelici, quo circa habet prædicata talis speciei: & cum vnum ex illis sit intelligere vnico intuitu, & conceptu: hinc prouenit, quod Angelus inferior semper vnico actu intelligit absque compositione, & discursu; at verò imbecillitas nostri intellectus est debilitas existens in specie gradus intellectiui inferioris ad lumen intellectus angelici; quia est in specie infima gradus intellectiui. Quapropter debet habere prædicata essentialia huius gradus, & cum vnum ex prædicatis sit intelligere componēdo, & diuidendo: hinc prouenit, quod intellectus noster quantumuis perfectus sit, semper debet intelligere per plures actus componendo, & diuidendo. Nunquam enim species inferior quantumuis crescat in perfectione, potest pertingere perfectionem speciei superioris, sicut species Leonis quantumuis crescat, nunquam potest peruenire ad perfectionem hominis. Nec refert si dicas animam separatam vnico conceptu absque compositione intelligere; ergo iam intellectus noster potest peruenire ad perfectionē intellectus angelici. Non inquā hoc refert. Nam anima separata consequi-

tur speciem Angelorum, saltim in modo essendi, & existendi: & cum operatio sequatur modum essendi, ideò sicut Angelus intelligit, ipsa etiam intelligit, sed de hoc sufficiunt, quæ dicta sunt in solutione secundæ confirmationis præcedentis argumenti.

10 Objicies quarto. Subiectũ, & prædicatum huius propositionis, *homo est homo*, subordinantur eidem conceptui; ergo tota propositio eidem conceptui subordinatur. Antecedens probatur. Subiectum, & prædicatũ prædictæ propositionis significãt eandẽ rem; ergo eidẽ cõceptui subordinantur. Secundo. Non possunt subordinari pluribus cõceptibus distinctis specie, quia res significata est eadẽ specie athom, nec distinctis numero cõceptibus, quia accidentia solum numero distincta non possunt esse simul in eodem conceptu, & illi conceptus essent simul in eodẽ intellectu; ergo non possunt subiectum, & prædicatum prædictæ propositionis pluribus subordinari conceptibus. Confirmatur. Conceptus attingens prædicatum alicuius propositionis attingit etiam subiectum; ergo vnicus simplex conceptus sufficit ad totam propositionem enunciatiuam attingendam, ac per consequens propositio enunciatiua mentalis est simplex qualitas. Confirm. secundo. Propositio est terminus secundæ operationis intellectus; sed secunda operatio intellectus est vna simplex; ergo propositio mentalis, quæ est eius terminus, etiam est simplex qualitas. Respond. negando anteced. Ad primam probationem distinguo anteced. significant eãdem rem, & eodem modo, nego antec. diuerso modo, concedo anteced. & nego conseq. Etenim licet subiectum, & prædicatum prædictæ propositionis significent eandem rem, nempè hominem: quia tamen diuerso modo illam significant, subiectum, scilicet, vt id cui attribuitur, & prædicatum, vt id quod attribuitur; ideò diuersis specie conceptibus subordinantur prædicatum, & subiectum prædictæ propositionis. Exemplum est in ly *Cato*, & ly *Catonis* eandem rem significantibus: & tamen quia diuerso modo illam significant, nimirum ly *cato* per modum *quid*, & ly *Catonis* per modum *cuius* diuersis specie conceptibus subordinantur, vt diximus disputat. 11. quæst. 4. n. 1. Nec refert si dicas subiecto, & prædicato prædictæ propositionis in apprehensione vnicum tantũ correspondere conceptũ; ergo similiter in secunda intellectus operatione vnicus illis correspondebit conceptus. Non inquam id refert. Nam in apprehensione non intelliguntur subiectum, & prædicatum prædictæ propositionis per modũ subiecti, & prædicati: cum in simplici apprehensione non sit subiectum,

ctum, & prædicatum formaliter, vt constat ex dictis, sed intelliguntur per modum cuiusdam rei. Vnde in prima apprehensione apprehenditur eadem res, & eodem modo. Quapropter est idem conceptus; at verò in secunda intellectus operatione cognoscitur prædicatum vt prædicatum, & subiectum, vt subiectum, & cum modus subiecti, & prædicati sint diuersi modi: hinc prouenit, quod in secunda operatione nostri intellectus subiecto, & prædicato prædictæ propositionis diuersi conceptus correspondent, sicut rationale per vnam simplicem apprehensionem apprehenditur; si tamen ipsi postquam est apprehensum intellectus vellit tribuere secundam intentionē speciei in ordine ad hoc rationale, & ad illud rationale, & secundam intentionem differentiæ in ordine ad sua inferiora necessariò hoc faciet non per vnicum conceptum, sed per duos, quia intentiones sunt duæ, & distinctæ, ita similiter homini apprehenso per vnum simplicem conceptum primæ operationis intellectus, in secunda per duos conceptus tribuit illi secundam intentionem subiecti, & prædicati; quia intentiones sunt duæ, & distinctæ. Ad secundam probationem dicatur, conceptus correspondentes subiecto, & prædicato prædictæ propositionis esse distinctos specie, sicut conceptus correspondentes recto, & obliquo. Ad primam confirmationem distinguo antecedēs; attingit etiam subiectum in obliquo, & vt terminus habitudinis, concedo antecedens, in recto, nego antecedens, & consequentiam. Licet enim conceptus prædicati attingat in obliquo, & in confuso subiectum, non tamen attingit illud in recto, & directè. Quo circa alius est necessarius conceptus, vt attingatur subiectum directè, & in recto. Et in isto argumentum. Nam in tertia operatione conceptus attingens præmissas, etiam in obliquo attingit conclusionem, vt terminum habitudinis præmissarum: & tamen est necessarius alius conceptus attingens directè, & in recto conclusionem. Si dicas intellectum nostrum non discurrere formaliter, sed vnico actu attingit præmissas, & conclusionem, & distingui ab intellectu angelico, in eo quod intellectus angelicus vnico actu attingit præmissas, & conclusionem, non præsupponendo plures apprehensiones, intellectus verò noster, quamuis vnico actu attingat præmissas, & conclusionem, talis actus plures, conceptus supponit in apprehensione. In contrarium est, quia hæc solutio quoadvsque est res inaudita, & contra illā reddeunt impugnationes factæ numero 5. Et insuper impugnatur. Nam Angelus inferior, quando vnico

actu

actu attingit præmissas, & conclusionem talis actus, etiam supponit plures conceptus antecedētes; ergo iuxta prædictam solutionem non saluatur distinctio inter intellectum Angeli, & hominis in attingentia conclusionis. Nec sufficit respondere actum Angeli inferioris attingentē præmissas, & conclusionem solū per accidēs præsupponere plures cōceptus antecedentes, actum vero intellectus nostri attingentē præmissas, & conclusionem necessariò, & per se præsupponere plures conceptus; quo circa adhuc subsistit distinctio inter intellectum nostrum, & intellectū Angeli in attingentia conclusionis. Nō inquam id sufficit. Nā actus Angeli inferioris attingens istam conclusionem, *omne corporeum nō est gratia, lapis est corporeus; ergo lapis non est gratia*, necessariò præsupponit duos conceptus lapidis, scilicet, & gratiæ; ergo solutio est nulla. Prob anteced. Talis actus necessariò præsupponit duas species; ergo etiam necessariò præsupponet duos conceptus. Patet conseq. Nam ideò necessariò indiget duabus speciebus, & illas necessariò præsupponit, quia species lapidis illi non repræsentat gratiam; sed etiam conceptus lapidis illi non repræsentat gratiā; ergo sicut necessariò præsupponit duas species, ita necessariò præsupponet duos cōceptus. Secundo. Nam ex ista solutione sequitur hominis intellectus nullatenus componere: consequens est falsum; ergo & anteced. Sequela prob. Intellectum Angeli per accidēs supponere plures cōceptus, non probat ipsum per accidens componere; ergo intellectum nostrum supponere per se plures conceptus, non probabit per se componere. Patet conseq. Nā forma præstita subiecto per accidens illi præstat suum effectum, saltim per accidens, sicut albedo præstat suum effectū homini; ergo si præsuppositio conceptuum tribuitur per accidens Angelo, & hæc causat compositionem, & discursum in homine, etiam compositionem & discursum saltim per accidens causabit in Angelo; vel si in Angelo nullatenus infert discursum, seu compositionem, similiter in homine, nullatenus compositionē, seu discursum probabit. Ad secūdam confirmationem principalis argumenti concessa maiori distinguo min. est vna simplex simplicitate physica, concedo min. simplicitate intentionali, nego min. & conseq. Licet enim secunda operatio nostri intellectus, non habeat compositionem physicā ex materia, & forma physicis, habet tamē compositionem intentionalem, quatenus secunda operatio nostri intellectus adæquatè sumpta plures conceptus importat, quorum vnus se habet, vt materia determinabilis, & alius, vt forma determinās. Vnde licet quilibet conceptus seorsim

sim sumptus sit simplex qualitas, tota tamen secunda nostri intellectus operatio omnes conceptus copulæ, subiecti, & prædicati importans est qualitas ex hijs conceptibus composita. Et quidem licet secunda operatio nostri intellectus esset, quid simplex, nescio enim vndè inferreretur propositionem mẽtalem, quæ est eius terminus esse simplicem qualitatem; cum multoties actio productiua alicuius termini sit, quid simplex, & tamen terminus productus est compositus; sicut actio solis ex putrefactione terræ murem producens est, quid simplex: & tamen mus, qui est eius terminus, non est simplex, sed compositus.

11 Obijcies vlt. Propositio enunciatiua mẽtalis est illa, quæ significat verum, vel falsum: sed non potest verum, vel falsum significare, nisi qualitas simplex sit; ergo propositio enunciatiua mẽtalis est simplex qualitas. Minor prob. Veritas vel falsitas non inuenitur in intellecta, nisi per adæquationem, vel inadæquationem iudicij intellectus cum re cognita: sed adæquatio, vel inadæquatio est simplex qualitas, & vnus simplex conceptus adæquatus, vel inadæquatus; ergo sola simplex qualitas potest verum, vel falsum significare. Cõfirm. 1. Proprietas propositionis, scilicèt, veritas est simplex; ergo etiam ipsa propositio, qualitas simplex erit. Patet conseq. Proprietates enim cum essentia, cuius sunt proprietates debent proportionari: sed simplex cum composito, non habet proportionem; ergo si proprietas propositionis est simplex qualitas, etiam ipsa propositio simplex qualitas erit. Secundo. Notæ illationis non correspõdet distinctus conceptus à conceptibus præmissis correspondẽtibus; ergo similiter copulæ propositionis non correspondebit conceptus distinctus à conceptibus subiecto, & prædicato correspondentibus. Tertio. Huic propositioni, *Petrus scribit*, solum correspondet vnicus conceptus; ergo in mente est qualitas simplex. Prob. antec. Copulæ prædictæ propositionis non correspondet distinctus conceptus à conceptu subiecti, sed prædicta propositio non habet prædicatũ; ergo vnus tantum illi correspondet conceptus. Denique propositio mẽtalis enunciatiua, nec componitur ex pluribus conceptibus formatis per primam operationem nostri intellectus, nec ex pluribus per secundam operationem formatis; ergo non est qualitas composita. Pro 1. p. prob. antec. Propositio enunciatiua mentalis componitur ex conceptu subiecti, & prædicati: sed in prima operatione non inuenitur subiectũ, & prædicatum (vt constat ex nuper dictis) ergo non componitur ex conceptibus formatis per primam nostri intellectus operationem.

nem. Pro 2. par. prob. antec. 1 er secundam operationem nostri intellectus fit propositio mentalis: sed termini mentales ipsam componentes debent prosupponi antecedenter ad ipsam; ergo non componitur ex conceptibus formatis per secundam operationem nostri intellectus.

12 Resp. conc. mai. & neg. min. Ad prob. distin. mai. in adæquatione iudicij exerciti, vel reflexi, cõc. mai, reflexi solum, nego mai. & sub eadem distinct. minor. nego conseq. Etenim cum copula propositionis sit forma totalis illius significans totam enunciationem (vt diximus disp. 12. q. 5.) hinc prouenit, quod intellectus noster, quando componit propositionem in exercitio per conceptum copulæ vnientis secum afferentem cõceptus subiecti, & prædicati tanquam partes compositionis, adæquatur, vel inadæquatur cum obiecto cognito, & habet veritatem, vel falsitatem: vndè tota propositio mentalis medio conceptu copulæ, in exercitio se adæquante, vel inadæquante cum obiecto significat veritatem, vel falsitatem. Nec refert, si dicas quod quando est conceptus copulæ, iam non sunt conceptus subiecti, & prædicati; ergo per conceptum copulæ, non potest propositio mentalis verum, vel falsum significare. Non inquam hoc refert. Nam cum oratio mentalis sit ens successiuum, sicut tempus, existunt eius partes, non in se, sed in termino continuatiuo, nempè in copula in qua tanquam in termino continuatiuo repræsentantur; vndè sicut tempus dicitur existere, quando existit eius continuatiuum, ita conceptus subiecti, & prædicati, & tota propositio dicuntur existere, quando existit conceptus copulæ significans totam enunciationem; quo circa medio conceptu copulæ potest intellectus in exercitio iudicare de tota enunciatione, & habere veritatem, vel falsitatem; quapropter licèt iudicium reflexum simplex qualitas sit, iudicij tamen exercitum identificatum cum ipsa compositione, non est simplex qualitas, sed composita. Aduertendum tamen erit, quòd licèt conceptus copulæ in se sit simplex, quia tamen est conceptus alicuius vnientis secum affert alios conceptus vnitos, nempè conceptus subiecti, & prædicati; sicut forma totalis, scilicèt, humanitas, secum affert materiam primam, & animam rationalem, cum hoc solo discrimine, quod humanitas secum affert materiã primam, & animã in se, eo quod sunt partes permanentes, conceptus verò copulæ non affert secum formaliter, & in se conceptus subiecti, & prædicati, sed solum inadæquatè, & tanquam continuatiuum; eo quod sunt partes fluidæ, & successiuæ.

13 Ad primam confirmationem dicatur, quòd licèt passio pro-

propositionis enunciatiuæ mentalis sit simplex, ex hoc tamē nō infertur ipsam propositionem mentalem simplicem qualitatem esse. Quia multoties passio est simplex, & tamen essentia est composita, sicut potentia nutritiua in Bruto est simplex expers physicæ compositionis: & tamen essentia ad quam sequitur est composita physica compositione. Et insto argumentū. Etenim passiones essentiæ sunt accidentia, & tamen ipsa essentia, ad quā sequuntur multoties, non est accidens, sed substantia; ergo ex eo quod passio sit simplex, non infertur essentiam ad quam sequitur simplicem esse. Proportio vero, quæ debet inueniri inter essentiam, & passiones non debet esse proportio in omnibus, aliàs non esset proportio, sed identitas, sed sufficit, quod sit proportio in aliquo, & quod essentia habeat vim radicandi, vel exigendi passiones. Ad secundam admisso antecedenti, quod est falsum, nego conseq. Disparitas est. Nam nota illationis solum denotat motū successiuum intellectus, qui solum consistit in successiua attingentia, qua intellectus attingit antecedens, & consequens, vnde non est necessariò, quod notæ illationis distinctus conceptus correspondeat: at verò copula est forma totalis significans, non solum successionem conceptuū, sed etiam totam enunciationē, & veritatem; quo circa illi distinctus conceptus à conceptu subiecti, & prædicati debet correspondere. Ad tertiam dicatur prædictæ propositioni tres conceptus correspondere; quia in propositionibus de secundo adiacēte copula est copula, & prædicatum, & in mente vltimata copulæ correspondet verbum substantiuum inclusum in copula de verbo adiectiuo; vnde in mente vltimata idem est dicere, *Petrus scribit*, ac dicere, *Petrus est scribens*. Ad vltimam dicatur propositionem enunciatiuā mētalem componi ex conceptibus formatis per secundam intellectus operationem, qui præsupponuntur ad ipsam propositionem, saltim pro priori rationis, licet conceptus formati per primam intellectus operationem occasionaliter componant propositionem mētalem, quatenus ex illis sumit noster intellectus occasionem ad hoc, quod per secundam alios conceptus formet propositionem enunciatiuam mentalem formaliter componentes. Plura alia omitto, quę in dictis sunt sufficiēter insinuata, quæ expressè non ponuntur, ne quæstion. nimis onerosa reddatur.

QVÆ-

QVÆSTIO VII.

Vtrùm diuisio propositionis in cathegoricam, & hypotheticam sit essentialis, & vniuoca?

1 SVppositis earũ diffinitionibus, resolutoriè dico primo. Prædicta diuisio est essentialis. Hæc cõclusio est expressa nostri sapientissimi Magistri in hoc cap. 6. lect. vnic. num. 1. illis verbis: *Hæc diuisio in cathegoricam, & hypotheticã est substantialis, quia diuiditur genus.* Et prob. illius ratione. Membra huius diuisionis diuidunt propositionem per essentialia ipsius; ergo prædicta diuisio est essentialis. Prob. antec. primo. Membra huius diuisionis diuidunt propositionem per rationẽ copulæ: sed copula est forma totalis ipsius propositionis, constituens per modum prædicati essentialis differentia is ipsam propositionem, vt diximus disp. 12. quæst. 5. ergo membra huius diuisionis diuidunt propositionẽ per essentialia ipsius. Secundo. Membra huius diuisionis diuidũt propositionem per essentiam ipsius; ergo diuidunt per essentialia. Prob. anteced. Membra huius diuisionis diuidunt propositionem per rationem totius enunciatiui: sed essentia propositionis cõsistit in ratione totius enunciatiui; ergo membra huius diuisionis diuidunt propositionem per essentiam ipsius. Minor constat ex dictis in hac disputat. quæst. 2. Maior vero prob. Diuersa enunciatio reperitur in propositione cathegorica, ac inuenitur in hypotetica; ergo membra huius diuisionis diuidunt propositionẽ per rationẽ totius enunciatiui Prob. anteced. Nam enunciatio cathegoricæ est enunciatio vnius de alio, enunciatio vero hypoteticæ est enunciatio cõiunctionis vnius cum alio, vel illationis vnius ex alio, vel disiunctionis vnius ab alio: sed istæ enunciationes sunt diuersæ; ergo in cathegorica, & hypotetica diuersa enunciatio inuenitur. Confirm. Veritas enunciata per cathegoricam, & veritas enunciata per hypoteticam, sunt diuersissimæ veritates, vt constabit ex discursu quæstionis; ergo propositio cathegorica, & hypotetica diuersam habent enũciationem? Nec refert si dicas diuisionem termini in terminũ incomplexum, & complexum esse accidentalem; ergo etiam diuisio propositionis in cathegoricã, & hypotheticam accidentalis erit. Non inquam hoc refert. Admisso enim antecedenti neganda est conseq. Cuius discrimẽ est. Nam terminus complexus, & incomplexus, solum differunt ex parte subtracti, non verò ex parte secundæ intentionis partis, in qua cõsistit essentia termini; eo quod vterque terminus habet eũdem modum componendi; quo circa diuisio termini in complexum, & in incomplexum est diuisio accidentis in subiecta; ac proinde acci-

essentialis : At verò propositio cathegorica, & hypothetica differunt in ratione totius enunciatiui, vt iam probauimus, & cum in ratione enunciatiui consistat essentia propositionis: hinc prouenit, quod differant per differentias essentiales ad rationem propositionis; ac per consequens prædicta diuisio essentialis erit.

2 Dico secundo. Prædicta diuisio est vniuoca. Hæc conclusio probatur ratione. Hæc diuisio nō est analoga analogia attributionis, nec proportionalitatis; ergo est vniuoca. Prob. antec. quoad primam partem. In analogia attributionis ratio analogā non inuenitur intrinsicè in omnibus analogatis: sed ratio propositionis intrinsicè inuenitur in cathegorica, & hypothetica; ergo prædicta diuisio non est analoga analogia attributionis. Min. prob. Ratio propositionis est ratio totius enunciatiui: sed ratio totius enunciatiui intrinsicè inuenitur in cathegorica, & hypothetica; ergo ratio propositionis intrinsicè inuenitur in cathegorica, & hypothetica. Min. prob. de hypothetica de qua potest esse dubium. Nam propositio hypothetica non habet rationem enunciatiui per solam habitudinem ad cathegoricam, sed per suam formam intrinsecam, nempè per suam copulam; ergo ratio totius enunciatiui intrinsicè inuenitur in propositione hypothetica. Patet conseq. Hæc enim vrina solum est extrinsicè sana, quia dicitur sana, non à sua propria forma intrinseca, sed à sola habitudine, quam dicit ad sanitatem animalis. Anteced. verò principale quoad secundam partem prob. Nam analogia proportionalitatis, vel prouenit ex transcendentia, vel ex eo quod aliquod nomen impositum est ad significandū plura prout inter se proportionantur: sed propositio in communi non est transcendens ad cathegoricam, & hypotheticam, nec hoc nomen *propositio* impositum est ad significandum cathegoricam, & hypotheticam secundum suas vltimas differentias, & quatenus inter se proportionantur; ergo prædicta diuisio non est analoga analogia proportionalitatis. Min. prob. Nam propositionis ratio perfectè præscinditur à cathegorica, & hypothetica; ergo propositio in communi nō est transcendens ad cathegoricā, & hypotheticam, nec hoc nomen *propositio* impositum est ad significandum cathegoricam, & hypotheticam secundum suas vltimas differentias, & quatenus inter se proportionantur.

3 Contra secundam conclusionem obijcies primo. Ex Diuo Thom. in proemio per herm. asserente, quod propositio *hypothetica comparatur ad cathegoricam, sicut vnum, & multa, & videtur quod absolutè non significat veritatem, sed ex suppositione* : sed diuisio entis in vnum, & multa est ana-

analoga; ergo diuisio propositionis in cathegoricam, & hypoteticam est analoga. Confirm. hoc argum. ex eodem D. Thom. 1. per herm. lect. 8. illis in verbis: *Hypotetica non est vna simpliciter, sed vna secundum quid.* Sed quando vnum membrum alicuius diuisionis est simpliciter tale, & aliud secundum quid non potest diuisio esse vniuoca; ergo diuisio propositionis in cathegoricam, & hypoteticam non est vniuoca. Resp explic. mai. *Sicut vnum & multa* in esse entis, conc. mai. in linea artificij logicalis, nego mai. & concessa min. distinq. conseq. distinct. mai. Etenim licèt propositio hypotetica in linea entis rō sit simpliciter vna, tamen in linea artificij logicalis est vna simpliciter; eo quod significat veritatem complexam, quæ est simpliciter vna in linea veritatis enūciatæ, non minus quam veritas complexa per propositionem cathegoricam enunciata, vt ex dicendis constabit. Eadem enim res per comparationem ad diuersa genera potest esse vna in vno genere, & in alio plura, sicut sex homines in linea substantiæ sunt plura; si autem in genere quantitatis discretæ considerētur, quatenus numerum senariū constituunt, non sunt plura, sed vnum, quia sunt numerus senarius sexta vnitate ordinatus, & constitutus; ita similiter propositio hypoterica in linea entis est plura, in linea tamen artificij logici est vnum artificium logicum sua copula ordinatum, & constitutum: & cum propositio in communi non diuidatur in ratione entis in cathegoricam, & hypoteticam, sed in ratione artificij logici: hinc prouenit prædictam diuisionem esse vniuocam; ad illa verò verba D. Thomæ, *& videtur quod absolutè non significat veritatem, sed solum ex suppositione.* Explico D. Thomam, veritatem demonstrabilem admitto maiorē, enunciabilem, nego mai. & concessa min. nego conseq. Licèt enim propositio hypotetica non significet veritatem, quæ sit absolutè demonstrabilis; eo quod veritas cathegorica solum enūciata simpliciter demonstratur per demonstrationem rigorosam procedentem ex absolutè veris, & immediatis: tamē significat veritatem absolutè talem in linea veritatis enunciatæ, quia significat coniunctionem, vel disiunctionem duorum obiectorum, supra quam potest cadere iudicium intellectus. Insuper D. Thomas non protulit assertiuè prædicta verba, sed dubitatiuè, vt constat ex illa particula *videtur.* Ad confirm. explico maiorem, hypotetica non est vna simpliciter, id est, omnibus modis, conc. mai. simpliciter, id est, absolutè, nego mai. & sub eadem distinct. min. nego conseq. Bifariam enim sumitur hæc particula *simpliciter.* Vno modo accipitur pro illo, quod omnibus modis

dis est tale, sicut Deus dicitur simpliciter infinitus, quia omnibus modis est infinitus, alio modo accipitur pro illo, quod licet omnibus modis non sit tale, tamen absolutè est tale, sicut si daretur linea infinita secundum longitudinem, talis linea diceretur simpliciter, ideſt, absolutè infinita, quamuis omnibus modis non foret infinita, quia secundum latitudinem, & profunditatem, infinitatem non haberet. Quo supposito dico propositionem hypoteticam esse vnam simpliciter, ideſt, absolutè, licet non sit vna simpliciter omnibus modis, quoniã in ratione entis nõ est vna simpliciter, & etiã in ratione artificij logici non habet vnitatẽ cõpositionis partiũ, quarum vna se habeat vt materia, & alia vt forma respectu alterius, & vtraque vt materia respectu copulæ, sicut contingit in cathegorica. Cæterum, quia habet vnitatem compositionis partium, quæ omnes ordinantur ad copulam, ad quam vt materia comparantur, idcircò est vna simpliciter, ideſt, absolutè. Nec refert si dicas D. Thomam in prædicto loco asseruisse diuisionem propositionis in cathegoricam, & hypoteticã esse analogam; ergo conclusio, & solutio est nulla. Nõ inquam id refert. Facili enim negocio respondetur D. Thomam locutum fuisse de analogia physica se tenente ex parte differentiarum contrahentium, quæ compatitur cũ vniuocatione Logica: non verò de analogia Logica se tenẽte ex parte rationis communis, quæ per differentias cõtrahitur; sicut in simili diximus disp. 10. q. 8. n. 4. Sed contra istam solutionem replicatis. Diuisio propositionis in affirmatiuam, & negatiuam, etiam est diuisio analoga analogia physica: & tamen D. Thomas illam non vocauit analogam; ergo si diuisionem propositionis in cathegorica, & hypoteticam vocauit analogam sentit Angelicus præceptor diuisionem propositionis in cathegoricam, & hypoteticam esse analogam analogia Logica, & non solum physica.

Resp. prædictam solutionem esse legitimam. Et ad replicam distinguo maiorem, etiam est diuisio analoga tãta analogia physica, quanta reperitur in diuisione propositionis in cathegoricam, & hypoteticam, nego maiorem, minori analogia physica, concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam. Etenim in diuisione propositionis in cathegoricam, & hypoteticam est maior analogia physica, quàm in diuisione propositionis in affirmatiuam, & negatiuã; eo quod propositio negatiua solum caditab affirmatiua, quoad regulationẽ, & quatenus per illam, tãquam per aliquid quod est prius regulatur: at verò propositio hypotetica nõ solũ cadit à cathegorica, quoad regulationem,

verum etiam quoad cõpositionem, & vnitatem; eo quod non habet tantam vnitatem, sicut cathegorica; quapropter maior analogia reperitur intra limites analogiæ physicæ, non transeuntis ad analogiam Logicam in diuisione propositionis in cathegoricam, & hypoteticam, quam in diuisione propositionis in affirmatiuam, & negatiuam, in qua parum analogiæ physicæ inuenitur; & quia parum pro nihilo reputatur: idcircò D. Thomas non vocauit analogam diuisionem propositionis in affirmatiuam, & negatiuam.

4 Obijcies secundo. Ratio partis analogicè dicitur de partibus propositionis cathegoricæ, & hypoteticæ; ergo etiam ratio totius analogicè dicetur de propositione cathegorica, & hypotetica; ac per consequens diuisio propositionis in cathegoricam, & hypoteticam est analoga. Consequentia tenet: nam totum habet esse à partibus; ergo si ratio partis dicitur analogicè de partibus cathegoricæ, & hypoteticæ, etiam ratio totius de ipsis analogicè dicetur. Anteced. vero prob. Partes cathegoricæ sunt partes per se, partes vero hypoteticæ sunt partes per accidens: sed de illo, quod est tale per se, & de illo, quod est tale per accidens, nomen vtrique commune non dicitur vnivocè, sed analogicè; ergo ratio partis dicitur analogicè de partibus cathegoricæ, & hypoteticæ. Maior probat. Partes cathegoricæ sunt termini, partes vero hypoteticæ sunt propositiones cathegoricæ; sed termini sunt partes per se, & propositiones sunt partes per accidens; ergo partes cathegoricæ sunt partes per se, & partes hypoteticæ sunt partes per accidens. Confirm. In toto per se vna pars debet se habere vt materia; & alia vt forma: sed in propositione hypotetica vna pars non se habet vt materia, & alia vt forma; ergo propositio hypotetica non est totum per se. Minor prob. Nõ est maior ratio quare vna ex partibus sit forma, quàm alia; ergo nõ se habet vna vt materia, & alia vt forma. Respõdent aliqui ad hoc argumẽtũ, quod licet propositiones cathegoricæ nõ sint partes per se alterius propositionis cathegoricæ; sunt tamen partes per se propositionis hypoteticæ, & adducunt exemplum de oratione imperfecta, quæ est pars per se orationis perfectæ; ergo vero in memoria habens illud, quod dixi disputat. 9. q. 5. n. 2. aliter iudico ad argumentum esse respondendum. Ad quod disting. antec. de omnibus partibus hypoteticæ, nego anteced. de aliquibus, conc. anteced. & nego conseq. Licet enim aliquæ partes hypoteticæ, nimirum propositiones cathegoricæ sint partes per accidens, tamen aliqua pars hypoteticæ nimirũ sua copula hypoteticalis est pars per se,

se, quod sufficit vt tota propositio hypothetica sit totum per se. Vel secundo dicatur, quod licet partes hypotheticæ non sint partes per se perfectate ordinabilitatis, sunt tamen partes per se perfectate ordinis, quo circa ratio partis communissima, quatenus solum dicit componere cum aliquo ordine, vniuocè dicitur de partibus cathegoricæ, & hypotheticæ, licet ratio partis per se analogicè dicatur de partibus per se perfectate ordinabilitatis, & de partibus per se perfectate ordinis. Vtramque solutionem reperies disp. 9. quæst. 5. num. 2. & 3. Si tamen contra primā solutionem obijcias. Quando aliqua pars alicuius totius est pars per accidens, totum compositū non potest esse totum per se; ergo solutio est nulla. Prob. antec. Quando aliqua pars alicuius totius est pars accidentalis, totum compositum non potest esse totum substantiales; ergo pariter quando aliqua pars alicuius totius est pars per accidens, totum compositum nequibit esse pars per se. Patet conseq. Sicut enim totum substantiale habet esse à partibus substantialibus, ita totum per se habet esse à partibus per se; ergo si totum substantiale petit omnes partes sui esse substantiales, etiam totum per se exiget omnes partes sui esse per se. Respondet. neg. anteced. Ad probationem disting. antec. si pars accidentalis est forma, cōcedo antec. si est materia, nego anteced. Etenim benè potest cōtingere, quod aliquod totum sit totum substantiale, & habeat aliquam partem accidentalem, dummodo pars accidentalis nō sit forma, sed materia, sicut multi philosophi asserentes quantitatem gerere vices materiæ primæ in productione vermis ex speciebus panis cōsecrati, & formam vermis recipi in quantitate, tuentur totum compositum productum esse substantiale, quia forma est substantialis, quamuis materia sit accidentalis. ita similiter, quando aliquod totum habet aliquam partem, quæ est pars per accidens, ipsum potest esse totum per se, dummodo pars, quæ est pars per accidens se habeat vt materia, & pars, quæ est forma sit pars per se. Insuper potest assignari concesso antecedēti ratio discriminis, quæ consistit in hoc. Nam totum substantiale à fortiori debet habere formam substantialē, quæ quia non potest recipi in materia accidētali, necessariò petit materiam substantialem. Quapropter totū substantiale exigit omnes partes substantiales: at verò totum per se solum petit formam per se, & quia forma per se potest determinare materiam per accidens, & illam actuare: hinc prouenit, quod totum per se potest habere aliquas partes, quæ sint partes per accidens, & quæ determinētur, & actuentur per formā, quæ

sit pars per se. Ad confirmationem principalis argumenti concessa min. nego min. In propositione enim hypotetica propositiones cathegoricæ illam cõponentes se habent vt materia, & copala hypoteticalis se habet vt forma; eo quod licet vtraque cathegorica vna ad aliam non cõparetur vt materia, quia non est maior ratio vnius, quã alterius, tamen vtraque ad copulam hypoteticalem, vt materia per illam actuabilis, & determinabilis cõparãtur; sicut in numero omnes vnitates ad vltimam, vt ad formam dantem numero speciẽ comparatur. Sed contra istã solutionem replicabis. In propositione cathegorica partes, nõ solum vt materia comparantur ad copulam; verumetiã vna vt materia ad aliam, tanquam ad formam comparatur; ergo similiter in propositione hypotetica hoc debet contingere. Confirmat. Ex ista solutione sequitur propositionem hypoteticam maiorem vnitatẽ habere, quàm habet cathegorica. Cõsequẽs est falsum; ergo, & antec. Sequela prob. Maior vnitas inuenitur vbi tantum est vnicus actus, & vnica potentia, quàm vbi inuenitur duplex actus, & vnica potentia: sed in propositione hypotetica tãtum est vnicus actus, nempè copula hypoteticalis, & vnica potentia, ni mirum cathegoricæ cõponentes; & in cathegorica datur duplex actus, scilicet, copula verbalis, & prædicatũ, & vna potẽtia, scilicet, subiectũ; ergo ex prædicta solutione sequitur maiorem vnitatem inueniri in hypotetica, quàm in cathegorica. Resp. solutionem datam esse legitimam, & ad replicam concesso antecedenti, neg. est cõsequent. Ratio discriminis est. Nam propositio cathegorica intra limites propositionis, est propositio simplex simplici enunciatione enuncians, habensque quasi substantialem vnitatem; quo circa exigit inter partes maiorem vnitatem, quã cathegorica. Ad cõfirm. nego sequelã. Ad prob. dicatur, quod quando duo actus æquè primo, & sine ordine immediatè ingrediuntur cõpositionẽ alicuius totius minorẽ vnitatem faciunt, quam quando ingreditur vnicus tantũ actus: at vero quãdo duo actus cum ordine ingrediuntur, vnus immediatè, & alius mediatè, & tãquã forma alterius non faciunt minorẽ cõpositi vnitatẽ; nisi dicas hominem in quo inueniuntur dicto actus, scilicet, forma partialis, & totalis minorẽ vnitatẽ habere, quam numerus, in quo vnicus actus, & vnica forma inuenitur; & cum in propositione cathegorica subiectum per modum materiæ immediatè comparetur ad prædicatum, tanquam ad formam, & vtrumque simul vt materia ad copulã comparetur: hinc prouenit, quod in propositione cathegorica maior vnitas inueniatur, quam

quam in hypotetica, in qua vtraque pars cõparatur immediatè, vt materia in ordine ad copulam absque aliquo ordine inter cathegoricas componentes ad inuicem seruato.

5 Obijcies vltimo. Ratio propositionis est ratio totius enunciatiui vnius de alio: sed propositio hypotetica in ratione totius enũciatiui vnius de alio depẽdet à cathegorica; ergo propositio hypotetica in ratione communi propositionis dependet à cathegorica; ac per cõsequens prædicta diuisio est analoga. Minor prob. Propositio copulatiua, vt ista *Petrus disputat, & Ioannes loquitur*, nihil aliud enunciat, nisi illud quod per cathegoricas illã componentes enunciatur; ergo propositio hypotetica dependet à cathegorica in ratione totius enunciatiui. Prob. antec. Posita veritate cathegoricarum ipsam componentium, ponitur veritas copulatiuè, & ablata veritate cathegoricarum aufertur etiam veritas à copolatiua; ergo propositio copulatiua nihil aliud enunciat, nisi illud quod per cathegoricas ipsam componentes enunciatur. Confirm. 1. Propositio hypotetica non est vnum enunciatiuum simpliciter; ergo non est vna simpliciter in ratione propositionis. Prob. anteced. In propositione hypotetica duæ cathegoricæ coniunguntur; ergo non est vnum enunciatiuum, sed duæ enunciationes coniunctæ. Secundo. In propositione hypotetica vna cathegorica non enunciatur de alia; ergo propositio hypotetica non est enunciatiua simpliciter, sed solum secũdum quid. Prob. antec. Non est maior ratio vnius, quàm alterius, vt vna enuncietur de alia; ergo in propositione hypotetica vna cathegorica non enunciatur de alia. Resp. conc. mai. iuxta sensum explicatum in probatione nostræ conclusionis, & negando min. Ad prob. nego antec. Cathegoricæ enim componentes propositionem hypotericã copulatiuam, etiamsi simul accipiantur dummodo ex illis non fiat propositio copulatiua, nunquam enunciant simultatem per copulationem, quoad ita esse, sicut per copulatiuam enunciatur; quapropter propositio copulatiua enuncians simultatẽ suarum partium, & simultatem vtriusque veritatis, quæ per eius partes, nec seorsim, nec simul sumptas significatur, aliud enunciat ab illo, quod per eius partes enunciatur. Et licet veritas propositionis copulatiuæ à veritate suarum partium, tanquam à cõditione dependeat, tamen per copulatiuã significatur distincta veritas à veritate per suas partes significata, sicut quamuis significatio cõplexa propositionis cathegoricæ pẽdeat, tanquã à cõditione, à significatione, vel repræsentatione suarum partium, tamen significatio propositionis

cathegoricæ est distincta à significatione suarum partium. Quæ doctrina constat exemplis. Nam cathegoricæ componentes istam hypoteticam *si homo volat habet alas*, enunciant aliquid impossibile, & in illis veritas non inuenitur: & tamen ipsa conditionalis est necessaria, & vera. Similiter partes componentes istam disiunctiuam, *Petrus currit, vel Petrus non currit* significant aliquid contingens, & tamen ipsa disiunctiua significat aliquid necessarium, quia importat illud principium, *quodlibet est, vel non est.*

6 Nec refert si dicas propositionem hypoteticam non distingui ab omnibus suis partibus simul sumptis; ergo non enunciat aliquid distinctum ab eo quod per eius partes enunciatur. Non inquam id refert. Nam nos nunquam diximus propositionem hypoteticam enunciare aliquid distinctum ab illo, quod per omnes eius partes simul sumptas enunciatur. Si enim hoc diceremus, falsum enim doceremus. Siquidem propositio hypotetica, & omnes eius partes simul sumptæ idem sunt; sed quod docuimus est, quod propositio hypotetica enunciat aliquid distinctum ab illo, quod per suas cathegoricas componentes enunciatur, dum modo ex illis per copulam hypoteticalem nõ fiat propositio hypotetica. Ad primam confirmation. nego antecedens. Licet enim in propositione hypotetica duæ enunciationes coniungãtur, suppositâ coniunctione, iam non sunt duæ enunciationes, sed vna enunciatio ex illis constituta enuncians vnam simultatem vtriusque veritatis, si fuerit propositio copulatiua, vel vnam disiunctionem vtriusque veritatis, si fuerit propositio disiunctiua. Vnde suppositâ coniunctione per copulam hypoteticalem facta, nõ tenentur cathegoricæ formaliter, & per modum propositionis, sed materialiter accipiuntur, & per modum termini, eo quod quatenus sunt partes reduplicatiuè, non componunt per secundam intentionem enunciationis, sed per secundam intentionem termini, vt diximus disputat. 9. q. 5. num. 2. & 3. Quapropter propositiones cathegoricæ hypoteticam componentes, licet secundum se sumptæ enunciationes sint, tamen reduplicatiuè, vt componunt non sint enunciationes. Simili doctrina vsi fuimus disputat. decima, quæstion. decimaoctaua, num. 3. quæ ibi potest videri, ne eadem pluries inutiliter repetamus. Ad secundam confirmat. concesso antecedenti, nego consequent. Licet enim propositio hypotetica non enunciet vnam cathegoricam de alia, enunciat tamen simultatem vtriusque veritatis de vtraque cathegorica, vel disiunctionem vtriusque de vtraque ca-

cathegorica, supra quã enunciationem potest cadere iudicium intellectus; quo circa est simpliciter enunciatiua. Quæ solutio constat ex dictis in probatione conclusionis. In calce huius quæstionis aduertendum erit illud, quod notat sapientissimus Magister in hoc capitulo, notabili 5. scilicet, quod quando syncathegorema ponitur post copulã à parte prædicati, vel mediat inter partes complexi accepti vnica acceptione. Tunc efficitur pars extremi, quod afficit. Exẽplum primi est in hac propositione, *verus Deus est omnis Deus*, in qua ly *omnis* efficitur pars prædicati: Exemplum secundi inuenitur in hac propositione, *forma cuiuslibet hominis est anima rationalis*, in qua ly *cuiuslibet* efficitur pars de ly *hominis*. Quando efficitur pars extremi, vis eius non transit vltra terminum, quem afficit, secus vero contingit, quando non efficitur pars extremi.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm diuisiones propositionis in affirmatiuam, & negatiuam, & in vniuersalem, particularem, indiffinitam, & singularẽ sint adæquatæ, & essentiales?

1 REsolutoriè dico primo. Diuisio propositionis in affirmatiuã, & negatiuã est bona, & adæquata. Hæc conclusio brebiter prob. Membra huius diuisionis adæquatè exhauriũt totam confusionem diuisi, & aliàs prædictæ diuisioni conueniunt omnes aliæ cõditiones bona diuisionis; ergo prædicta diuisio est adæquata. Prob. antec. Nulla datur propositio, quæ non sit affirmatiua, vel negatiua; ergo membra huius diuisionis adæquatè exhauriunt totam confusionem diuisi. Anteced. constabit ex solutione argumẽtorum. Contra istam conclusionẽ obijcies primo. Hæc propositio, *Petrus est, & non fuit albus*, nec est affirmatiua, nec negatiua; ergo membra diuidentia prædictæ diuisionis nõ exhauriunt adæquatè totam confusionem diuisi, & consequẽter prædicta diuisio est mala. Probat. anteced. Vna copula prædictæ propositionis est affirmatam, & altera negata; ergo prædicta propositio, nec est affirmatiua, nec negatiua. Patet conseq. Non enim est maior ratio vnius copulæ, quàm alterius, vt faciat propositionem affirmatiuam, vel negatiuam; ergo si vna copula est affirmata, & altera est negata, non est maior ratio, quare propositio sit magis affirmatiua, quàm negatiua, vel è conuerso. Confirm. hoc argumentum. Hæc propositio, *Petrus est, vel non fuit albus*, non est affirmatiua, nec negatiua; ergo prædicta diuisio est mala. Antecedens probabitur eisdem probationibus, quibus probatum fuit antecedẽs principale præcedẽtis

argumenti. Hoc argumentum attingit propositiones prægnantes difficultatem pro vtraque parte patientes, & ad illud solutione sapientissimi Magistri Soto respondet. negando antec. Ad probationem dicatur prædictam propositionē esse virtualiter affirmatiuam; eo quod infert vnā propositionem affirmatiuā; quia benè valet, *Petrus est, & non fuit albus; ergo Petrus est albus.* Siquidem argumentamur à copulatiua ad partem. Sed contra istam solutionem replicabis. Ex eo quod prædicta propositio inferat vnam propositionem affirmatiuam, nō sequitur, quod ipsa sit virtualiter affirmatiua; ergo solutio est nulla. Prob. anteced. Prædicta propositio etiam infert vnam propositionem negatiuam: & tamen ex hoc non sequitur, quod ipsa sit virtualiter negatiua; ergo similiter ex eo quod inferat vnam propositionē affirmatiuam, non sequitur benè ipsam esse virtualiter affirmatiuā. Minor est certa, & mai. prob. benè valet, *Petrus est, & non fuit albus; ergo Petrus non fuit albus;* quandoquidem argumentamur à copulatiua ad partē; ergo prædicta propositio, sicut infert vnā propositionem affirmatiuā, ita parit aliam negatiuam. Resp. prædictam solutionem esse legitimam. Et ad replicam, nego antec. Ad probationem, concessa maiori, & minori, nego conseq. Ratio discriminis est. Nam ex eo quod inferat vnam propositionem affirmatiuam; sequitur per bonam consequentiam ipsam habere conditiones propositionis affirmatiuæ; ex eo vero, quod inferat vnam propositionem negatiuam, non sequitur ipsam habere cōditiones propositionis negatiuæ. Et ratio huius est. Nam in bona consequentia antecedens, nunquam potest petere minus, quam petit consequens; aliàs in bona consequentia daretur antecedens verum, & consequens falsum; quia si antecedens adsui veritatem, minus quam consequens exigeret, aliquid sufficeret ad ipsum verificandum, quod non esset sufficiēs ad verificandum consequens; ac per consequens daretur in bona consequentia, antecedens verū, & consequens falsum; at verò in bona consequentia potest cōsequens minus petere, quam exigit antecedens, eo quod non est inconueniens, quod in bona consequentia detur antecedens falsum, & consequens verum, vt fortasis infra probabimus, & modo cū omnibus supponimus. Ex qua doctrina facili negatio redditur disparitatis ratio. Nā propositio affirmatiua ad sui veritatem magis exigit, quàm negatiua; cum affirmatiua exigat suppositionem extremorū, quā non petit negatiua. Vnde si prædicta propositio inferens per bonam consequentiam alteram propositionem affirmatiuam, ipsa

sa esset affirmatiua, consequens in bona consequentia magis peteret, quam antecedens, ac per consequens, si prædicta propositio infert vnam affirmatiuam habentem conditiones propositionis afirmatiuæ, & exigentem suppositionem extremorum, ipsa propositio, quæ infert, etiam debet esse affirmatiua, & exigere suppositionē extremorū, vt nō petat minus antecedēs bonæ consequentiæ, quam exigit consequens; cæterū ex eo quod inferat vnā propositionē negatiuam non exigentē suppositionē extremorū, & cōditiones propositionis affirmatiuæ, nō sequitur, quod ipsa propositio inferens sit negatiua, & nō petat suppositionē extremorū; eo quod antecedens inferens potest magis petere, quā consequēs illatum; vnde non est eadem vtriusque ratio.

2 Sed contra istam solutionem adhuc replicabis Prædicta propositio est copulatiua habens vnam partem negatam, & aliam affirmatā; ergo absolutè est negatiua, & nō virtualiter affirmatiua. Prob. cōseq. Propositio copulatiua habens vnā partem falsam, & aliā verā, tota est absolutè falsa; & similiter propositio copulatiua habens vnam partē contingentem, & aliam necessariā, absolutè tota est contingens, & nō virtualiter necessaria; ergo pariter propositio copulatiua habēs vnā partem affirmatā, & aliam negatā, erit absolutè negatiua, & nō virtualiter affirmatiua. Prob. conseq. Ideò primum cōtingit, quia propositio copulatiua sequitur debiliorē partē, & pars contingens debilior est parte necessaria: sed etiam pars negata debilior est parte affirmata; ergo si propositio copulatiua habens vnā partē contingentem, & aliā necessariam, est absolutè contingens, & non virtualiter necessaria; etiam propositio copulatiua habens vnam partem negatam, & aliam affirmatam, erit absolutè negatiua, & non virtualiter affirmatiua. Confirmatur. Negatio est de genere mali, & affirmatio de genere boni: sed malum est ex quocumque defectu, & bonum ex integra causa; ergo si prædicta propositio habet vnam partem negatam, & aliam affirmatam, tota erit absolutè negatiua, & non virtualiter affirmatiua. Respond. conced. antec. & neg. conseq. Ad prob. concesso antecedenti, negāda est consequētia. Cuius discrimē est cōsistit in hoc, quod sunt aliquæ formæ, quæ nō possunt denominare subiectū, nisi ipsum careat omnino forma opposita, sicut mors nō potest denominare subiectū mortuū, nisi illud omnino careat vita, & similiter cæcitas nō potest denominare subiectū cæcū, nisi ipsū omnino careat visu. Ex hijs enim formis est negatio, quæ non potest denominare subiectū, nisi ipsū careat omnino affirmatione; eo quod negatio est ma-

malignantis naturæ totum deſtruens, & oppoſitum omnino reddēs: cum igitur prædicta propoſitio pro vna parte habeat affirmationem, & exigat ſuppoſitionem extremorum, quāuis pro alia parte habeat negationem, & non petat ſuppoſitionem extremorum hinc prouenit, quod abſolutè nō poſsit verificari ipſam eſſe negatiuā, & non petere ſuppoſitionem extremorum; verificatur tamen abſolutè ipſam petere ſuppoſitionem extremorū, & habere cōditiones propoſitionis affirmatiuæ; nā ad hoc, quod abſolutè de illa verificetur, quod petit ſuppoſitionem extremorū ſufficit, quod pro vna parte petat, quamuis pro alia hoc nō exigat; ſicut vt abſolutè verificetur hominem eſſe intellectiuum, ſufficit, quod pro vna parte, ſcilicet, pro parte formæ rationis ſit intellectiuus, quamuis pro alia parte, nempè pro animalitate nō ſit intellectiuus, & ſicut ad hoc, vt verificetur abſolutè hominē non eſſe intellectiuū, requiritur, quod pro nulla parte ſit intellectiuus, ita pariter ad hoc, quod verificetur prædictam propoſitionē non exigere ſuppoſitionem extremorum, quæ eſt conditio propoſitionis affirmatiuæ, requirebatur, quod pro nulla parte ſuppoſitionem extremorū exigeret: at verò propoſitio copulatiua, vt conſtat ex dictis, enunciat ſimultatē vtriuſque partis; quo circa quādo vna pars eſt falſa, tota eſt falſa, eo quod ſimultas veritatis vtriuſque partis non inuenitur: & ſimiliter, quādo aliqua pars eſt contingens, tota eſt contingens, quia non enunciat ſimultatē neceſsitatis vtriuſque partis; ex quo ſequitur, quod aliquando ſit vera, & aliquando falſa; ac per conſequens abſolutè contingēs. Ad ſecūdam probationem reſp. quod licet vna pars prædictæ propoſitionis ſit negata formaliter in ordine ad inferendū; eo quod formaliter infert vnam propoſitionem negatiuam; tamen in ordine ad eſſendum ſolū materialiter, eſt negata propter rationē datam, nimirum, quia antecedēs poteſt petere magis, quàm cōſequens. Vnde propoſitio inferens poteſt exigere ſuppoſitionē extremorum, quamuis propoſitio illata hoc nō exigat. illud autem axioma, ſcilicet, *malum ex quocumque defectu* debet intelligi de defectu prouenient à parte formaliter ſe habente, non ſolùm in ordine ad inferendum, verum etiam in ordine ad eſſendū. Nec refert ſi dicas. In bona conſequētia, ſi conſequens eſt negatiuum, antecedens etiam debet eſſe negatiuum; ergo ſi prædicta propoſitio infert vnam propoſitionem negatiuam, etiam ipſa deber eſſe negatiua. Non inquam id refert. Nam prædicta regula debet intelligi, quādo antecedens eſt purè cathegoricum, non verò quādo antecedens eſt virtualiter hypoteticum; quia tunc caſus nunquam

quam verificatur, quod arguatur à non distributo ad distributum, vt consideranti patebit.

3 Ad confirm. principalis argum. nego antec. Itaque prædicta propositio est virtualiter negatiua. Cuius ratio est. Nam infertur ex vna propositione negatiua. Siquidem. Bene valet, *Petrus non fuit albus*; ergo *Petrus est, vel non fuit albus*. Quandoquidem arguimentamur à parte disiunctiuæ ad totam. Sed contra istam solutionem replicabis primo. Prædicta propositio etiam infertur ex vna propositione affirmatiua; ergo est virtualiter affirmatiua. Patet conseq. Quia infertur ex vna propositione negatiua, est virtualiter negatiua; ergo similiter, quia infertur ex vna propositione affirmatiua, erit virtualiter affirmatiua. Secundo. Vt propositio sit negatiua, debet omninò carere affirmatione: sed prædicta propositio non caret omninò affirmatione; ergo prædicta propositio non est virtualiter negatiua. Maior constat ex dictis in solutione præced. arg. Min. verò prob. Prædicta propositio habet vnam partem affirmatiuam, ergo prædicta propositio non caret omninò affirmatione. Resp. prædictam solutionem esse legitimam & ad primã replicam, conc. antec. & nego conseq. Ratio disparitatis sistit in hoc. Nam in bona conseq. (vt constat ex dictis) antec. potest petere magis, quàm consequens. Vnde ex eo quod prædicta propositio inferatur ex vna propositione affirmatiua exigente cõditiones propositionis affirmatiuæ, nimirum suppositionem extremorum, non infertur ipsam etiam exigere suppositionem extremorum. Siquidem conseq. illatum potest minus petere, quã antec. inferens. Ad secũd. distin. mai. vt propositio sit negatiua, debet omninò carere affirmatione exigente suppositionem extremorum, conc. mai. affirmatione non exigente suppositionem extremorum, nego mai. & sub eadem distin. min. nego conseq. Affirmatio enim, quæ in prædicta propositione inuenitur, tenetur nimis materialiter; eo quod est affirmatio non exigens suppositionem extremorum. Et ratio est, quia est affirmatio illata, & consequens illatum potest minus petere, quàm antecedens infereus; vndè talis affirmatio non tollit, quòd prædicta propositio sit virtualiter negatiua, & habeat conditiones propositionis negatiuæ. Sufficiant dicta de propositionibus prægnantibus, quæ fastidiosissimæ sunt. Ex dictis faciliter colligitur prædictã diuisionem esse adæquatam. Nã ad hoc quod aliqua diuisio sit adæquata, sufficit, quod omne contentum subdiuiso directè, vel reductiuè formaliter, vel virtualiter contineatur sub membris diuidentibus. Et quidem si supponeremus, solam propositio-

tionem cathegoricam diuidi in affirmatiuam, & negatiuam (vt ferè communiter omnes tuentur) facilimo negotio argumento respondebimus propositiones prægnantes, vtpotè magis hypotheticæ, quam cathegoricæ, sub diuiso non contineri, & ideò nihil mirum si sub membris diuidentibus non continentur.

4. Dico secundo. Prædicta diuisio est essentialis. Hæc conclusio prob. breuiter. Prædicta diuisio datur per aliquid essentiale propositionis; ergo est essentialis. Prob. antec. Prædicta diuisio datur per formam propositionis, scilicèt, per copulam: sed forma est, quid essentiale propositioni, sicut cuilibet composito, forma est illi essentialis; ergo prædicta diuisio datur per aliquid essentiale propositioni. Contra istam cõclus. obijc. 1. Nullum diuisum potest diuidi duabus diuisionibus essentialibus: sed propositio in communi diuiditur essentialiter in cathegoricam, & hypotheticã; ergo non potest essentialiter diuidi in affirmatiuam, & negatiuam. Resp. quod licèt idem diuisum non possit diuidi duplici diuisione essentiali sub eadem ratione, benè tamen sub diuersa ratione duplici essentiali diuisione potest diuidi. Sed contra est. Nã propositio ratione copulæ, seu penes copulam diuiditur in cathegoricam, & hypotheticam: sed diuisio illius in affirmatiuam, & negatiuam, etiam datur penes copulam; ergo si prima est essentialis, non poterit secunda esse essentialis. Resp. solutionem datam esse legitimam, & ad replicam dicatur, quod licet vtraque diuisio detur penes copulam propositionis, tamen vtraque est penes copulam non sub eadem formalitate, & consideratione; quia prima est penes copulam, secundum quod copula facit compositionem cathegoricam, vel hypotheticam, secunda verò est penes copulam, quatenus coniungit, vel remouet prædicatum à subiecto; quo circa vtraque diuisio est penes copulam sub diuersa formalitate: sicut notitia penes obiectum diuiditur essentialiter in notitiam substantiæ, & in notitiam accidentis, & etiam penes obiectum diuiditur essentialiter in notitiam intuitiuam, & abstractiuam: quia licèt vtraque diuisio sit penes obiectum notitiæ, non tamen est penes obiectum sub eadem formalitate; eo quod in prima consideratur obiectum, vt substantia, vel vt accidens, & in secunda inspicitur, vt præsens, vel vt absens.

5. Obijc. 2. Prædicta diuisio datur pœnes affirmationem, & negationem: sed affirmatio, & negatio sunt accidentia propositionis; ergo prædicta diuisio est accidentalis. Mai. prob. Prædicta diuisio datur per id quod constituit propositionem negatiuam: sed sola negatio constituit propositionẽ negatiuam; ergo prædi-

dicta diuisio datur per negationem. Minor prob. Sublata negatione propositio redditur affirmatiua, & ipla posita redditur negatiua; ergo sola negatio est, quæ constituit propositionē negatiuā. Cōfirm. Propositio affirmatiua, & negatiua possunt habere idem essentialiter obiectū; ergo non distinguuntur essentialiter; ac per cōsequens prædicta diuisio non est essentialis. Prob. anteced. Istæ propositiones, *homo non est lapis*, homo est *non lapis*, habent idem essentialiter obiectum: & tamen prima est negatiua, & secunda affirmatiua; ergo propositio affirmatiua, & negatiua possunt idem essentialiter habere obiectum. Denique eadem propositio potest transire de affirmatiua in negatiuam: sed vna species nequit in alterā transire; ergo propositio affirmatiua, & negatiua non distinguuntur essentialiter. Respond. distinguendo maior. penes affirmationem, & negationem, tanquam per conditiones diuidendi concedo maior. tanquam per rationes formales, nego maior. & admissa minori, nego conseq. Etenim licet negatio sit ratio formalis negandi, non tamen est ratio formalis constituens propositionem negatiuam: sed ratio formalis constituens propositionem negatiuam est copula negata per negationem, quæ est ratio formalis negandi, & cōditio ad cōstituendā propositionē negatiuā, sicut existentia est ratio formalis exittendi, & totum cōditio operandi, vnde prædicta diuisio datur penes copulā propositionis, tanquā per rationē formalē; quæ cum sit quid essentiale propositionis, datur per aliquid essentiale; quo circa est essentialis prædicta diuisio. Ad primam confirmationem, nego anteced. Prædictæ enim propositiones habent diuersum essentialiter obiectū in ratione obiecti, eo quod negatiua significat obiectum cum modo negatiuo nihil ponēdo; affirmatiua vero significat obiectū per modū ponitui, vt dixi in vltima quæstione de Terminis in particulari, qui modi diuersi reuera in ipsis obiectis faciunt obiecta formaliter in ratione obiecti essentialiter distincta, sicut modus recti, & obliqui faciunt nominata, per rectū, & obliquū essentialiter distincta in ratione nominati, & significati. Ad vltimam nego min. eadem enim propositio, nūquam potest transire de affirmatiua in negatiuā, sed appolita negatione redditur distincta essentialiter propositio, propter rationem datam in solutione præcedentis confirmationis.

6 Dico tertio. Prædicta diuisio est vniuoca. Hæc conclusio breuiter prob. Membra huius diuisionis æqualiter participant rationem diuisi, ergo prædicta diuisio est vniuoca. Prob ant. Ratio diuisa est, ratio totius enūciatiui

tiui respientis suas partes: sed ratio totius enunciatiui æqualiter participatur à mẽbris diuidentibus; ergo mẽbra diuidẽtia prædictæ diuisionis æqualiter participant rationem diuisam. Minor prob. Sicut propositio affirmatiua enunciat affirmationem, ita etiam negatiua enunciat negationem; ergo membra diuidentia æqualiter participant rationem diuisam. Contra istam conclusionem obijcies. Propositio affirmatiua prior est propositione negatiua; ergo non æqualiter participant rationem propositionis; ac per consequens prædicta diuisio est analoga. Prob. antec. Propositio negatiua regulatur per affirmatiuam; ergo est posterior illa. Resp. disting. anteced. Propositio affirmatiua prior est negatiua secundum rationem particularem, & propriam, conc. anteced. in ratione participandi rationem communem diuisam, nego antec. & cõseq. Etenim licet propositio affirmatiua secundum suam propriam, & particularem rationẽ prior sit negatiua, non tamen est prior in participando rationem propositionis, sicut numerus ternarius prior est secundum particularem, & propriam rationem numero quaternario, non tamẽ est prior in participando rationẽ communem numeri. Nam sicut numerus ternarius est multitudo numerata per vnum, ita numerus quaternarius est multitudo per vnum numerata, & sicut numerus diuiditur vniuocè in ternarium, & quaternarium, ita propositio vniuocè diuiditur in affirmatiuam, & negatiuam, & ad summum solum aliqua analogia physica potest inter illas inueniri. Nec refert si dicas, quod quãdo diuisio rationis superioris est analoga, etiam diuisio rationis inferioris debet esse analoga: sed in sententia probabili propositio analogicè diuiditur in cathegoricam, & hypotheticam; ergo cathegorica analogicè diuidetur in affirmatiuam, & negatiuam. Nõ inquam id refert. Nam maior est falsa. Enim vero ens analogicè diuiditur in accidens, & substantiam, & tamen substantia vniuocè diuiditur in primam, & secundam substantiam. Similiter vniuersale vniuocè diuiditur in genus, & differentiam, & tamen differentia analogicè diuiditur in propriam, communẽ, & proprijssimam.

7 Dico 4. Diuisio propositionis in vniuersalem indiffinitam, & singularẽ est bona. Probatur brebiter hæc conclusio. Membra diuidentia simul sumpta adæquatè exhauriunt totam confusionem diuisi, suntque inferiora diuiso; ergo prædicta diuisio est bona. Prob. antec. Nulla datur propositio cuius subiectũ supponat personaliter, quæ non sit vniuersalis, indiffinita, singularis, vel particularis; ergo mẽbra diuidentia simul sumpta adequa-

quatè exhauriunt totam confusionem diuisi. Contra istam conclus. ob. c. 1. Duo membra diuidentia huius diuisionis coincidunt; ergo diuisio non est bona. Prob. antec. Propositio particularis, & indiffinita non distingũtur; ergo duo membra diuidentia huius diuisionis coincidunt. Prob. antec. Propositio particularis, & indiffinita habent eandẽ quantitatem; ergo coincidunt. Prob. antec. Benè valet, quidam homo est albus; ergo quoddam album est homo. Siquidem argumentamur per conuersionem simplicem: & tamen ly *albus* in antecedenti supponit indiffinitè, & in consequenti particulariter, & non mutatur quantitas; ergo propositio particularis, & indiffinita eandem quantitatem habent. Prob. min. quoad secundã partem. Conuersio simplex petit eandem qualitatem, & quantitatem; ergo in prædicta consequentia non mutatur quantitas. Resp. neg. antec. Distinguntur enim prædictæ propositiones in hoc, quod particularis ex modo significandi importat modum particularem, indiffinita verò solum importat naturam subiecti secundum sua prædicata essentialia. Insuper distinguntur in hoc, quod indiffinita in materia naturali æquiualet vniuersali, secus verò particularis. Denique discriminantur in alio. Nam subiectum propositionis indiffinitæ potest congruè distribui, secus verò subiectum propositionis particularis. Ad probationem dicatur conuersionem simplicem petere eandem quantitatem quo ad rem, non tamen quo ad modum, & in prædicta consequentia, licet mutetur quantitas quo ad modum, seruatur tamen eadem quantitas quo ad rem; quo circa est bona consequentia, & conuersio.

8 Obiic. 2. Hæc propositio, *homo est species* continetur sub diuiso: & tamen non continetur sub aliquo ex membris diuidentibus; ergo prædicta diuisio est mala. Prob. antec. Prædicta propositio non est vniuersalis, nec particularis, indiffinita, vel singularis; ergo prædicta propositio non continetur sub aliquo ex membris diuidentibus. Respondebis prædictam propositionem sub nullo ex membris diuidentibus contineri, quia nec etiã sub diuiso continetur; eo quod diuisum nõ est propositio vt sic, & in communi, sed est propositio, cuius subiectum supponat personaliter, & sit capax extensionis: & cum subiectum prædictæ propositionis non supponat personaliter, nec sit capax extensionis: cum supponat simpliciter pro homine concepto conceptu communi, & quatenus subinduit secundam intentionem speciei: hinc prouenit, quod prædicta propositio non contineatur sub diuiso; quo circa nihil mirum, si sub aliquo ex membris diuiden-

ti-

tribus non continetur. Sed contra replicabis. Probabile est distributionem non impedire suppositionem simplicem; ergo subiectum prædictæ propositionis est capax extensionis; ac per consequens prædicta propositio sub diuiso continetur. Secundo. Subiectum propositionis singularis incapax est extensionis: & tamen propositio singularis est membrum diuidens sub diuiso contētum; ergo solutio est nulla. Resp. solutionem datam esse legitimā, & ad replicam dicatur, quod licèt admittatur distributionem non tolere suppositionem simplicem, non tamen potest admitti, quod subiectum habeat post distributionem eandē suppositionem, ac anteà habebat, nam anteà supponebat pro homine concepto conceptu communi sub proprio conceptu hominis, & post distributionem supponit pro individuis sub propriis conceptibus conceptis. Ad rationem autem extensionis, vt videre est in physicis, requiritur quod manens subiectum sub illo quod anteà habebat, magis extendatur: & cum subiectum prædictæ propositionis hoc non habeat: hinc prouenit, quod non sit capax extensionis, sed supponit quasi immobiliter, vt ait sapientissimus Magister Soto. Quapropter prædicta propositio potest reduci ad propositionem singularem. Ad secundam probationem, seu replicam dicatur, quod licèt subiectum propositionis singularis sit incapax extensionis subiectiuæ, est tamen capax extensionis terminatiuæ, quia subiectum singulare est terminus extensionis vniuersalis, in quem extensio vniuersalis resolutur; quo circa propositio singularis saltim terminatiuè est quanta.

9 Dico vlt. Prædicta diuisio est accidentalis. Hæc conclusio breuiter prob. Prædicta diuisio datur per aliquid extraneum propositioni, ergo est accidentalis. Prob. antec. Propositioni extraneum, & accidentale est, quod subiectum sit talis, vel talis quātitatis; ergo prædicta diuisio datur per aliquid extraneum, & accidentale propositioni. Confirmatur. Quantitas modificat propositionem per suppositionem subiecti, sed suppositio est accidentalis propositioni; ergo etiā quantitas illi accidentalis erit. Contra istam conclusionē obijcies. Diuisio propositionis in affirmatiuam, & negatiuam est essentialis; ergo pariter diuisio propositionis in vniuersalē particularem indiffinitam, & singularem essentialis erit. Prob. conseq. Sicut prima datur per prædicatum, quatenus coniungitur, vel remouetur à subiecto, ita secunda datur per subiectum, quatenus extenditur magis, vel minus: sed ita est de essentia propositionis subiectum, sicut est prædicatum; ergo si prima diuisio

est

est essentialis, etiam secund. Respõd. quod vniuersalitas, vel particularitas accidentaliter se habet respectu subiecti, cum possit intelligi *id de quo* sine vniuersalitate, vel particularitate, vt constat in subiecto supponente simpliciter, at verò affirmatio, vel negatio essentialiter se habet ad prædicatum; cum non possit intelligi, id quod dicitur de aliquo, quin intelligatur, quod dicitur affirmatiuè, vel negatiuè; quapropter non est eadem vtriusque ratio. In calce huius disputationis poterat inquiri, an propositio æquinoca sit vna, vel plures propositiones? Ad quod brebiter respondemus prædictam propositionem esse absolutè vnam in ratione propositionis; eo quod solum habet vnam intentionem totius enunciatiui; & quamuis haberet plures intentiones propositionis, quia tamen omnes illæ sunt in eodem materiali, & vnitas concreti accidẽtalis desumitur à subiecto; ideò propositio æquinoca est vna absolutè, & solum est plures in ratione signi totalis, quatenus plura signata repræsentat; sicut ly *homo albus* est vnus terminus, & plura nomina. Recollantur dicta disputatione decima agentes de vnitate termini æquinoci. Et hæc dicta sufficiant de tota ista disputatione applicando litteræ sapientissimi Patris Magistri libro 2. Summularum à capitulo 5. vsque ad capitulum octauum per omnes eorum lectiones, & notabilia.

Disputatio Decima quinta, De Suppositione in communi, & in particulari.

QVÆSTIO I.

Vtrùm diffinitio suppositionis sit bona?

1 SVpposito quod datur suppositio, inquirimus in quo illius essentia cõsistat, & an diffinitio illius bona sit. Et in primis supponendũ est acceptionẽ esse duplicẽ, vna est actiua, altera, scilicet, passiua; acceptio actiua est actus intellectus accipientis terminũ pro suo significato, acceptio vero passiua, quæ cõsequitur ad actiuam, nihil aliud est, quam terminum esse acceptum pro re, quã significat, quæ acceptio passiua dicit respectum ad intellectum, & est prima intentio, supra quam fundatur secunda intentio suppositionis, qua terminus refertur ad rem pro qua accipitur, & supponit, & in isto respectu fundato in acceptione passiua consistit formaliter secunda intentio suppositionis. Verificatio etiam est duplex, vna est verificatio propositionis, & altera verificatio termini; ve-

rificatio propositionis est, quod subiectum, & prædicatū supponant pro eodem, & quod prædicatum verè affirmetur de subiecto, vel verè remoueatur ab illo, si fuerit propositio negatiua, verificatio verò termini est, quod res significata per terminū verè existat in ordine ad differentiam temporis importatam per copulam, in ordine ad quam supponit. Prima verificatio non est necessaria ad suppositionem, quia extrema huius propositionis, *cœlū est terra* supponunt: & tamen non verificātur verificatione propositionis, cum propositio sit falsa. Vnde sola verificatio termini est, quæ requiritur ad suppositionē, ad quam nihil est curandum de verificatione propositionis, verificatio verò termini regulariter fit per pronomen demonstratiuum dicendo, hoc est cœlum, & hoc est terra; ergo cœlum est terra, cæterum, & si regulariter ita fiat, non tamen hoc est essentialiter necessarium, sed sufficit, quòd res significata per terminum supponentem existat, iuxta exigentiam temporis importatā per copulā in ordine ad quam supponit, siue hæc verificatio fiat per pronomen demōstratiuum, vt regulariter contingit, siue fiat solum per demonstrationem ad intellectum cognoscentem rem, pro qua terminus supponit existere, iuxta exigentiam temporis importatam per copulam in ordine ad quam supponit. Ex quibus facile colligitur sensus diffinitionis suppositionis, quæ sic diffinitur à sapientissimo Magistro. *Suppositio est acceptio termini pro aliquo de quo verificatur.* Quibus suppositis resolutoriè dicendum est, prædictam diffinitionem esse bonam. Hæc conclusio brebiter probatur. Quælibet relatio rationis optimè diffinitur per suum fundamentum: sed suppositio formaliter sumpta est relatio rationis; ergo benè diffinitur per suū fundamentum: tū sic: sed per prædictam diffinitionem diffinitur suppositio per suum fundamentum; ergo prædicta diffinitio est bona. Maior est certa: etenim cum relatio rationis sit minimæ entitatis per suum fundamentum, redditur nobis magis cognoscibilis; ergo benè diffinitur quælibet relatio rationis per suū fundamentum. Vtraque minor est manifesta; & consequenter totus discursus est legitimus. Ex ista conclusione duo colloraria sequuntur. Primum est, quod prædicta diffinitio non est formalis, sed causalis, quod patet. Nam secunda intentio suppositionis, qua terminus supponens refertur ad rem pro qua supponit, & in qua formaliter consistit suppositio, consequitur ad acceptionem passiuam pro re significata per ipsum: sed per prædictam diffinitionem diffinitur suppositio per acceptionem; ergo prædicta diffinitio est causa-

salis, & non formalis, sicut quando ira diffinitur, *quod est ascensio sanguinis circa cor*, diffinitur per diffinitionem causalem ad hunc sensum *ira causatur ex ascensione sanguinis circa cor*, ita similiter secunda intentio suppositionis causatur ex acceptione passiua, non tamen in acceptione passiua termini formaliter cõsistit. Quapropter prædicta diffinitio non est formalis, sed causalis. Secundum, quod infertur est, quod suppositio non consequitur ad quãlibet acceptionem, sed ad acceptionem termini pro aliquo de quo verificatur existente, iuxta exigentiam copulæ in ordine ad quam supponit. Hoc collorariũ statuitur contra Fonsecam, & probatur. Nam si ad suppositionem non requireretur, quod res existeret, iuxta exigentiam temporis importati per copulam, sequeretur, quod in hac propositione, *homo* est ly, homo supponeret pro Adamo, & pro Antichristo, consequens est falsum; ergo, & antecedens. Minor probatur. Nam si in prædicta propositione ly *homo* supponeret pro Adamo, & Antichristo, hæc propositio *omnis homo est* esset falsa: consequens est falsum; ergo, & antecedens. Sequela probatur. Ly *omnis* distribueret subiectum pro omnibus pro quibus supponit: sed secundum prædictam doctrinam supponit pro Adamo, & Antichristo; ergo distribueret subiectum pro illis. & cum illi non existant, prædicta propositio esset falsa. Confirmatur. Etenim si suppositio non sequeretur ad acceptionem termini pro re existente, iuxta exigentiam copulæ, sequeretur, quod nulla suppositio esset accidentalis: consequens est falsum; ergo, & antecedens. Sequela probatur. Suppositio accidentalis est acceptio termini solum pro existentibus, iuxta exigentiam temporis importati per copulam; ergo si suppositio non sequeretur ad acceptionem termini pro re existente, iuxta exigentiam temporis importati per copulam in ordine ad quam supponit, omnis suppositio esset naturalis, & nulla esset accidentalis. Nec refert si dicas, quod in suppositione naturali terminus supponit: & tamen non accipitur pro re existente, iuxta exigentiam temporis importati per copulam; ergo suppositio non sequitur ad acceptionem termini pro re existente, iuxta exigentiam temporis importati per copulam in ordine ad quam supponit. Non inquam id refert. Concessa enim maiori, minor est neganda. In suppositione enim naturali verbum absoluitur à tempore, vt diximus supra; quapropter non restringit pro aliqua differentia temporis determinata, sed relinquit terminum, vt accipiatur pro omnibus

pro quibus aptus natus est accipi, & hæc est eius exigentia. Vnde in suppositione naturali, in qua terminus accipitur pro omnibus pro quibus aptus est accipi, iuxta exigentiam copulæ in ordine ad quam supponit, accipitur.

2 Contra istam conclusionem obijcies primo. Non omnis suppositio est acceptio; ergo malè diffinitur suppositio per acceptionem. Prob. antec. Voces supponunt in propositione pro cõceptibus, quorum sunt signa: & tamen non accipiuntur pro cõceptibus; ergo non omnis suppositio est acceptio. Min. prob. Terminum accipi pro aliquo est vti verbo pro illo: sed voces intra propositionem non vniuntur verbo pro conceptibus, sed pro rebus; ergo voces in propositione non accipiuntur pro conceptibus, sed pro rebus. Confirmatur. In diffinitione suppositionis non datur genus, & differentia; ergo diffinitio est mala. Anteced. prob. Illa particula *pro aliquo* non ponitur loco differentiæ; ergo prædicta diffinitio non habet differentiam. Probat. anteced. Etiam terminus non supponens accipitur pro aliquo; ergo prædicta particula non ponitur loco differentiæ. Nec refert si dicas, quod licet terminus non supponens accipiatur pro aliquo, nunquã tamen accipitur pro aliquo de quo verificatur. Nam in contrarium est. Quia verificatio accidit suppositioni; ergo nec illa particula *pro aliquo*, nec illa, *pro quo verificatur* est differentia in diffinitione suppositionis. Respond. negando antec. Eo enim modo quo voces intra propositionem supponunt pro conceptibus, eo modo accipiuntur pro illis, & sicut intra propositionem solum supponunt pro rebus, vt sunt sub conceptibus, ita accipiuntur pro illis, vt stant sub conceptibus; vnde sicut voces in propositione supponunt pro cõceptibus vt quo, & pro rebus vt quod, ita similiter accipiuntur pro conceptibus, tanquam pro quo, & pro rebus tanquam pro quod: Ad confirmationem dicatur, quod sicut prædicta diffinitio est causalis, & fundamentalis, ita ex parte fundamenti datur aliquid, quod se habeat per modum generis, & aliquid, quod se habeat per modum differentiæ, illa enim particula *acceptio* habet rationem generis, & altera rationem differentiæ determinantis acceptionem pro re existente, iuxta exigentiam copulæ in ordine ad quam supponit, vnde licet verificatio propositionis accidat suppositioni, tamen verificatio termini illi non accidit, sed est illi essentialis.

3 Obijcies secundo. Subiectum huius propositionis, *essentia diuina*

uina est pater accipitur pro patre diuino, pro quo verificatur : & tamen non supponit pro illo; ergo diffinitio suppositionis est mala. Minor prob. Subiectum prædictæ propositionis solum supponit pro essentia diuina; ergo non supponit pro patre. Cõfirm. Casu quo existat Petrus, & sit niger, subiectum huius propositionis, *Petrus non est albus*, accipitur pro Petro existente, iuxta exigentiam copulæ: & tamen nõ supponit; ergo diffinitio suppositionis est mala Minor probat. Prædicta propositio est negatiua vera; ergo est de subiecto nõ supponente; ac per consequens subiectum illius non supponit. Respond. distinguendo mai. accipitur pro patre diuino, ex vi suæ significationis, nego mai. ratione identitatis, cõcedo maiorem, & concessa minori, nego conseq. Itaque non quælibet acceptio sufficiens est ad suppositionem, sed acceptio, quæ requiritur ad suppositionem, tantum est illa, qua terminus accipitur pro aliqua re significata per ipsum terminum ex vi suæ significationis, vt insinuat sapientissimus Magister in hoc capitulo, Lectione vnica, notabili tertio, & nos Deo dante dicemus quæst. vltima huius tractatus: & cum ly *essentia diuina*, non accipiatur pro patre diuino ex vi suæ significationis, quia non significat patrem diuidum, sed solum ratione identitatis, qua identificatur cum illo, pro illo accipitur: hinc prouenit, quod quamuis pro patre diuino accipiatur, pro illo tamen non supponat, eo quod suppositio est quædam relatio rationis, qua terminus dicitur formaliter substitutus pro re, quæ relatio sequitur ad acceptionem termini pro re significata ex vi significationis termini, & non ratione solius identitatis. Ad confirm. nego minor. Ad probat. dicatur, quod propositio negatiua potest ex duplici capite verificari, vel per hoc, quod subiectum illius non supponat, vel per hoc, quod prædicatum subiecto non conueniat: & prædicta propositio non verificatur ex primo capite, sed ex secundo; vnde ex eo quod sit vera, non sequitur illius subiectum non supponere.

QVÆSTIO II.

Vtrùm termini extra propositionem supponant?

1 SVpponere bifariam sumitur, vt aduertit noster sapientissimus Magister in hoc capitulo, notabili 3. Primo accipitur pro hoc, quod est *pro alio ponere*, in quo sensu non dubito terminos extra propositionẽ supponere; quandoquidẽ multoties extra propositionem pro rebus significatis ponũtur; vt quãdo signato homine mihi interrogatur quomodo vocatur hoc, & ego respondeo, *homo*, vbi ly

homo accipitur pro homine. Secundo modo accipitur supponere pro hoc, quod est sub alio ponere, iuxta exigentiã alicuius copulæ, in quo consistit propria, & vera suppositio, & in hoc sensu quæstio præsens procedit. In qua resolutoriè dicẽdũ est, terminos extra propositionẽ absolutè non supponere. Hæc conclusio probatur primo. Suppositio absolutè talis, & quæ hic diffinitur à sapientissimo Magistro Soto, est proprietas termini existentis intra propositionẽ (vt videre est in ipso textu Petri Hispani) sed terminus extra propositionẽ, nõ existit intra propositionẽ; ergo non supponit suppositione, quæ hic diffinitur à sapiẽtissimo Magistro, sed sappositio, quæ hic diffinitur à sapientissimo Magistro est suppositio absolutè talis; ergo termini extra propositionẽ non supponunt suppositione absolutè tali. Secundo prob cõclusio terminus extra propositionẽ non supponit aliqua specie suppositionis; ergo terminus extra propositionẽ non supponit. Patet conseq. Implicat enim aliquod participare rationẽ generica n, quin etiam participet rationem aliquam specificã. Antec vero prob. Terminus extra propositionem est indifferens ad omne genus suppositionis, & ad omnes illius species; ergo terminus extra propositionem non supponit aliqua specie suppositionis. Anteced. prob. Diuersitas suppositionis desumitur ex diuersitate prædicati: sed extra propositionem non datur prædicatum; cum relatio prædicati sit relatio actualiter componentis; ergo terminus extra propositionem non supponit aliqua specie suppositionis. Prob. antec. Nam si de hoc termino *homo* prædicetur animal, prædictus terminus supponit naturaliter. Si vero prædicetur species, supponit simpliciter, si denique prædicetur nomen, supponit materialiter; ergo diuersa species suppositionis ex diuersitate prædicati desumitur. Confirm. Terminus extra propositionem non est subiectum, vel prædicatum; ergo terminus extra propositionem absolutè non supponit. Probat. conseq. Suppositio enim absolutè talis est acceptio termini pro aliqua re iuxta exigentiam copulæ in ordine ad quam est suppositio: sed solum subiectum, vel prædicatum accipiuntur pro aliqua re iuxta exigentiam copulæ; ergo si terminus extra propositionem non est subiectum, vel prædicatum, non supponit extra propositionem absoluta suppositione. Minor patet. Solũ enim subiectum, & prædicatum habent copulam in ordine ad cuã accipiantur, secus verò termini existentes extra propositionem; ergo solum subiectum, & prædicatum accipiuntur pro aliqua re iuxta exigentiam copulæ. Confirm. secundo. Subiectum huius pro-

propositionis, *Adam est*, non suppo it; ergo terminus extra propositionem non supponit. Antecedens est certum; ideò enim prædicta propositio est falsa, quia est affirmatiua de subiecto non supponente. Consequent a vero prob. Nam si subiectũ prædictæ propositionis extra illam supponeret, etiã intra illam supponeret; ergo si intra propositionem non supponit, signum est quod etiam extra propositionẽ ab olutè non supponit. Denique cõfirm. Nam vt terminus absoluta suppositione supponat, debet accipi pro aliqua re iuxta exigentiã copulæ in ordine ad quã supponit: sed terminus extra propositionem non habet copulam, iuxta cuius exigentiam accipiatur pro re significata; ergo terminus extra propositionem non supponit absoluta suppositione.

2 Contra istam conclusionem obijcies primo. Terminus extra propositionẽ est substitutus sui significati; ergo terminus extra propositionem supponit pro suo significato. Dices, quod vt terminus supponat, non sufficit quod sit substitutus sui significati: sed insuper requiritur, quod verificetur de illo, iuxta exigentiam alicuius copulæ, vt constat ex ratione probatiua nostræ conclusionis, desumpta ex explicatione diffinitionis suppositionis traddita à sapientissimo Magistro Soto: & cum terminus extra propositionem, hoc nõ habeat; hinc prouenit terminum extra propositionem non supponere. Sed contra istam solutionem replicabis. Nõ aliter accipitur ly *homo* pro suo significato extra propositionem, cum in hac propositione, *homo significat hominem*, sed in hac propositione supponit pro homine; ergo etiam extra propositionem supponit pro homine. Maior prob. Ly *homo* extra propositionẽ accipitur pro homine, vt signũ illius: sed hoc modo accipitur pro homine in prædicta propositione; ergo eodem modo accipitur pro homine extra propositionẽ, ac intra prædictam propositionem. Resp. solutionem datã esse legitimam; & ad replicam, nego mai. Etenim ly *homo* intra prædictam propositionem accipitur pro homine, iuxta exigentiã copulæ de tempore præsenti: at verò extra propositionem non accipitur pro homine, iuxta exigẽtiam alicuius copulæ; quo circa non eodem modo accipitur pro homine extra propositionem, ac intra pædictam propositionem.

3 Obijcies secundo. Terminus extra propositionem habet potentiam proximam ad supponẽdum; ergo terminus extra propositionem absolutè supponit. Patet consequentia. Quia terminus in libro scriptus habet potentiam proximam ad significandum, & ad componendum; terminus extra propositionem absolutè est signum, & absolutè

est terminus; ergo si extra propositionē habet potentiam proximā ad supponendū extra propositionē, absolutè supponit. Antec. vero prob. Terminus alicubi habet potentiam proximā ad supponendum: non in propositione; ergo extra propositionē. Minor prob. Actus, & potentia opponuntur, & vnum dicit exclusionem alterius: sed terminus intra propositionem habet actū suppositionis; ergo extra propositionem debet habere potentiā proximam ad supponendum. Confirm. hoc argumētum. Suppositio est passio termini: sed passio semper concomitatur essentiam; ergo vbicumque fuerit essentia termini, erit suppositio. Tum sic: sed extra propositionem terminus habet essentiam termini; ergo extra propositionem supponit. Maior prob. Etenim terminus aliquas debet habere passiones, non alias nisi suppositionem, ampliationē, & restrictionem; ergo suppositio est passio termini. Confirm. 2. Non est magis proprium termini restringi, & ampliari, quam supponere, sed terminus extra propositionem restringitur, & ampliatur; ergo extra propositionem supponit. Maior probat. Sicut suppositio conuenit omni termino, & soli illi non tamen semper, ita similiter ampliatio, & restrictio; ergo non est magis proprium termini restringi, & ampliari, quam supponere. Confirm. 3. Restrictio, & ampliatio sunt species suppositionis; ergo si terminus extra propositionē restringitur, & ampliatur, etiam extra propositionem supponit. Resp. admittendo antec. & neg. conseq. disparitas cōsistit in hoc. Nam ratio signi, & termini non sunt rationes importantes actū, vt cōstat ex dictis in suis proprijs locis; quo circa sufficit potentia proxima ad significandū, & cōponēdū, vt absolutè vox dicatur signū, & terminus: at verò suppositio actū importat, cū sit acceptio actualis pro aliquo, iuxta exigentiā copulæ; quo circa non sufficit potentia proxima ad supponendum ad hoc, quod aliquis terminus absolutè supponat. Sicut potentia proxima ad rationē subiecti, vel prædicati, non sufficit ad hoc, quod aliquis terminus dicatur subiectū, vel prædicatū. Vel secundo dicatur terminum extra propositionem nō habere potentiam proximam ad supponendum. Quia cum potētia proxima ad supponēdum sit acceptio termini pro suo significato, iuxta exigentiā copulæ ad quam acceptionē sequitur secunda intētio suppositionis, & terminus extra propositionē istā acceptionem non habeat: hinc prouenit, quod terminus extra propositionē non habet potentiā proximā ad supponendū. Ad probationē dicatur, quod quando potentia proxima est simul fundamentū proximum actus non separatur po-

potentia proxima ab ipso actu, sicut fundamentū proximū relationis ab ipsa relatione non separatur: & cum potentia proxima supponendū sit, simul fundamētū proximū ipsius suppositionis ab ipsa non separatur, sed terminus intra propositionē, & habet potentiā proximā ad supponēdū, & ipsam suppositionē, quāuis pro aliquo priori rationis prę intelligatur in termino potentia proxima ad supponendū ante ipsam actualem suppositionē. Ad primā confirm. dicatur cum sapientissimo Magistro, suppositionē esse passionē termini existētis intra propositionē, ex quo solum sequitur terminum intra propositionem supponere, non verò extra propositionē supponere. Vel secundo dicatur. Quod quāuis suppositio sit passio termini, non est passio illius quarto modo, sed est proprietas termini conueniens illi soli, non tamē omni, nec semper; sicut esse subiectū & prædicatū est proprietas termini, non tamē est proprium illius quarto modo. Ad secundā transeat maior, & negatur minor. Terminus enim extra propositionē non propriè restringitur, & ampliatur: cum restrictio, & ampliatio, etiam sit in ordine ad aliquā copulā. Vel secūdo dicatur, quod licet suppositio sit proprietas termini cōueniens illi, sicut restrictio, & ampliatio, quæ non semper illi conuenit, tamen cū in hoc, quod est nō semper conuenire sit latitudo: hinc p conuenit, quod in pluribus talibus possit restrictio, & ampliatio termino conuenire, in quibus nō conueniat illi suppositio. Ad vltimā negatur antec. Restrictio enim, & ampliatio non sunt species suppositionis, sed acceptionis latè, & genericè sumptæ. Addit enim suppositio supra restrictionem, & amplationem, verificationem pro aliquo, iuxta exigentiam alicuius copulæ; vnde quāuis terminus extra propositionē amplietur, & restringatur, nō sequitur ex inde extra propositionem absolutè supponere.

4. Obijcies vltimo. Vt extrema huius propositionis, *cœlum est terra* supponāt, sufficit, quod in hac propositione accipiātur pro suis significatis, & in alia propositione verificētur de illis; ergo similiter, vt terminus extra propositionē supponat, fatebitur, quod extra propositionē accipiatur pro suo significato, & in aliqua propositione verificetur de illo. Cōfirm. hoc arg. Suppositio est quędā relatio rationis habēs esse per operationē intellectus: sed intellectus potest tribuere hanc intētionē termino existēti extra propositionē; ergo terminus potest supponere extra propositionem. Patet conseq. Quia effectus formalis huius secūdæ intētionis est facere terminū supponere. Confirm. 2. In hac oratione; *ego vellē esse beatus*, termini supponūt; ergo termini extra propositionem supponūt. Resp. neg. ant. Etenim vt termini supponant pro suis sig-

significatis, requiritur, quod de illis verificentur mediante copula propositionis, in qua supponunt, non verò mediante copula alterius propositionis: & cum extrema prædictæ propositionis existunt, iuxta exigentiam propositionis: hinc provenit, quod extrema prædictæ propositionis supponant, quia eorum significata existunt, iuxta exigentiam copulæ propositionis, & media illa extrema de illis verificantur. Sed dices. Ly *homo* in hac propositione, *homo fuit albus*, supponit pro præsentibus: & tamen non potest verificari de præsentibus media copula *fuit*; ergo verificatio non debet fieri media copula propositionis, in qua termini supponunt. Respondeo solutionē datam esse legitimam, & ad replicam, concedo mai. & nego min. Cum enim ly *fuit*, ampliet ante se ad illud, quod est, vel fuit: hinc provenit, quod ly *homo* media copula de ly *fuit*, potest de præsentibus verificari. Ad primam confirmationem concessa mai. nego min. Non enim potest intellectus pro suo libito tribuere intentionem suppositionis alicui termino, nisi in illo præsupponatur acceptio pro suo significato, iuxta exigentiam copulæ, in ordine ad quam supponit, quæ acceptio est fundamentum necessariò prærequisitum ad intentionem suppositionis, vt constat ex dictis. Ad vltimam dicatur terminum non supponere perfectè nisi in propositione, quāuis imperfectè supponat in orationibus, quæ non sunt propositiones, quod docet noster sapientissimus Magister in hoc capitulo, notabili quinto, vbi ait, terminos harum propositionum, *homo si disputat, homo si est animal*, supponere, quia quodammodo subiiciuntur, & prædicantur, licet imperfectè.

QVÆSTIO III.

Vtrùm verbum, & adiectiuum adiectiuè tentum supponat?

1 HOc, quod est supponere dupliciter potest accipi. Primo pro hoc, quod est afferre secum suum suppositum, quod possit per se ipsum reddere suppositum verbo, & esse subiectum in propositione, & hoc totū ex modo significādi termini. Secundo modo potest sumi pro hoc, quod est accipi pro aliquo de quo verificatur, iuxta exigentiam copulæ siue id, quod accipitur, reddat, vel non reddat suppositum verbo. Ita noster sapientissimus Magister in hoc capitulo, argumento primo. Quo supposito resolutoriè dico primo. Verbum, & adiectiuum adiectiuè tentum non supponunt suppositione primo modo accepta. Hæc conclusio brebiter prob. Nam verbum, & adiectiuum adiectiuè tentum non afferunt secum suum suppositum, nec significant suum significatum,

tum, taliter, quod ex illo modo significandi potsit de illo aliquid affirmari, vel negari; ergo verbum, & adiectiuum adiectiuè tẽtum non supponunt suppositione primo modo accepta. Dico secundo. Adiectiuum adiectiuè tentum supponit suppositione secundo modo accepta. Pro explicatione huius cõclusionis aduertendum est, suppositum esse duplex, physicum scilicèt, & logicum. Suppositum physicum est illud quod per se subsistit, sicut Petrus. Suppositum verò logicum est etiam duplex aliud, quod taliter significatur, quod terminus illud significans potest ex modo significandi esse subiectũ in propositione; & hoc modo omnes termini in abstracto supponunt, & habent suppositum, vt ly *humanitas*, & ly *albedo*: aliud suppositum logicum est quælibet res significata per modum rei, quamuis ex modo significãdi illam non possit terminus ipsam significans esse subiectum, nec possit de illa aliquid affirmari, vel negari, & hoc modo adiectiuum adiectiuè tentum habet suppositum logicum, eo quod accipitur pro aliquo de quo verificatur iuxta exigentiam copulæ, quod sufficit vt absolutè dicamus adiectiuum adiectiuè tentum supponere. Quo supposito prob. concl. De adiectiuo adiectiuo tento absolutè verificatur diffinitio suppositionis; ergo adiectiuum adiectiuè tentum absolutè supponit. Prob. antec. Suppositio est acceptio termini pro aliquo de quo verificatur, iuxta exigentiam copulæ propositionis in qua est suppositio: sed adiectiuum adiectiuè tentum accipitur pro aliquo de quo verificatur iuxta exigẽtiam copulæ propositionis in qua accipitur; ergo adiectiuum adiectiuè tẽtum supponit, & de illo verificatur absolutè diffinitio suppositionis. Minor verò prob. In hac propositione, *Petrus est albus*, Petro existente albo ly *albus* accipitur pro suo significato existente, iuxtà exigentiam copulæ, & de illo iuxtà exigentiam copulæ verificatur; ergo de adiectiuo adiectiuo tento absolutè verificatur suppositionis diffinitio. Patet conseq. Terminum enim accipi pro aliquo de quo verificatur, nihil est aliud, quàm quod res illa pro qua accipitur existat iuxtà exigentiam verbi, seu copulæ. Confirm. hæc ratio. Prædicatum huius propositionis, *Petrus est albus*: Petro existente albo supponit absolutè: sed prædicatũ prædictæ propositionis est adiectiuum adiectiuè tentum; ergo adiectiuum adiectiuum tentum absolutè supponit. Prob. min. Prædicta propositio est affirmatiua absolutè vera: sed in propositione affirmatiua vera extrema debent supponere pro eodem; ergo prædicatum prædictæ propositionis absolutè supponit. Respondebis, quod quamuis prædica-

catum prædictæ propositionis accipiatur pro aliquo, quia tamen non accipitur pro proprio supposito: sed pro supposito subiecti, ideo prædicatum prædictæ propositionis absolutè non supponit. Sed contra est. Nam quod prædicatum alicuius propositionis accipiatur pro supposito subiecti, non tollit, quod prædicatum supponat; ergo solutio est nulla. Prob. antec. Nam prædicatum huius propositionis *homo est animal* absolutè supponit: & tamen accipitur pro supposito subiecti; ergo quod prædicatum alicuius propositionis accipiatur pro supposito subiecti, non tollit quod prædicatum supponat. Dices secundo. Quod vt terminus supponat, debet habere suppositum, pro quo accipiatur: & cum adiectiuum adiectiuè tentum non habeat suppositum pro quo accipiatur, ideò non supponit. Cæterum in contrarium est. Nam vt terminus supponat satis est, quod habeat suppositum logicum, nec amplius deducitur ex diffinitione suppositionis: sed adiectiuum adiectiuè tentum habet suppositum logicum, vt explicauimus in explicatione conclusionis; ergo solutio est nulla.

2 Contra 2. concl. obijc. 1. Ex D. Thom. 1. p. q. 39. art. 5. ad 5. vbi approbat sententiam sophistarum asserentium adiectiuum adiectiuè tentum non supponere; ergo secundum D. Thomam adiectiuum adiectiuè tentum non supponit. Confirm. hoc argum. ex Petro Hispano sic diffiniente suppositionem: *Suppositio est acceptio termini substantiui*: sed adiectiuum adiectiuè tentum non est terminus substantiuus; ergo adiectiuum adiectiuè tentum non supponit. Resp. ad arg. cum sua confirm. D. Thom. & Petrum Hispanum loqui de suppositione primo modo accepta, qua suppositione nos libenter fatemur adiectiuum adiectiuè tentum non supponere; non verò locutos fuisse de suppositione secundo modo sumpta. Obijc. 2. Adiectiuum adiectiuè tentum non affert secum suum suppositum, sed applicat suum significatum ad suppositum substantiui; ergo adiectiuum adiectiuè tentum non supponit. Patet conseq. Nam suppositio est acceptio termini pro aliquo proprio supposito. Confirmatur. Ideò hæc propositio, *essentia diuina generat*, est falsa, quia verbum *generat* est adiectiuum, & non supponit, nec affert secum suum suppositum; ergo adiectiuum adiectiuè tentum non supponit. Confirm. 2. Terminus connotatiuus solum supponit pro materiali: sed in hac propositione *homo est albus*, non supponit pro materiali; ergo non supponit; ac per consequēs adiectiuum adiectiuè tentū non supponit. Min. prob. ly *albus* in prædicta propositione solum applicat suum significatum formale ad significatum subiecti; ergo non

non ſuppo it pro materiali. Reſpond. diſting. antec. non affert ſecum ſuu n ſuppoſitum phyſicum, concedo antec. ſuum ſuppoſitum logicum, nego antec. & conſeq. Quæ ſolutio conſtat ex dictis in explicatione noſtræ cõcluſionis. Ad primam confirm. dicatur, ideò illam propoſitionem eſſe falſam, quia ly *generat*, non habet proprium ſuppoſitu n de quo aliquid affi metur, ſed appiicat actum generãdi ad ſuppoſitum de ly *eſſentia*, quæ quia nõ dicit ſuppoſitu n, & actiones ſunt ſuppoſitorũ, ideò prædicta propoſitio eſt falſa, vt magis explicabimus in quæſt. vlt. huius operis; ex quo ſolum ſequitur, quod ly *generat*, non ſupponat in prædicta propoſitione ſuppoſitione primo modo ſumpta, non tamen ſequitur, quod nõ ſupponat ſuppoſitione ſecundo modo accepta. Ad vlt. diſtingo mai. ſolum ſupponit pro materiali, ſuppoſitione primo modo accepta, concedo mai. ſuppoſitione ſecundo modo ſumpta, nego mai. & conceſſa minori, nego conſeq. Quæ ſolutio cõſtat ex dictis. Qui autem voluerint oppoſitã ſentẽtiam defendere, explicent diffinitionem ſuppoſitionis dicendo. Suppoſitio eſt acceptio termini pro aliquo, ſcilicet, ſuppoſito, de quo ex modo ſignificãdi termini poſſit aliquid affirmari, vel re, ſi inxta quã explicationem non competitur ad eſſentiã adiecti, è tantum non ſupponere.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm diuiſio ſuppoſitionis in propriam, & impropriam ſit analoga?

1 SVppoſitio propria ſic diffinitur à ſapientiſsimo Magiſtro Soto. *Eſt acceptio termini pro illo, quod propriè ſignificat*: Suppoſitio vero impropria *eſt acceptio termini pro illo, quod impropriè ſignificat*. Quo ſuppoſito reſolutionè dicendũ eſt prædictam diuiſionem eſſe vniuocam. Hæc cõcluſio prob. Ratio ſuppoſitiònis æqualiter cõmunicatur vtrique ſuppoſitioni, tam propriæ, ſcilicet, quàm impropriæ; ergo præfata diuiſio eſt vniuoca. Prob. ant. Tam propria ſuppoſitio, quam impropia eſt acceptio termini pro aliquo de quo verificatur; ergo ratio ſuppoſitionis æqualiter participatur ab vtraque ſuppoſitionẽ tã à propria, nempè quam impropria. Confirm. hæc ratio. Etenim ſuppoſitio non dicitur impropria, quia ratio ſuppoſitionis impropriè comperat termino, ſed quia ſupponit terminus pro re, quam ſecundario ſignificat: ſed hoc non tollit, quo ratio ſuppoſitionis perfectè inueniatur in termino impropriè ſupponente; ergo ratio ſuppoſitionis æqualiter communicatur vtrique ſuppoſitioni. Contra iſtam concluſionem obijcies. Suppoſitio impropia nõ participat perfectè rationem diuiſi; ergo diuiſio non eſt vniuoca. Prob. antec.

Par.

Participat illam impropriè; ergo non perfectè. Confirmat. hoc argum. Ratio signi analogicè dicitur de signo, quod est propriè signum, & de signo, quod impropriè est signum; ergo similiter ratio suppositionis analogicè dicetur de propria, & impropria suppositione. Patet conseq. Ratio signi præsupponitur ad suppositionem, vel est fundamentū illius: sed quando fundamentum relationis alicuius dicitur analogicè, etiam ipsa relatio fundata analogicè dicitur; ergo si ratio signi dicitur analogicè de signo proprio, & improprio, etiam ratio suppositionis analogicè dicetur de suppositione propria, & impropria. Resp. negando antec. Ad probationem nego anteced. Licet enim suppositio impropria sit impropria, non tamen impropriè participat rationem suppositionis, sed dicitur impropria, quia est acceptio termini pro re, quam secundario significat. Ad confirmationē nego antec. Etenim ly *Leo* vniuocum signū est, vt dicitur de Leone, & de Christo. Vel secundo admisso antecedenti negatur conseq. Ad cuius probationem dicatur, quod ratio signi non est proprium, & proximum fundamentū relationis suppositionis, vt cōstat ex dictis, sed solum est quid materialiter præsuppositum; quo circa, quamuis ratio signi dicatur analogicè de signo proprio, & improprio, poterit ratio suppositionis vniuocè dici de suppositione propria, & impropria. Si autē inquiras, qua suppositione termini synchategorematici supponūt? breviter respondeo, negando suppositum. Quia termini synchategorematici nō supponunt; eo quod suppositio est acceptio termini pro re, & termini synchategorematici non accipiuntur pro re cum non significent rem, sed modū, & ideo communiter dicitur suppositionem esse passionem termini cathegorematici.

QVÆSTIO V.

Vtrùm suppositio impropria reperiatur in mente?

1 CVm suppositio impropria sit acceptio termini pro improprio significato, nihil aliud erit dari suppositionē impropriam in mente, quā quod detur vnus conceptus acceptus pro improprio significato; sicut suppositio impropria vocalis nihil aliud est, quàm acceptio termini pro improprio significato: & cum cōceptus non habeat improprium significatum; eo quod significat per naturalem similitudinem: hinc oritur ratio dubitādi, an detur suppositio impropria in mente. In qua parte duplex, & vtraque probabilis inuenitur sententia. Prima est affirmatiua, in quam inclinat noster sapientissimus Magister in hoc cap. 10. lect. 1. notabili 3. Secunda est negatiua, quam frequenter tuen-

tuentur nostri Recenciores Thomistæ. Et resolutoriè dicendum est impropriam suppositionem in mente non inueniri. Quæ cõclusio breuiter hac ratione probatur. Suppositio impropria est acceptio termini pro improprio significato: sed conceptus non potest habere improprium significatum; ergo conceptus non potest impropriè supponere. Maior est diffinitio suppositionis impropriæ. Min. verò prob. Cõceptus significat per naturalem similitudinem: sed naturalis similitudo non potest impropriè significare; eo quod significat per expressionem naturalẽ obiecto adequatam; ergo conceptus non potest habere improprium significatum. Confirmatur hæc ratio. Antequam hæc vox, *Nero* esset translata ad significandos homines crudeles, nec ipsa, nec conceptus illi correspondens pro hominibus crudelibus supponebat: sed per hoc quod prædicta vox trãslata fuisset ad significandos homines crudeles, non fuit mutatus conceptus illi correspondens, ita vt ille conceptus, qui anteà repræsentabat Neronem, modo repræsentet homines crudeles; ergo quamuis vox ratione translationis, seu translatitiæ significationis, quæ potest, sicut impositio ab hominibus fieri, habeat supponere impropriè, conceptus tamen nullo modo potest impropriè supponere. Min. prob. Non enim est in potestate hominum mutare repræsentationem conceptuum; quandoquidem conceptus sunt naturales imagines rerum, & naturas rerum nõ possunt homines mutare; ergo per hoc quod prædicta vox translata fuisset ad significandos homines crudeles, non fuit mutatus conceptus præd. dæ voci correspondens, ita vt ille, qui anteà repræsentabat Neronem, modo homines crudeles repræsentet; ac per consequẽs, quamuis vox ratione translatitiæ significationis impropriè, possit supponere, non tamen conceptus.

2 Contra nostram conclus. obijcit. In voce datur suppositio impropria; ergo etiam in mente. Antecedens est certum. Cõseq verò prob. Voces non supponunt pro rebus, nisi medijs conceptibus: sed vox non potest supponere impropriè, medio conceptu propriè supponente; ergo si datur suppositio impropria in voce, etiam dabitur in mente. Min. prob. Suppositio vocis mensuratur à suppositione conceptus. Sed mensura, & mensuratum debent habere proportionem; ergo vox supponẽs impropriè supponit medio conceptu impropriè supponente. Confirm. hæc propositio, *vicit Leo de tribu Iudà* in voce, & in mente est eadem secundum speciem, & in ratione propositionis: sed si subiectum illius, vt vocalis est, supponeret impropriè, & subiectum

ctum ipsius, vt mentalis est, propriè supponeret non esset eadem secundum speciem; ergo si est eadem secundum speciem, & in ratione propositionis subiectum ipsius tam in voce, quàm in mente impropriè supponit. Min. prob. istæ duæ propositiones vocales *vicit Leo de tribu Iudà*, *vicit Christus*, sunt specie distinctæ, & significant distinctas veritates: sed hæc distinctio specifica solum prouenit, ex eo quod subiectum primæ supponit impropriè pro Christo, & subiectum secundæ propriè pro illo supponit; ergo si subiectum prædictæ propositionis, vt vocalis est, supponit impropriè, & subiectum ipsius, vt mentalis est, supponit propriè, prædicta propositio in voce, & in mente, non erit eadem secundum speciem, nec significabit in voce, & in mente eandem veritatem. Resp. conc. antec. & neg. conseq. Ad probationem concessa mai. nego min. Ad probationem distinguo mai. suppositio vocis mensuratur quantum ad illud quod habet suppositionis, à suppositione conceptus, conc. mai. quantum ad illud quod habet impropietatis, nego mai. & sub eadem distinct. in nego conseq. Itaque in subiecto huius propositionis vocalis *vicit Leo de tribu Iudà*, inuenitur duplex respectus, alius ad suum primarium significatum, & alius ad conceptum, cui ex vi acceptionis, quam habet in prædicta propositione subordinatur, & quantum ad hunc secundum ordinem respicit conceptum, vt mensuram, quatenus pro eodem accipitur subiectum propositionis vocalis secundum acceptionem, quam habet in prædicta propositione, ac accipitur conceptus: attamen quia acceptio vocis supponentis impropriè supponit in eadem voce, aliam priorem, & propriam acceptionem pro re alia, cui impropriè assimilatur res pro qua accipitur impropriè, ideò eius suppositio dicitur impropria: at verò cum suppositio conceptus non supponat in eodem conceptu aliam priorem, & propriam suppositionem pro alia re, quæ impropriè assimiletur res pro qua accipitur, vt est subiectum huius propositionis mentalis, *vicit Leo de tribu Iudà*, non est suppositio impropria, sed propria. Suppositio autem vocis (vt ad omnia respondeamus) non mensuratur à conceptu, quantum ad ordinem, quem dicit vox ad priorem, & propriam suppositionem, vndè nascitur denominatio suppositionis impropriæ, sed solum mensuratur à conceptu, quàtum ad acceptionem pro eadem re; quo circa non est necesse, quod si vox supponit impropriè, conceptus illam mensurans etiam impropriè supponat, sed satis erit, quod pro eadem re accipiantur vox, & conceptus mensurans; vndè conceptus proportionem

ha-

habet cum voce, quantum ad illam rationem in qua exercet rationem mensuræ, licet quantum ad alias rationes cum voce mensurata proportionem non dicat. Et quidem argumentum multas patitur instantias. Nam in voce æquiuocatio datur, & tamen non inuenitur in mente. Et similiter vox significat medio conceptu à quo mensuratur, & tamen vox æquiuoca non significat medio conceptu æquiuoco; quia talis conceptus non datur, vt suprà latè probauimus. Vnde sicut vox æquiuoca solum mensuratur à conceptu quantum ad illud, quod habet significationis; non tamen quantum ad illud, quod habet æquiuocationis, ita vox impropriè supponens solum mensuratur à conceptu, quantum ad illud, quod habet suppositionis, non verò quantum ad illud, quod habet impropietatis. Et omnium ratio est. Nam vox significat media impositione, quæ est in hominum voluntate; quo circa potest transferri ad significandum aliquid, quod habeat aliquam similitudinem cum suo primario significato; quandoquidem sicut impositio vocis est in hominum voluntate, ita translatio illius ad aliud impropriè significandum, vnde manat impropria suppositio, est in hominum potestate; vnde potest impropriè supponere: at verò conceptus cum significet per naturalem repræsentationē, & naturalis repræsentatio, & imago naturalis vnius rei, non possit transferri ad hoc, quod sit naturalis repræsentatio, & imago alterius rei impropriè assimilatæ rei, cuius conceptus est naturalis similitudo: hinc prouenit, conceptum nō posse habere impropriam significatum, nec impropriè supponere, & sicut imago depicta Leonis per nullā hominum voluntatē potest transferri ad significandum Christū, quia naturaliter significat Leonem, ita conceptus Leonis per nullam hominum voluntatem potest transferri ad significandum Christum; quia naturaliter Leonem significat. Ad confirmationem, concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem transeat maior, & nego minorem. Distinctio enim inter has propositiones vocales, *vicit Leo de tribu Iuda, vicit Christus*, nō prouenit ex eo quod subiectū vnius supponat propriè, & subiectum alterius impropriè, sed prouenit ex eo quod subiectū primæ supponit pro Christo non absolutè, sed cum ordine, & habitudine ad verum Leonem, subiectum autem secundæ supponit pro Christo absolutè sumpto, & absque aliqua habitudine ad verum Leonem, vnde prædictæ propositiones inter se distinguuntur, quia habent obiecta importantia distinctas habitudines; sicut istæ propositiones, *Mich*
Michael est Deus, (sunt

nis distinctæ distinctione specifica obiecti; quia subiectum primæ supponit pro Angelo Michaele, cum habitudine possessi à Deo, & subiectum secundæ talem habitudinem non importat; at verò subiectum huius propositionis mentalis, *vicit Leo de tribu Iudà*, quamuis propriè supponat pro Christo, no supponit pro illo absolutè sumpto, sed cum habitudinẽ ad verum Leonem; & cũ subiectũ illius propositionis, vt vocalis est, etiã supponat pro Christo cum habitudine ad verũ Leonem: hinc prouenit, quod prædicta propositio est eadem secundum speciem in voce, & in mente, cũ hac sola distinctione, quod suppositio subiecti ipsius propositionis vt vocalis est, cõsequitur ad acceptionem subiecti pro secundario significato, suppositio verò subiecti illius vt mẽtalis est, cõsequitur ad acceptionem subiecti pro primario significato, cæterum illa imet, quod subiectum vocale significat secundariò, significat primario subiectum mẽtale. Quo circa subiectum prædictæ propositionis, tam in voce, quàm in mente pro eodem, & cũ eadem habitudine accipitur.

3 Obijcies secundo. Subiecta harum propositionum vocalium *vicit Leo de tribu Iudà*, *vicit Christus* non mensurantur ab eadem suppositione mentali: sed subiectũ huius *vicit Christus* men- suppositionẽ propriã ergo subiectum alterius mẽsurabitur per suppositionẽ impropriam mẽtalem, ac per consequens suppositio mentalis impropria inuenitur. Probatur conseq. Inter supponere propriè pro Christo, & supponere impropriè pro illo non datur medium; ergo si subiectum huius propositionis, *vicit Leo de tribu Iudà*, non mensuratur per conceptum supponentem propriè pro Christo, mensurabitur per conceptũ impropriè supponentem pro illo. Confirmatur. Non potest dari vox supponens propriè, quin conceptus illi correspondens propriè supponat; ergo similiter, non poterit dari vox impropriè supponens, quin conceptus illi correspondens impropriè supponat, ac per consequens voci impropriè supponenti conceptus impropriè supponens correspondet. Respondet. concedendo mai. & min. & negando conseq. ad probationem dicatur, quod licet inter supponere propriè pro Christo, & supponere impropriè pro illo non detur mediũ, tamẽ inter supponere pro Christo absolutè sumpto, & supponere pro illo impropriè datur mediũ, nimirũ supponere pro Christo cum ordine ad verum Leonem, quæ suppositio propria est; vnde in mente datur duplex cõceptus supponens propriè pro Christo, alius supponens pro Christo absolutè sũpto, & alius supponens pro illo cũ habitudinẽ ad verum Leonem, à primo mẽsu-

ſuratur ſubiectum huius propoſitionis vocalis, *vicit Chriſtus*, à ſecundo menſuratur ſubiectũ huius propoſitionis vocalis, *vicit Leo de tribu Iudæ*, quapropter licet prædictæ propoſitiones habeant conceptus diſtinctos menſurantes, & non detur medium inter ſupponere propriè pro Chriſto, & impropriè pro illo, inde tamen non ſequitur conceptum per quẽ menſuratur ſubiectum huius propoſitionis, *vicit Leo de tribu Iudæ*, debere habere ſuppoſitionem impropriam. Ad confirm. conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia, propter rationẽ diſcriminis aſſignatã in ſolutione præcedentis argumenti, nimirũ, quia vox impropriè ſupponens, ſolũ quoad ſuppoſitionem menſuratur à conceptu, non verò quoad improprietatem, quæ non cõuenit voci per ordinem ad conceptum menſurantem, ſed per ordinẽ ad primarium ſignificatum pro quo antecedenter ad ſuppoſitionem impropriam ſupponitur propriè accepta.

4 Obijcies tertio. Conceptus Leonis poteſt accipi pro Chriſto: ſed ad iſtã acceptionẽ ſequitur ſuppoſitio impropria; ergo in mente poteſt dari ſuppoſitio impropria. Maior prob. 1. Conceptus entis poteſt accipi pro accidenti, & ſubſtantia; ergo cõceptus Leonis poterit accipi pro Chriſto & pro vero Leone. Patet conſeq. Nam ſicut ens analogicè dicitur de ſubſtãtia & de accidẽti, ita Leo dicitur analogicè de Chriſto, & de vero Leone. Secundo prob. eadẽ maior, conceptus proprius Leonis eſt improprius Chriſti; ergo poteſt accipi pro Chriſto. Antec. eſt noſtri Caietani cap. 3. de Analogia aſſerentis, quod conceptus proprius vnius analogati eſt improprius reliquorũ. Denique prob. eadẽ maior. Ideò cõceptus Leonis non poſſet accipi pro Chriſto, quia illum non ſignificat vel repræſentat: ſed hoc non tollit, quo minus pro illo accipiatur; ergo poteſt accipi pro illo. Minor prob. Cõceptus eſſentiæ diuinæ accipitur pro patre diuino: & tamen illum non ſignificat; ergo prædicta cauſalis eſt falſa. Confirm. Conceptus Neronis accipitur pro homine crudeli propter ſimilitudinem inter hominẽ crudelem, & Neronem repertã; ergo cõceptus Leonis accipi poterit pro Chriſto, propter ſimilitudinem inter Chriſtum, & verum Leonem in regali fortitudine repertam. Reſpond. negãdo mai. Cuius ratio eſt. Quia conceptus Leonis ſolum accipi poteſt pro illis rationibus, quæ verè affirmari poſſunt de Leone, vnde conceptus Leonis accipi poteſt pro ratione entis reperta in Leone, vt ſi dicamus, *Leo eſt ens*, & etiam accipi poteſt pro ratione ſubſtãtiæ, & pro ratione corporis; vt hiis in propoſitionibus, *Leo eſt ſubſtantia*, *Leo eſt corpus*,

quia in propositionibus affirmatiuis, & veris prædicatū, & subiectum accipiuntur pro eodem: cum igitur de vero Leone non possit verè affirmari esse Christum: hinc euenit, quod conceptus veri Leonis non possit accipi pro Christo. Ad primam probationem maioris, concesso antecedenti, nego consequentiam. Ad probationem distinguo anteced. ly *sicut* dicente omnimodam paritatem, nego anteced. aliqualem, concedo anteced. & nego conseq. Etenim tam ens, quam Leo analogicè dicuntur, diuersimodè tamen, nam ens dicitur analogiæ de substātia, & accidēti analogia attributionis, & proportionalitatis propriæ, Leo autem de vero Leone, & de Christo dicitur analogicè sola analogia metaphorica, teste Diuo Thoma 1.p. quæst. 13. art. 6. & cum in analogis proportionalitatis propriæ ratio analoga intrinsicè reperiatur in vtroque analogato, & illis vnus conceptus saltim confusus correspondeat, secus verò in analogis proportionalitatis metaphoricæ: hinc prouenit, quod conceptus entis possit accipi pro accidenti, & conceptus veri Leonis, non possit accipi pro Christo. Nec refert si dicas analogiam proportionalitatis metaphoricam participare rationem communem analogiæ proportionalitatis; ergo etiā in analogis proportionalitatis metaphoricæ ratio analoga intrinsicè debet reperiri in omnibus analogatis. Nō inquā id refert. Nam analogia proportionalitatis metaphoricæ solū metaphoricè participat rationē cōmunem analogiæ proportionalitatis; quo circa ratio analoga solū metaphoricè inuenitur intrinsicè in analogato metaphorico; quia licet in illo sua ratio inueniatur intrinsicè, quia tamē solum metaphoricè est talis, ideò metaphoricè inuenitur; sicut in prato risus solū intrinsicè metaphoricè inuenitur; quia licet in prato sua amenitas intrinsicè inueniatur, quia tamē amenitas prati solū metaphoricè est risus, ideò risus solū metaphoricè intrinsicè in prato inuenitur; vnde metaphora in analogis proportionalitatis metaphoricis nō se tenet ex parte modi habendi, quo analogata metaphorica habent rationē analogā; sed ex parte rationis analogæ habitæ, quatenus ipsa ratio analoga in analogatis metaphoricis est metaphoricè talis, quamuis in illis intrinsicè inueniatur, sed de hoc sufficiant dicta. Non enim est præsentis loci, præsentem disputare materiam. Ad secundam probationem dicatur ex illo antecedenti solum inferri conceptum Leonis posse accipi pro re, cui impropriè assimilatur Christus, & quando acciperetur pro Christo, nō acciperetur per illo secūdum sibi propria, sed secundum illam rationem communem, in qua

qua conuenit cum vero Leone, scilicet, secundum rationem fortitudinis, quod non probat prædictum cõceptum accipi impropriè pro Christo. Ad tertiã probationem dicatur rationẽ adæquatam quare conceptus Leonis non potest accipi pro Christo, esse quia prædictus conceptus, nec significat Christũ, nec Christus est aliquid idẽtificatum cum vero Leone; essentia autem diuina est identificata cum Patre diuino, quo circa licet conceptus essentiæ diuinæ non significet Patrem diuinum, poterit accipi pro Patre diuino. Ad confirmationem nego antecedens. Eodem enim modo discurro de conceptu Neronis respectu hominis crudelis, ac de conceptu Leonis respectu Christi.

5 Obijcies quarto. Conceptus Leonis, vt accipiatur pro Christo non requiritur, quod illum significet; ergo potest pro illo accipi. Anteced. prob. primo. Vt subiectũ huius propositionis mentalis, *vicit Leo de tribu Iuda*, dicatur supponere impropriè, sufficit, quod repræsentet Christum cum habitudine ad verum Leonem: sed sic eum repræsentat; ergo supponit impropriè pro Christo. Maior patet. Tunc enim casus conceptus Leonis acciperetur pro Christo cum habitudine ad verum Leonem, cum impropriè Christus assimilatur. Sed hoc sufficit ad suppositionẽ impropriã; ergo conceptus ille supponit impropriè pro Christo. Minor prob. Suppositio dicitur impropia, quia res pro qua terminus accipitur impropriè assimilatur rei, quam terminus significat; ergo vt conceptus Leonis impropriè accipiatur pro Christo, sufficit, quod Christus impropriè assimiletur vero Leoni. Secundo probatur idem antecedẽs. Cõceptus veri Leonis potest accipi saltim arguitiuè pro Christo; sed hoc sufficit ad suppositionem impropriam; ergo quamuis non significet Christum, potest accipi impropriè pro illo. Maior probatur. Conceptus hominis potest esse arguitiuè conceptus Petri; ergo pariter conceptus Leonis poterit esse arguitiuè conceptus Christi. Antecedens est nostri Caietani 1. p. quæst. 86. artic. 1. Tertio. Probatur idem antecedens. Ratione eiusdem significationis potest idem conceptus significare rem aliquam propriè, & impropriè aliam: sed ad acceptionem pro re impropriè significata, sequitur impropria suppositio; ergo non requiritur, quòd conceptus veri Leonis significet Christum per distinctam significationem à significatione sui primarij significati, vt impropriè supponat pro illo. Probatur maior. Imago perfecta vnius rei est imperfecta omnium illorum, quæ imperfectè assimilantur suo proprio Prototypo; ergo conceptus perfectè repræsentans vnũ obiectum imperfectè repræ-

sentauit omnia obiecta, quæ imperfectè assimillantur suo proprio obiecto. Respond. negando antec. Ad primum probationē, nego mi. Nam ad suppositionē impropriā requiritur, quod terminus accipiatur pro re, quam significat; ex eo quod impropriè assimilatur suo primario significato: cum autem cōceptus Leonis non sic significet Christum, sed primario, licet cum ordine ad verum Leonem: hinc prouenit, quod non impropriè supponat pro illo. Ad secundam, nego minorem. Adhuc enim admissa sententia Caietani, non infertur conceptum Leonis posse esse arguitiuè conceptum Christi; nā illi, qui secundum hunc modum dicendi contendunt saluare suppositionem impropriam, non negant, quod possimus formare proprios conceptus de singularibus: ac per cōsequens de Christo. Sententia autem Caietani, solum tenet, quando res, quæ arguitiuè cognoscitur, non potest habere proprium conceptum; nam si illum habere posset, tunc ex prima re concepta arguitiuè deuenitur ad formandum proprium conceptum talis rei; vnde intellectus videns, quod prædicatum huius propositionis, *vicit Leo de tribu Iuda*, non potest cōpetere vero Leoni, formauit cōceptum proprium Christi. Insuper poterat assignari ratio discriminis. Nam homo identificatur cum Petro, secus vero Leo cum Christo; quo circa conceptus hominis potest esse conceptus Petri, cōceptus vero Leonis, non potest esse conceptus Christi. Ad tertiam dicatur, quod significare rem aliquam impropriè stat dupliciter. Vno modo, vt idē est, quod significare eam inadæquatè, & secundum suam communem rationem, vt hæc vox *homo* significat Petrum, & Franciscum, teste sapientissimo Magistro Soto libro 2. Summularum capitulo 14. Lectione 2. notabili 2. & hoc modo poterit conceptus significare adæquatè vnam rem, & inadæquatè aliā, vt conceptus vnius prædicamēti repræsentat propriè, & adæquatè illud, & impropriè ideſt, inadæquatè alia eiusdem prædicamenti. Cæterum hic modus significandi non est sufficiens ad hoc, quod terminus accipiatur pro re illa, quam impropriè significat; aliàs conceptus substantiæ acciperetur pro homine; & dato quod acciperetur ad talem acceptionem, suppositio impropria non sequeretur; quia non acciperetur pro re, nisi secundū eam rationem, in qua conuenit cum alia: & cum hæc conuenientia sit propria, etiam suppositio propria foret; alius est modus significandi impropriè, qui consistit in hoc, quod terminus significet aliquid secundariò, & per trāslatitiam ex eo quod impropriè assimilatur suo primario significato, & hæc significatio impro-

propria est, quæ requiritur ad impropriam suppositionem.

6 Obijcies quinto. Species impressa entis realis repræsentat improprièens rationis in probabili sententia: & tamen species impressa est naturalis similitudo; ergo non est contra rationem naturalis similitudinis habere improprium significatum. Maior patet. Species enim impressa entis realis secundario repræsentat ens rationis; ergo impropriè illud repræsentat. Confirmatur. Conceptus visus repræsentat cæcitatem, ergo conceptus veri Leonis repræsentabit Christum. Probatur antec. Priuatio cognoscitur per conceptum formæ, qua priuat; ergo conceptus visus repræsentat cæcitatem. Respondetur, quod licet species impressa entis realis secundariò repræsentet ens rationis, non tamen impropriè illud repræsentat, non enim omnis repræsentatio secundaria est impropria. Nam species Angeli repræsentans hominem, secundariò repræsentat passiones hominis: & tamen propriè illas repræsentat; vnde non est contra rationem naturalis similitudinis repræsentario secundaria, sed repræsentatio impropria, & illa, quæ est secundaria per translationē, & metaphoram: & cum Christus solū metaphoricè sit Leo: hinc prouenit, quod conceptus veri Leonis non possit impropriè, & secundariò repræsentare Christum. Sed replicabis. Propter similitudinem, & conuenientiam, quam habet ens rationis cum ente reali, species impressa entis realis ens rationis repræsentat; ergo pariter propter similitudinem Christi cum vero Leone, conceptus veri Leonis repræsentabit Christū. R. spondetur solutionem datam esse legitimam, & ad replicam concesso antecedenti, nego conseq. vel distinguo consequens; repræsentabit Christum inadæquatè, & non secundum sibi propria, transeat consequens, adæquatè, & secundum sibi propria, nego consequent. Itaque discrimen consistit in hoc, quod ens rationis secundum propriam rationem entis rationis assimilatur, & conuenit cum ente reali secundum propriam rationem entis realis; vnde ens reale, & ens rationis secundum suas vltimas differentias assimilantur, & proportionantur; quia sicut se habet ens reale ad suum esse, ita proportionabiliter se habet ens rationis ad suum esse; ac per consequens sunt analogata proportionalitatis propriæ, in quibus ratio analoga intrinsicè reperitur in omnibus; quo circa possunt habere vnam naturalem similitudinem, & eandem speciem impressam; at verò Christus secundum propriam suam rationem nullam habet conuenientiam, & similitudinem cum vero Leone, sed metaphoricè di-

citur Leopar quandam metaphoricam comparationem, ac proinde conceptus Leonis repræsentans verum Leonem secundum sibi propria, non poterit Christum secundum sibi propria repræsentare, quamuis ipsum inadæquatè, & secundum rationem communem repræsentet; sicut conceptus hominis repræsentat equum, & sicut repræsentatio inadæquata æqui in conceptu hominis reperta non sufficit ad hoc, quod conceptus hominis impropriè supponat pro equo: ita repræsentatio inadæquata Christi, reperta in conceptu veri Leonis non sufficiet, vt conceptus veri Leonis dicatur conceptus improprius Christi impropriè supponens pro illo. Similitudo enim non attenditur in rebus absolutè, sed quatenus repræsentātur per terminum vocalem, vel mentalem: & cum per conceptum veri Leonis repræsentetur verus Leo secundum sibi propria, & Christus non sit similis vero Leoni secundū sibi propria: hinc provenit, quod conceptus veri Leonis non repræsentet Christū; quamuis conceptus correspondens huic termino *fortis* repræsentet verum Leonē, & Christum, vt in fortitudine conueniunt. Ad confirmationem dicatur, quod conceptus visus secundariò repræsentat cæcitatem, attamen propriè illam repræsentat; eo quod visus necessariò importat negationem cæcitatis; quo circa ratione talis connexionis conceptus visus potest cæcitatē repræsentare; sicut propter connexionem essentiæ cum proprietatibus, conceptus essentiæ est conceptus proprietatis: & sicut conceptus essentiæ, quāuis sit secūdarius conceptus proprietatis, est tamen proprius, ita conceptus visus, quamuis sit cōceptus secūdarius cæcitatis, erit proprius illius conceptus.

7 Objicies vltimo. Ly *album* supponit in omnium sententia pro materiali, nempè pro substracto: & tamen in probabili sententia non significat materiale substractum; ergo non requiritur significatio ad suppositionem; ac per consequens, quamuis conceptus veri Leonis non significet Christum poterit pro illo supponere. Respond. concedendo maiorem, admittendo minorem, & distinguendo consequens; non requiritur sola significatio, concedo consequent. non requiritur significatio, vel quod id, pro quo terminus supponit sit pars significati termini, nego consequent. itaque quāuis ly *album*, non significet materiale, attamen materiale est pars significati de ly album; eo quod ly album significat albedinem in concreto, de albedine autem in concreto substractum materiale est pars, & prædicatum inniuitum in illa; aliàs conceptus correspondens albedini in concreto

non

non distinguetur à conceptu ipli correspondenti in abstracto: at vero Christus, nec significatur per conceptum veri Leonis, nec est pars significati per talem conceptum, nec prædicatum inuiuitum in talis conceptus significato; vnde non est eadem ratio. Nam ad hoc, quod terminus supponat pro aliqua re, necessum est, quod illam significet, vel saltim sit pars significati termini, vel aliquid inuiuitum in termini significato.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm distributio impediat suppositionem simplicem?

1 SVppositio simplex, sic definitur à Sapientissimo Magistro Soto, est *acceptio termini pro illo, quod primo, & formaliter significat.* In hoc enim distinguitur suppositio simplex à personali, quod personalis est acceptio termini pro persona, simplex autem est acceptio termini non pro supposito, seu persona, sed pro natura, quæ est primum significatum, quod forma iter significatur per terminum, ita noster Eminentissimus Caietanus 1. p. quæst. 16. art. 7. Quo supposito inquirimus, an distributio tollat simplicem suppositionem, in qua parte resolutoriè dicendum est distributionem impedire simplicem suppositionem. Hæc conclusio brebiter probatur. Suppositio simplex non est acceptio termini pro personis, sed pro natura: seu distributio facit terminum accipi pro personis; ergo impedit suppositionem simplicem. Maior constat ex dictis. Minor verò probatur. Distributio extendit acceptionem termini: sed non potest acceptio termini extendi, nisi accipiatur pro personis; ergo distributio facit terminum accipi pro personis. Confirmatur primo. Distributio facit terminum supponere distributiuè: sed suppositio distributiua est species suppositionis personalis; ergo distributio impedit suppositionē simplicem. Confirmatur secundo. Distributio impedit, quod terminus accipiatur pro illo, quod primo, & formaliter significat; ergo impedit suppositionem simplicē. Probatur antecedens. Distributio impedit, quod terminus accipiatur pro natura: sed natura, & non persona est, quod primo, & formaliter significatur per terminū; ergo distributio impedit, quod terminus accipiatur pro illo, quod primo, & formaliter significat. Minor probatur. Significatio termini sequitur conceptum impositoris: sed quod primo concipitur est natura, & deinde concipiuntur personæ singulares; ergo natura, & non persona, seu individuum est, quod primo, & formaliter significatur per terminum.

2 Con-

2 Contra noſtram concluſionem obijcies primo. Diſtributio non impedit alienationẽ; ergo nec ſuppoſitionem ſimplicẽ. Antecedens conſtat ex dictis diſp. 10. quæſt. 7. Conſequentia verò tenet à paritate rationis. Confirm. Benè valet, *omnis homo eſt individuum; ergo hic homo eſt individuum & hic homo eſt individuũ*: ſed ly *homo* in conſequentia ſupponit ſimpliciter; ergo etiam in antecedenti. Conſequentia patet. Nam aliàs variaretur ſuppoſitio, & mala eſſet conſeq. Minor verò prob. Nam in hac propoſitione *hic homo eſt individuũ* ſubijcitur ly *homo* reſpectu termini ſecundæ intentionis: & aliàs non impediretur, vt ſtet pro ſuo primario ſignificato; ergo ſupponit ſimpliciter. Reſp. concedẽdo antec. & negando conſeq. Diſcrimen conſiſtit in hoc, quod alienatio non facit terminum ſtare pro illo, quod primo, & per ſe ſignificat; ſed ſolum pro impropriis ſignificatis: & cum idem terminus poſsit habere plura impropria ſignificata, in quibus poſsit diſtribui: hinc prouenit, quod diſtributio non impediat alienationem: at verò ſuppoſitio ſimplex facit terminũ ſtare pro ſuo ſignificato primario & quod primo, & formaliter ſignificat terminus, & cum quilibet terminus ſolum habeat vnum ſignificatũ formale, quod vt eſt in conceptu impoſitoris, nõ poteſt multiplicari, ideò diſtributio impedit ſuppoſitionem ſimplicem. Ad confirmationem communis ſolutio eſt, illud conſequens poſſe dupliciter conſiderari, vno modo ſecundum ſe, & abſolutè, & in iſta conſideratione ſubiectum illius ſupponit ſimpliciter, & alio modo, prout infertur ex illo antecedenti, & ſecundum iſtam conſiderationem ſubiectum illius perſonaliter ſupponit, ſicut ſupponit in antecedenti. Vel ſecundo reſpondet, negando mai. Licet enim prædicta conſequentia, nõ poſsit inſtari in propoſitibus affirmatiuis; eo quod ſemper propoſitio vniuerſalis affirmatiua, cuius prædicatum eſt ſecundæ intentionis, ſemper eſt falſa, & ita non dabitur antecedens verum, & conſequens falſum, tamẽ poteſt inſtari in propoſitionibus negatiuis. Nam hæc eſt mala cõſeq. *omnis homo nõ eſt individuum; ergo hic homo non eſt individuum*; quia antecedens eſt verum, & conſequens falſum.

3 Obijcies ſecundo. Diſtributio non tollit appellationem rationis; ergo nec ſimplicem ſuppoſitionem. Ant. prob. In hac propoſitione *cognoſco omnem hominem venientem*, appellatio fit ſupra proprium conceptum venientis quamuis prædicatum ſit diſtributum; ergo diſtributio nõ tollit appellationẽ rationis. Cõfirm. Iſtæ propoſitiones ſingulares *hic homo eſt individuum*, & *hic homo eſt individuum*, aliquam habent vniuerſalem: non aliam niſi

nisi istam, *omnis homo est indiuiduum*; ergo hæc est earum vniuersalis: sed subiectum in singularibus supponit simpliciter; ergo etiam in vniuersali; aliàs non esset vniuersalis illarum. Confirm. 2. In contradictoria huius vniuersalis, *omnis homo est indiuiduum*, quæ est hæc *homo est indiuiduum*, subiectum supponit simpliciter; ergo & in vniuersali subiectum simpliciter supponit. Patet conseq. Nam in contradictorijs debet seruari eadem suppositio quo ad genus suppositionis. Antec. vero prob. In prædicta propositione subiectū subijcitur respectu termini secundæ intentionis: & aliàs nō est distributio impediens suppositionem simplicem; ergo subiectum prædictæ propositionis supponit simpliciter. Confirm. vlt. Hæc propositio, *omnis homo est indiuiduū*, est vera; ergo subiectū illius supponit simpliciter. Patet conseq. Si enim supponeret personaliter esset falsa; cum supponeret pro Petro, & Paulo secundum esse, quod habent in re, de quibus sic sumptis falsum est dicere, quod sunt indiuiduum. Respōd. disting. antec. non tollit appellationem rationis prouenientem à verbo significante actū animæ interiorem, concedo anteced. non tollit appellationem rationis prouenientem à prædicato secundæ intentionis, nego antec. & conseq. Solum enim cum hac secunda appellatione currit paritatem suppositio simplex. Ad primam cōfirmat. nego minor. Vniuersalis enim illarum singularium non potest per terminos simplices assignari: sed debet dari per circumloquium, & erit ista, *omnis homo conceptus proprio conceptu singularis est indiuiduum*. Ad secūdam, nego antec. Ad probationem dicatur, quod cum propositio negatiua reguletur per affirmatiuam impeditur subiectum prædictæ propositionis negatiuæ, ne supponat simpliciter ratione prædicati secundæ intentionis. Ad vlt. nego antec. Prædicta enim propositio est falsa; quia cum distributio faciat, quod subiectum illius accipiatur pro indiuiduis secundum esse reale, quod habent in re, & à parte rei, & prædicatum petat proprium conceptum singularis: hinc prouenit, quod prædicatum non cōueniat subiecto distributo, & propositio sit falsa. Recollantur dicta disp. 10. q. 7. n. 2.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm quando prædicatum repugnat subiecto, possit subiectum supponere simpliciter?

1 SVppono terminum singularem posse supponere simpliciter, quando prædicatum subiecto non repugnat; vt subiectum huius propositionis, *Petrus est indiuiduum*, in qua ly *Petrus* accipitur pro illo, quod primo, & per se formaliter sig-

significat, nempè pro conceptu proprio singularis, & individui; quo circa simpliciter supponit. Non enim alia ratione ly *homo* supponit simpliciter in hac propositione *homo est species*, nisi quia accipitur pro illo, quod primo, & formaliter significat, nempè pro conceptu proprio hominis in communi, & quatenus est species. Quo supposito, quod inquiro est, an quando prædicatum subiecto repugnat, vt contingit in hac propositione, *Petrus est species*, subiectum simpliciter supponat. In qua parte est duplex, & vtraque satis probabilis sententia; prima est affirmatiua, & secunda negatiua. Et resolutoriè dicendum est, quòd quamuis prædicatum repugnet subiecto potest subiectum simpliciter supponere. Prob. hæc concl. 1. Prædicatum secundæ intentionis, siue conueniat, siue non conueniat subiecto semper appellat proprium conceptum subiecti; ergo siue conueniat, siue non conueniat subiecto, semper subiectum supponit simpliciter. Conseq. tenet, & antec. prob. dupliciter. Primo. Prædicatum secundæ intentionis, ex eo quod est prædicatum secundæ intentionis appellat proprium conceptum subiecti: sed per hoc quod non conueniat subiecto, non desinit esse prædicatum secundæ intentionis; ergo per hoc, quod non conueniat subiecto, non desinit appellare proprium conceptū subiecti. Secundo. Nam in hac propositione, *homo non est species*, prædicatum non conuenit subiecto mediante copula negata, & propositio est falsa: & tamen subiectum illius supponit simpliciter; ergo quamuis prædicatum non conueniat subiecto, & propositio sit falsa, potest subiectum simpliciter supponere. Minor prob. Hæc propositio, *homo non est species*, est contradictoria huius propositionis, *homo est species*: sed subiectum affirmatiuæ simpliciter supponit; ergo etiā subiectum negatiuæ. Patet conseq. Nam in contradictorijs debet seruari idem genus suppositionis. Confirm. Quamuis prædicatum repugnet subiecto, potest esse appellatio rationis proueniens à prædicato secundæ intentionis; ergo quamuis prædicatum repugnet subiecto poterit esse suppositio simplex. Conseq. tenet à paritate rationis. Et antec. prob. Quamuis prædicatū repugnet subiecto, potest esse appellatio realis proueniens à prædicato reali; ergo quamuis prædicatum repugnet subiecto poterit esse appellatio rationis, proueniens à prædicato rationis. Prob antec. In hac propositione, *Christus est homo æternus*, est appellatio realis proueniens à prædicato reali; & ideò hæc propositio est falsa: & tamen prædicatum repugnat subiecto; ergo quamuis prædicatum repugnet subiecto, potest esse appellatio

tio realis proueniens à prædicato reali.

2 Contra istam conclusionem obijcies primo. Ad suppositionem simplicem, sicut ad quālibet aliam suppositionem requiritur verificatio, siue propositionis, siue termini: sed subiectū huius propositionis, *Petrus est species* non verificatur vllo modo; ergo non supponit simpliciter. Minor prob. In prædicta propositione ly *Petrus*, non accipitur pro aliquo existenti, iuxta exigentiā copulæ: & aliàs propositio est falsa; ergo subiectū prædictæ propositionis nō verificatur vllo modo. Cōfirm. In hac propositione *Petrus est species*, nō est appellatio rationis; ergo subiectū illius non supponit simpliciter. Consequētia tenet. Et antec. prob. Ad appellationem rationis requiritur, quod prædicatū appellans cōueniat rebus; tale sapientissimo Magistro secūda regula appellationis rationis: sed prædicatum prædictæ propositionis non cōuenit subiecto, imò potius illi repugnat; ergo in prædicta propositione nō est appellatio rationis. Resp. conced. mai. & negando min. Subiectū illius propositionis verificatur de Petro verificatione termini. Nam ex vi prædicati accipitur pro Petro secundum proprium conceptum Petri, & individui: & cum Petrus secundum proprium conceptū Petri, & individui singularis existat, iuxta exigentiā differentiæ tēporis importatæ per copulam: hinc prouenit, quod subiectū prædictæ propositionis verificetur verificatione termini, quamuis nō verificetur verificatione propositionis. Ad confirm. nego antec. Ad probationē dicatur, regulam sapientissimi Magistri, sic esse intelligendam, nimirū, quod prędicatū appellans appellatione rationis sit talis naturæ, & cōditionis, quod possit rebus conuenire, quāuis de facto non conueniat; per quod distinguitur à prædicato rationis solum vocibus potente conuenire: & cum prædicatū prædictæ propositionis possit rebus conuenire, quāuis in illa de facto non conueniat: hinc prouenit, quod possit propriū conceptum subiecti appellare.

3 Obijcies 2. Subiectum huius propositionis, *Petrus est species*, supponit naturaliter; ergo non potest simpliciter supponere. Prob. antec. Subiectum prædictæ propositionis accipitur pro omnibus, pro quibus aptum natū est accipi; ergo supponit naturaliter. Prob. ant. Subiectum prædictæ propositionis eodem modo accipitur in illa, ac in ista, *Petrus est lapis*: sed in ista accipitur pro omnibus, pro quibus aptum natum est accipi; ergo etiam in illa. Confirm. Hæc est mala conseq. *homo est species, Petrus est homo; ergo Petrus est species* & tamen non habet aliud defectum, nisi quia variatur suppositio de simplici in personalem; ergo subie-

ctum

ctum consequentis non simpliciter, sed personaliter supponit. Secundo. Nam secundum sapientissimum Magistrum Soto infra cap. 12. de Inductione, Lectione secunda, notabili 5. non benè sequitur, *Petrus non est species, vel Paulus non est species; ergo homo non est species;* quia variatur suppositio personalis in simplicem; ergo secundum sapientissimum Magistrum, quando prædicatum repugnat subiecto, subiectum nō supponit simpliciter. Respond. negando anteced. Ad probationem distinguo anteced. accipitur pro omnibus pro quibus aptum natum est accipi ratione connexionis prædicati cum subiecto, nego anteced. ratione appellationis, concedo antec. & nego conseq. Vt autem subiectū prædictæ propositionis supponeret, naturaliter debebat accipi pro omnibus, pro quibus aptum natum est accipi ex vi connexionis prædicati cum subiecto, seu remotionis prædicati à subiecto: & cum acceptio, quam habet subiectum prædictæ propositionis nō conueniat illi ex capite connexionis essentialis, vel remotionis prædicati à subiecto, vt contingit in hijs propositionibus. *Petrus est homo. Petrus est lapis,* sed illi rantū cōueniat ex capite appellationis: hinc prouenit, quod subiectū prædictæ propositionis nō supponat naturaliter. Ad primam confirmationē cōcessa mai. nego min. Etenim defectus illius consequētiæ est, quod intra idē genus suppositionis variatur applicatio ad diuersa suppositā; nam in maiori species applicatur ad conceptum communem hominis, & in consequenti applicatur ad Petrum conceptum cōceptu proprio singularis, & indiuidui; quo circa in prædicta consequētia intra idem genus suppositionis simplicis variatur appellatio, & quasi suppositio simplex. Et ex hijs facili negotio ad authoritatem sapiētissimi Magistri respond. Duplex enim suppositio simplex intra genus suppositionis simplicis potest assignari, vna, quæ sit acceptio termini pro natura, quæ anthonomastice dicitur suppositio simplex, alia, quæ sit acceptio termini pro indiuiduo, & singulari secundum proprium conceptū singularis, & indiuidui, quæ suppositio simplex in comparatione, ad primam potest dici personalis, quamuis simpliciter, & absolutè sit suppositio simplex. Hoc supposito dico, sapientissimum Magistrum in illis verbis, *quia variatur suppositio personalis in simplicem,* accepisse suppositionem personalē pro omni illa suppositione, quæ nō est suppositio termini pro natura concepta cōceptu cōmuni. Ex quo solū sequitur, quod subiectū huius propositionis, Petrus est species nō supponat suppositione simplici, quę est pro natura, nō tamē infertur, quod nō supponat suppositione simplici, quæ est absolutè, & simpliciter talis.

QVÆ-

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm hæc propositio, homo est species, sit necessaria?

1 VT enim sæpè sæpius repetitum est, aliud est propositionem esse necessariam, & aliud esse essentialem; ad primum enim sufficit, quod propositio falsificari non possit: ad secundum autem requiritur, quod prædicatum sit de conceptu subiecti. Hoc supposito omnes dialectici debent conuenire in vno, & aliud debent disputare. Conuenire enim debent in hoc, quod prædicta propositio non est essentialis; quandoquidem prædicatum illius non est de conceptu, nec de intrinseca ratione subiecti; & disputare debent, an prædicta propositio necessaria sit. In qua parte resolutoriè dicendum est prædictam propositionem necessariam non esse. Hæc conclusio relicta quadam authoritate D. Thom. cap. 4. de ente, & essentia, quæ magis probat prædictam propositionem non esse essentialem, quam non esse necessariam, probatur primo ratione. Ly *est* in prædicta propositione dicit existentiam; ergo prædicta propositio non est necessaria. Antec. constat. Nam solum dicit essentiam, quando prædicatum est de essentia subiecti: & cum prædicatum prædictæ propositionis non sit de essentia subiecti, verbum illius non dicit essentiam, sed existentiam. Conf. q. vero prob. Omne prædicatum dicens existentiam contingenter dicitur de creatura; ergo si prædicatum prædictæ propositionis dicit existentiam, prædicta propositio est contingens, & non necessaria. Confirm. Non minus postulat prædicatum huius propositionis, *homo existit*, vt verè affirmetur de subiecto, quod subiectum existat, quam prædicatum huius, *homo est species*, quod subiectum concipiatur conceptu communi: nec est minus necessaria ista, *homo existens existit*, quàm ista, *homo conceptus conceptu communi est species*: & tamen hæc propositio, *homo existit est absolutè contingens*, & non necessaria; ergo etiam ista, *homo est species*, erit absolutè, contingens, & non necessaria. Totus discursus est legitimus. Secundo prob. conclusio. Quando aliqua propositio ad sui veritatem petit aliquam cõditionẽ exercitam ex parte subiecti, non redditur talis propositio necessaria, nisi talis conditio signatè ponatur: sed hæc propositio, *homo est species*, vt sit vera, petit pro conditione ex parte subiecti, quod homo conceptu communi concipiatur, & hoc in illa non ponitur signatè; ergo prædicta propositio absolutè est contingens. Min. cum conseq. tenet. Maior verò prob. Quia hæc propositio, *homo est albus*, vt sit vera, petit ex parte subiecti albedinem, & albedo ex parte subiecti non ponitur signatè, dicendo;

do, *homo albus est albus*, prædicta propositio absolutè est contingens; ergo quando aliqua propositio petit aliquam conditionem ex parte subiecti, vt sit vera, non redditur talis propositio necessaria, nisi talis conditio signatè ponatur.

2 Contra istam conclusionē obijc. 1. Propositio mentalis, cui æquiualet prædicta propositio, est necessaria; ergo & vocalis necessaria erit. Prob. antec. Subiectum propositionis mentalis est homo conceptus conceptu cōmuni: sed homini sic concepto necessariò conuenit esse speciē; ergo propositio mentalis, cui hæc propositio, *homo est species* subordinatur, est necessaria. Cōfirm. Hæc propositio, *homo est species* æquiualet huic propositioni, *homo conceptus conceptu communi est species*: sed hæc est necessaria; ergo & prædicta propositio. Mai. prob. Benè valet ab vna ad aliam, & è conuerso; ergo sunt æquiualentes. Secundo. Hæc est bona consequentia, *homo conceptus conceptu communi est species*; ergo *homo est species*: sed antecedens est necessarium; ergo & consequens. Patet conseq. Nam in bona conseq. non potest antec. esse necessarium, & consequens contingens. Resp. neg. antec. Cum enim in propositione mentali, cui prædicta propositio subordinatur ly *est* dicat existentiam, ideò mentalis est contingens, sicut & vocalis. Ad primam confirm. nego mai. Ad prob. nego antec. N. m hæc est mala conseq. *homo conceptus conceptu communi est species*; ergo *homo est species*: quia antecedens, vtpotè propositio necessaria, semper est verum, consequens autem, cum eius veritas dependeat, ex hoc quod intellectus cōcipiat hominem conceptu communi, & tribuat ei intentionem speciei, est contingens, & falsum erit, quando intellectus non sic concipit hominem. Per quod patet ad secundam confirmationem.

3 Obijc. 2. Hæc propositio, *homo potest esse albus*, est necessaria; ergo etiam illa, *homo est species*. Prob. conseq. Ideò prima est necessaria, quia ponitur in actu signato ampliatio subiecti, ratione cuius est necessaria: sed etiam in secunda ponitur appellatio subiecti, ratione cuius est necessaria; ergo si prima est necessaria, secūda etiam necessaria erit. Confirm. Hæc propositio, *homo est species* diuersum sensum facit si prædicatum appellat ab illo, quem facit si non appellat; sed si non est appellatio, est propositio contingens; ergo cum appellatione erit propositio necessaria. Resp. concesso antec. negād. conseq. Ratio discriminis est. Nam in hac propositione, *homo potest esse albus*, prædicatum necessariò conuenit subiecto ex vi ampliationis, quæ ponitur ibi in actu signato, non solum secundum

dum conceptũ ampliationis, verum etiam secundum conceptũ termini ampliati, qui vt amplietur non requirit, nisi conceptum hominis secundum se, qui significatur per subiectum: at verò in secunda propositione, & si ponatur in actu signato terminus appellans, non tamen ponitur in actu signato conceptus quẽ appellat, sicut ponitur in ista, *homo* conceptus conceptu communi est species, quod erat necessarium, vt prædicta propositio necessaria redderetur. Vnde non est eadem vtriusque ratio. Ad confirmationem dicatur, quod prædicta propositio sine appellatione est falsa, & cum appellatione est vera, & solum in hoc est distinctio, non verò in illo, quod intendit argumentũ, nisi signatè ponatur appellatio ex parte termini appellantis, & ex parte conceptus appellati, dicendo, *homo conceptus conceptu communi est species.* Nescio an meminerim illorum, quæ dixi disp. 10. quæst. nisi forte 8. agendo de necessitate huius propositionis, *homo est pictus.* In calce autem huius disputationi, poteram disputare, an subiectum huius propositionis, *vniuersale est genus*, *vel genus est vniuersale* supponat simpliciter. Ad quod brebiter resp. quod in omnibus propositionibus essentialibus, sicut non est appellatio rationis, ita nec est suppositio simplex. De reliquis autem speciebus suppositionis sufficiat textus sapientissimi Magistri; & similiter sufficiãt dicta de tota ista disputatione applicando litteræ sapientissimi Patris Magistri Soto à cap. 9. lib. 2. Summulatũ, vsque ad cap. 10. per omnes eorum lectiones, & notabilia.

Disputatio Decima sexta, De relatiuis, & de inductione.

QVÆSTIO I.

Vtrùm diffinitio relatiui sit bona?

1 MIssis relatiuis logicis ad logicã, & grãmaticis ad Grãmaticos manũ mittimus ad dialectica relatiua secundum considerationem dialecticam, in qua relatiuum, sic diffinitur à sapientissimo Magistro Soto. Relatiuum *est rei antelatæ recordatiuum.* Quæ diffinitio est bona, & probatur authoritate tanti Magistri illam tradentis, & explicantis hoc modo. Relatiuum est rei antelatæ recordatiuum, ideſt, ille terminus, qui reuocat in memoriam notitiam termini antecedentis, & non requiritur, quod relatiuum referens suum antecedens semper pro illo accipiatur; potest enim suum antecedens referre, quãuis pro illo non accipiatur, vt cõstat in relatiuo alietatis, quod nõ accipitur pro illo, quod refert, & facit

recordari, sed pro alio; & similiter non est idem relativum significare, & actu referre antecedens, sua accipi pro illo. Nã ly *qui* semper significat idem, scilicet, referibile vt sic: & tamen nõ semper refert idẽ, nec accipitur pro eodẽ, sed iuxta determinationẽ antecedẽtis determinatur, vt accipiatur pro vno, & posteà pro altero, sicut ly *albus* licet semper significet idem, non tamen semper accipitur pro eodem; nam in hac propositione, *Petrus est albus* ly *albus* accipitur pro Petro, & in hac *paries est albus*, ly *albus* accipitur pro pariete, & semper manet inuariata eius significatio. Nec refert si dicas relativum, *qui* semper accipi pro suo significato: sed significatum semper est idem: ergo semper accipitur pro eodẽ Non inquam id refert. Nam licet significatũ relativi semper sit idẽ, non minus tamen non semper habet eandem determinationẽ; vnde accipitur pro diuersis inadæquatè significatis, licet accipiatur pro illis secundum eandẽ rationem referibilitatis.

2 Contra nostram conclusionem obijcies primo. In hac propositione, *quas credis esse has, non sunt veræ nuptiæ* ly *quas* est relativum: & tamen non est rei antelatæ recordatiuum; ergo diffinitio relativi est mala. Minor probat. Nihil præcedit tale relativum; ergo non est rei antelatè recordatiuum. Confirmatur. Ly *qui* solitariè prolatum, est relativum: & tamen non est rei antelatæ recordatiuum; cum nulla res sit antelata, quam recordet; ergo diffinitio relativi est mala. Secundo. Relativum diuersitatis est verè relativum: & tamen non est rei antelatæ recordatiuum; ergo diffinitio est mala. Minor probatur. Relativum diuersitatis accipitur pro alio ab illo, pro quo accipitur suum antecedens; ergo non refert suum antecedẽs, nec est rei antelatæ recordatiuum. Respondet. concessa maiori negando minorẽ. Licet enim antecedens non præcedat materialiter, & quoad loci ordinem, præcedit tamen formaliter, & quoad sensum, quem facit prædicta propositio in constructione grãmaticali, quæ est ista, *non sunt veræ nuptiæ hæ, quas credis.* Ad primam confirmationẽ nego minorem. Ly enim *qui* licet solitariè prolatum nihil actu referat, refert tamẽ aptitudine, & de ratione relativi non est, quod actu referat, sed quod referat aptitudine. Hoc enim sonat nomẽ *relativum*, quod distinguitur ab isto nomine *referens* dicente actũ; verba enim finita in *tiuum* dicunt potentiam, & non actum, vt constabit per omnia illa discurrendo. Ad secundam confirmationem, qua Mantuanus allucinatur, faciliter respondetur cõcedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem concesso antecedenti, distinguo consequens, non refert suum ante-

ce-

cedens in recto, concedo conseq. in obliquo nego cõsequent. nam hæc propositio, *Petrus arguit, & alius respondet* facit hunc sensum, *Petrus arguit, & alius distinctus à Petro respondet*, vbi ly alius refert Petrum saltim in obliquo.

3 Obijcies secundo. In hac propositione, *inuenimus Messiã, quod interpretatur saluator*, ly *quod* est relatiuum: & tamen non est rei antelatæ recordatiuum; ergo diffinitio est mala. Probatur minor. Res antelata est Messias: sed relatiuum, *quod* non refert Messiam; ergo non est rei antelatæ recordatiuum. Respond. concedendo mai. & negãdo min. Antecedens enim illius relatiui non est Messias significatus, sed hæc vox *Messias*, quam refert prædictum relatiuum; quo circa est rei antelatè recordatiuum. Relatiuum enim non semper accipitur pro eodem omnino. Nam multoties antecedens accipitur personaliter, & relatiuum refert ipsum antecedens materialiter sumptum, vt constat in prædicta propositione, & aliquando antecedens accipitur materialiter, & relatiuum refert ipsum antecedens personaliter sumptum; vt contingit in ista propositione, *Iesus interpretatur saluator, per quem saluati, & liberati sumus.* Videantur, quæ diximus in nostra parua Dialectica libro 2. cap. de Relatiuis.

QVÆSTIO II.

Vtrùm diuisiones relatiui assignatæ à sapientissimo Magistro sint rectè traditæ?

1 RElatiuũ, aliud est substantiæ, aliud accidẽtis; rursus, aliud est identitatis, aliud verò diuersitatis; denique aliud est reciprocum, aliud nõ reciprocum, quorum diffinitiones in sapientissimo Magistro possunt videri, & nos, etiam illas tradidimus in nostra parua dialectica; & circa primam diuisionem aduertendum est, relatiuum non dici substantiæ, aut accidentis, quia refert substantiam, vel accidens; sed dicitur relatiuum substantiæ illud, quod refert suum antecedens per modum per se stantis, siue res significata sit substantiæ, siue accidens, siue significetur per terminum absolutum, siue per connotatiuum, dummodo per modum per se stantis significetur. Relatiuum autem accidentis dicitur illud, quod refert suum antecedẽs per modum alteri adiacentis, siue res significata sit substantia, siue accidens, dummodo non significetur per se stantis. Quæ omnia latius explicat sapientissimus Magister in hoc cap. lect. 1. notabili 2. Circa secundam diuisionem aduertendum erit, quod illud dicitur relatiuum identitatis, quod in modo referendi refert

per modum identitatis; & illud dicitur relatiuum diuersitatis, quod in modo referendi importat per se diuersitatem, quæ differentia inter ista relatiua colligitur ex hoc, quod relatiuum identitatis refert suum antecedens in recto, relatiuum vero diuersitatis refert illud in obliquo. Circa tertiam diuisionem similiter notandum est illud relatiuum dici reciprocum, quod taliter regreditur ad suum antecedens, quod sistit in illo, vt ly *idem* ly *ipsemet*, ly *meus*, & ly *tuus*. Relatiuum vero non reciproci est illud, quod licet referat suum antecedens in illo tamen non sistit, sed vltra tranſit, vt ly *qui*, & ly *ille*, & alia similia Quibus suppositis resolutoriè dicendum est prædictas diuisiones relatiui rectè traditas esse à sapientissimo Magistro Soto. Quæ conclusio sua authoritate, & quia illis conueniunt omnes conditiones bonæ diuisionis, & solutione argumentorum probatur, & contra primam.

2 Obijcies primo. Ly *alter* est relatiuum: & tamen nec est relatiuum substantiæ determinatè, nec accidentis; ergo prima diuisio est mala. Minor probatur. Nam in hac propositione, *vnus homo arguit, & alter respondet* ly *alter* est relatiuum substantiæ: & in hac propositione *Augustinus fuit Catholicus, & alter fuit Manichæus* ly *alter* est relatiuum accidentis; ergo ly *alter* determinatè, nec est relatiuum substantiæ, nec accidentis. Respondeo non esse inconueniens, quod secundum diuersas rationes idem relatiuum sit relatiuum substantiæ, & accidentis; sicut idem terminus secundum diuersas rationes potest esse collectiuus, & diuisiuus, vt patet in ly *populus*, qui quatenus significat omnes populos est diuisiuus, & quatenus significat, & appropriatur ad vnã solam ciuitatem est collectiuus. Et non inconuenit ad hoc, quod diuisio sit bona, quod membra diuidentia coincidant in eodem materiali, dummodo rationes formales diuersæ sint; vt contingit in diuisione boni in vtile, honestum, & delectabile.

3 Contra secundam diuisionem obijcies secũdo. In hac propositione, *per hominem redempti sumus per quem eramus captiui*, ly *quem* est relatiuum: & tamen non est identitatis, nec diuersitatis; ergo secunda diuisio est mala. Quod non sit diuersitatis cõstat, & quod non sit identitatis probatur. Nam ad relatiuum identitatis exigitur, quod accipiatur pro eodẽ pro quo accipitur suum antecedens: sed prædictũ relatiuum non accipitur pro eodem, pro quo accipitur suum antecedens, ergo non est relatiuũ identitatis. Minor patet. Nam suum antecedens accipitur pro Christo, & relatiuum pro Adamo; ergo non accipitur pro eodem,

dem, pro quo ſuum antecedens accipitur. Nec valet reſpondere, quod licet prædictum relatiuum non accipiatur pro eodem in individuo, ac accipitur ſuum antecedens, accipitur tamen pro eodem in ſpecie; nam Chriſtus Dominus, & noſter pater Adamus ſunt eiuſdem ſpeciei. Non inquam hoc valet. Nam ex illa ſolutione ſequitur nullum eſſe relatiuum diuerſitatis; conſequens eſt falſum; ergo & antecedens. Sequela probatur. Nam in hac propoſitione, *Petrus arguit, & alter reſpondet*, ly *alter* accipitur pro eodem in ſpecie, pro quo accipitur ſuum antecedens; ergo ſi hoc ſufficit ad relatiuum identitatis, ly *alter* in prædicta propoſitione erit relatiuum identitatis; ac per conſequens nullum habitur relatiuum diuerſitatis. Reſpond. ſolutionem datam eſſe legitimam; & ad replicam negamus ſequelã. Ad probationem diſtinguo maiorem; ly *alter* vel ly *alius* accipitur pro eodẽ in ſpecie per ſe, & ex modo referẽdi, nego maiorem, per accidens, & materialiter concedo maiorem, & minorem, & nego conſeq. Etenim in hac propoſitione, *per hominem redempti ſumus, per quem eramus captiui*, relatiuum per ſe, & ex modo proprio referẽdi refert, idem in ſpecie, & accipitur per ſe pro eodẽ in ſpecie, ac accipitur ſuum antecedens, quod colligitur ex eo quod refert idem in ſpecie in recto, & accipitur pro eodem in ſpecie in recto; vnde illa diuerſitas numerica, quæ inter ſuum antecedens, & id pro quo accipitur relatiuum, inuenitur materialiter, ibi ſe habet; quia relatiuum illam non refert, nec de illa ex modo referendi facit mẽtionem: at verò in iſta propoſitione, *Petrus arguit, & alius reſpõdet ly alius*, licet referat hominẽ eiuſdem ſpeciei, importat tamen ex modo referendi diuerſitatem numericam, quæ inter ſuum antecedens, & id pro quo accipitur relatiuum inuenitur; quod colligitur ex eo quod non refert idem in ſpeciem recto, ſed ſolum in obliquo; vnde illa identitas ſpecifica, quæ inter ſuum antecedens, & id pro quo accipitur relatiuum inuenitur, materialiter ibi ſe habet, & tanquam ſi non eſſet; quia relatiuum ex proprio modo referendi ſolum refert diuerſitatem, & nullam facit mentionem de identitate; quo circa non eſt eadem vtriuſque ratio.

4 Contra vltimam diuiſionem obijcies tertio. Omne relatiuum eſt reciprocum; ergo diuiſio eſt mala. Antecedens probatur. Omne relatiuum facit regreſſionem ſupra ſuum antecedens; ergo omne relatiuum eſt reciprocum. Probatur anteced. Omne relatiuũ eſt ſui antecedentis recordatiuum; ergo omne relatiuum facit regreſſionẽ ſupra ſuum antecedens. Reſpond.

quod relatiuum reciprocũ facit regressionem supra suum antecedens sistendo ibi; vnde in diffinitione relatiui reciproci, facere regressionem accipitur restrictè pro regressione sistente in antecedenti; at vero alia relatiua, licet supra suum antecedens faciant, quandam regressionẽ largè sumptam non tamen faciunt regressionem strictè acceptã; quia non sistunt in suo antecedenti, sed vltra transeunt subijciendo se ad aliud prædicatum; vt constat in relatiuo huius propositionis, *Petrus qui currit est albus*; quamobrem non omne relatiuum est reciprocum.

QVÆSTIO III.

Quomodo sit resoluendum relatiuum qui?

1 QVando relatiuũ, *qui* ponitur in altera cathegorica, vt si dicas, *Petrus disputat, qui loquitur* facilis est resolutionis ponẽdo ly *ille* loco relatiui, vt si dicas, *Petrus disputat, & ille loquitur*. Vade tota difficultas reducitur ad relatiuum *qui*, quando ponitur cum copula implicationis, & efficitur pars extremi, & redditur vna propositio formaliter cathegorica, licet virtualiter sit hypothetica, & hoc modo quadruplicitèr potest poni; primo in propositione affirmatiua, in qua vtraque copula affirmatur, vt in ista propositione, *Petrus qui currit disputat*. Secundò, potest collocari in propositione negatiua contradictoria præcedẽtis propositionis, quæ habeat copulã minus principalè affirmatã, & magis principalẽ negatã, vt hæc, *Petrus qui curret nõ disputat*. Tertiò, potest poni in propositione affirmatiua, in qua copula implicationis negetur, & principalis affirmetur, vt ista, *Petrus qui non currit disputat*. Denique potest collocari in propositione contradictoria præcedentis propositionis, quæ habeat vtramque copulam negatam, vt hæc propositio, *Petrus qui non currit non disputat*. Hoc supposito resolutoriè dico primo. Prima propositio resoluitur per duas cathegoricas, in quarũ prima prædicatũ affirmatur de subiecto per copulam principalem, & in secunda copula implicationis affirmatur de relatiuo *ille*, vt hæc propositio, *Petrus qui currit disputat*, resoluitur hoc modo, *Petrus disputat, & ille currit*. Dico secundo. Secunda propositio resoluitur per duas cathegoricas, in quarum prima prædicatum per copulam principalem negatur de subiecto, & in secunda copula implicationis, etiam negetur de relatiuo *ille*; vt si dicas, *Petrus qui currit, non disputat*; ergo *Petrus non disputat, vel ille non currit*. Dico tertio. Propositio tertia resoluitur per duas cathegoricas, in quarum prima prædicatum affirmatur de subiecto, & in secunda copula implicationis negatur de

de relatiuo *ille*, dicendo *Petrus, qui non currit disputat*; ergo *Petrus disputat, & ille non currit*. Dico vltimo. Vltima propositio resolui tur per duas catheg oricas, in quarũ prima prædicatũ negatur de subiecto, & in secunda copula implicationis affirmatur de relatiuo *ille*, vt si dicas, *Petrus qui non currit non disputat*; ergo *Petrus non disputat, vel ille currit*. Denique asserendum est omnes istas resolutiones esse bonas. Hæc cõclusio prob. breuiter. Nã omnes istæ prædictæ propositiones mutuo se inferunt; ergo sunt resoluentes, & resolubiles.

2 Obijcies primo. Contra primam conclusionem. Hæc est mala cõsequentia, *Petrus qui currit mouetur; ergo Petrus mouetur, & ille currit*, & similiter ista est mala, *Petrus qui est albus est coloratus; ergo Petrus est coloratus, & ille est albus*. Prob. antec. In prædictis cõsequentijs antecedens est necessarium, & consequens est contingens; ergo sunt malæ cõsequentiæ. Antec. pro secunda parte est certum, & pro prima probatur. Illud antecedens primum æquiualet huic propositioni, *Petrus currens mouetur*, & secundũ antecedẽs æquiualet huic propositioni. *Petrus albus est coloratus*. Sed istæ propositiones sunt necessariæ, & essentiales; siquidẽ prædicatum est de essentia subiecti; ergo in prædictis propositionibus antecedens est necessariũ. Confirm. Hæc est mala consequentia, *hic homo, qui currit disputat, & sic de singulis; ergo hic homo disputat, & ille currit, & sic de singulis*, ergo prima conclusio est falsa. Probatur antec. Casu quo omnis homo disputet, & aliqui currant, antecedens est verum, & consequens falsum. Confirmat. 2. Quando relatiuum *qui* ponitur à parte prædicati, non est immediatè resolubile; ergo similiter quando ponitur à parte subiecti non erit immediatè resolubile. Probatur anteced. Hæc est mala consequentia *Petrus est omne animal, quod disputat*; ergo *Petrus est omne animal, & illud disputat*. Probatur anteced. Nam casu in quo solus Petrus modo disputet, antecedens est verum, & consequens falsum. Respond. negando anteced. Ad probationem, nego anteced. Etenim hæc propositio, *Petrus qui currit mouetur*, non æquiualet huic propositioni, *Petrus currens mouetur*. Nam prima propositio est contingens, eo quod in illa importatur existentia exercita ex parte subiecti: & existentia exercita soli Deo est necessaria: at verò secunda propositio, quia non importat existentiam exercitã, & prædicatum, necessariò connectitur cum subiecto est necessaria; vnde prædictæ propositiones non sunt æquipollentes, nec antecedens in prædictis consequentijs est necessarium. Recolantur, quæ diximus agentes de propositionibus, in quibus ver-

bum absoluitur à tempore. Ad primum confirmationem, nego anteced. Ad probationem concedo anteced. & nego conseq. Ratio est. Nam quando additur illa particula, *& sic de singulis*, diuersimodè distribuit in antecedēti, ac in consequēti; quia in antecedenti distribuit pro solum disputantibus currentibus; in consequenti verò distribuit pro omnibus disputantibus, siue currāt, siue non currant: & cum omnes singulares æquiualeant vniuersali, prædicta cōsequentia facit hūc sensum *omnis homo, qui currit disputat; ergo omnis homo disputat, & ille currit*, quæ est mala consequentia per sextam regulā ampliationis, quia arguitur à restricto ad non restrictum cum distributione non restricti. Ad secundam confirmationem distinguo an ec si relatiuum dependeat ab aliqua vniuersalitate, concedo anteced. si non dependeat ab aliqua vniuersalitate, nego antec. & consequent. Ideò enim illa propositio, *Petrus est omne animal, quod disputat*, non est immediatè resolubilis ratione relatiui; quia resolutio relatiui pendet ab illa vniuersalitate, *omne animal*. Nostra autē doctrina tradita in omnibus conclusionibus solum intelligitur de propositionibus singularibus, in quibus relatiuum non dependet ab aliqua vniuersalitate.

3 Obijcies 2. contra secundā conclusionē. Hæc consequentia est mala, *Petrus qui currit non disputat; ergo Petrus non disputat, vel ille non currit*; ergo secunda conclusio est falsa. Prob anteced. In antecedenti copula implicationis affirmatur, & in consequenti negatur; ergo prædicta consequentia est mala; ac per consequens non potest esse resoluens antecedentis. Patet consequentia. Propositio enim resoluēs debet explicare sensum resolubilis: sed propositio negatiua malè potest explicare sensum affirmatiuæ; ergo si in cōsequenti copula implicationis negatur, & in antecedenti affirmatur; consequens non potest esse resoluens antecedentis. Ad hoc argumentum relicta aliquorum solutione respōdetur. Ideo prædictam propositionem exponi per duas negatiuas; quia cū exponatur disiunctiuè, necessum est, quod secūda exponens sit negatiua: quia si esset affirmatiua, exigeret ad sui veritatē, quod Petrus curreret, quod non exigebat in resolubili, in qua cum esset pars propositionis negatiuæ, potius per hoc, quod Petrus non curreret, ædificabat veritatē resolubilis; nā reddebat illā negatiuā de subiecto non supponente: vnde si secūda exponēs non esset negatiua, non bene explicaret sensum resolubilis. Insuper est alia ratio, quæ ex præcedēti doctrina deducitur. Nā quādo propositio resolubilis resoluitur disiunctiuè resoluentes, non explicant sensuum partium resolubi-

bilis, sed sensum totius resolubilis: vnde licet copula implicationis sit affirmata in resolubili, nõ debet in resoluenti affirmari; eo quod cum sit pars propositionis negatiuæ, quæ per non suppositionē extremorũ verificatur, necessariũ est, quod resoluentes sint negatiuæ, vt hic explicetur sensus resolubilis; quo circa licet in resolubili copula implicationis sit affirmata, quia tamen non est affirmata in ordine ad copulam principalē affirmatã, sed in ordine ad copulã principalē negatã, ideo in resoluenti debet negari.

4 Obijcies vlt. contra vltimã conclusionem. Hæc propositio, *Petrus qui non currit non disputat*, non benè resoluitur per istam propositionem, *Petrus non disputat vel ille currit*; ergo vltima cõclusio est falsa. Probatur ant. In resolubili copula implicationis negatur, & in resoluenti affirmatur; ergo propẽdicta propositio, non benè resoluitur per istam propositionem, *Petrus non disputat vel ille currit*. Probat. conseq. eadem probatione, qua probata fuit in præcedenti argumento. Respondet. negando antec. Ad probationem concesso antecedenti, nego conseq. Etenim cum resolubilis sit propositio virtualiter disiunctiua exigens ad sui veritatem solam veritatē vnius partis, vt hoc explicetur in resoluenti, debet vna pars negari, & altera affirmari, vt cognoscatur, quod resolubilis potest verificari, vel per hoc, quod Petrus non currat, & disputet, vel per hoc, quod quauis Petrus currat, dummodo non disputet, potest prædicta propositio verificari; vnde resoluens, quamuis habeat copulam implicationis affirmatam, non magis petit ad sui veritatem quàm resolubilis, cum sit disiunctiua, & ad veritatem disiunctiuæ veritas vnius partis sufficiat. Insuper est alia ratio, quæ mihi magis manifesta videtur. Nam cum resolubilis sit cõtradictoria tertiæ propositionis habentis copulam implicationis negatam, vt contradictio hæc, resolubilis cum tertia propositione, scilicet, cum hac, *Petrus qui non currit disputat* explicetur in resoluenti debet copula implicatis affirmari. Ex qua doctrina aliam solutionem ad secundum argumentum si vis poteris deducere.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm relatiuum in omnibus propositionibus de subiecto communi sit immediatè resolubile?

1 RElatiuum in omnibus propositionibus de subiecto singulari, in quibus non inuenitur dependentia ab aliqua vniuersalitate est immediatè resolubile; vnde tota difficultas deuolbitur ad propositiones de subiecto cõmuni habẽtes relatiũ qui, an omnes illæ possunt immediatè & ante ascensum, vel descensum resolui.

In

in qua parte resolutoria dico primo. Propositio particularis affirmatiua potest immediatè resolui ratione relatiui. Prob. hæc cõclusio. Nam benè valet *homo, qui currit disputat; ergo homo disputat, & ille currit*, ergo propositio particularis affirmatiua est immediatè resolubilis ratione relatiui. Patet consequentia & antec. prob. Nam argumentamur à restricto ad nõ restrictũ affirmatiuè, sine distributione non restricti per quartã regulam restrictionis; ergo benè valet *homo qui currit disputat; ergo homo disputat, & ille currit*. Similiter è conuerso, etiam valet benè, *homo disputat, & ille currit; ergo homo qui currit disputat*; siquidem argumentamur, quasi à copulatiua ad partem. Pariformiter benè valet, *homo, qui non currit disputat, ergo homo disputat, & ille non currit*, è conuerso etiã benè valet per eosdem locos arguendi; ergo propositio particularis affirmatiua est immediatè resolubilis ratione relatiui, siue copula implicationis ponatur à parte subiecti, vt in prædictis propositionibus, siue à parte prædicati, vt in hac propositione *homo est animal quod currit*, quæ immediatè resoluitur in istam, *homo est animal & illud currit*, per quartã regulam restrictionis, & etiam benè valet è conuerso per locum arguendi, quasi à copulatiua ad partem. Aduertendũ tamen erit, quod quando prædicatũ propositionis particularis affirmatiuæ distribuitur, tunc non est immediatè resolubilis ratione relatiui, eo quod non valet consequentia à resolubili ad resoluẽtes; nam non benè sequitur *homo est omne animal, quod currit ergo homo est omne animal, & illud currit*, eo quod arguitur à restricto ad non restrictum cum distributione non restricti, & inflatur casu quo vnus homo solum currat, & non detur aliud currens, sed ipse sit omne currens; tunc enim antecedens verum est, & consequens est falsum.

2 Dico secundo. Propositio particularis negatiua non est immediatè resolubilis ratione relatiui, sed prius debet resolui eius subiectum in singulares, & postea quælibet singularis potest immediatè resolui ratione relatiui. Probatur hæc cõclusio. Vt aliqua propositio sit immediatè resolubilis, requiritur, quod ab illa ad resoluentes, & à resoluentibus ad illã sit mutua consequentia: sed licet à propositione particulari negatiua ad suas resoluẽtes valeat cõsequentia, non tamen valet à suis resoluentibus ad ipsam: ergo propositio particularis negatiua nõ est immediatè resolubilis ratione relatiui. Maior est certa. Minor vero prob. Nam licet benè valeat *homo qui currit non disputat: ergo homo non disputat vel nõ ille currit* per secundam regulam restrictionis à restricto ad non restrictum negatiuè, sine distributione non restricti, & cũ constan-

tia

tia virtuali restricti: econuerso tamen non benè valet, *homo non disputat, vel non ille currit*; ergo *homo, qui currit non disputat*; eo quod argumentamur à non restricto ad restrictum, sine distributione non restricti per quintam regulam restrictionis. Similiter licèt bonè valeat, *homo qui non currit non disputat*; ergo *homo non disputat, vel ille currit*, per secundam regulam restrictionis cum constantia virtuali: tamen è conuerso non valet, *homo non disputat, vel ille currit*; ergo *homo qui non currit non disputat*; quia arguitur à non restricto ad restrictum, sine distributione non restricti per quintam regulam restrictionis, & instatur si sint duo homines, & ambo disputent, & vnus solus currat, in quo casu antecedens est verum, & consequēs falsum; cum eius contradictoria, quæ est hæc, *omnis homo, qui currit disputat* sit vera.

3 Dicotertio. Propositio vniuersalis affirmatiua non est immediatè resolubilis ratione relatiui, sed prius debet resolui ratione subiecti in suas singulares. Prob. hæc conclusio à propositione vniuersali affirmatiua ad suas resoluentes, & à suis resoluentibus ad ipsam nunquam est mutua consequentia; ergo nulla propositio vniuersalis affirmatiua est immediatè resolubilis ratione relatiui Conseq. est euidēs, antecedens verò prob. Etenim quando copula implicationis propositionis vniuersalis affirmatiuæ efficitur pars subiecti; licet valeat consequentia à resoluentibus ad resolubilem, non tamen valet à resolubili ad resoluentes; non enim valet *omnis homo, qui currit disputat*; ergo *omnis homo disputat, & ille currit*: arguitur enim à restricto ad non restrictum cum distributione non restricti per sextam regulam restrictionis. Similiter quando copula implicationis negatur non est bona consequentia à resolubili ad resoluentes; non enim benè valet, *omnis homo, qui non currit disputat*; ergo *omnis homo disputat, & non ille currit*. Quando autem copula implicationis ponitur à parte prædicati, & relatiuum refert prædicatum distributum, licèt valeat à resolubili ad resoluentes, non tamen valet à resoluentibus ad resolubilem, vt benè valet, *omnis homo est animal quod currit*; ergo *omnis homo est animal, & illud currit*, à restricto ad non restrictum affirmatiuè, sine distributione non restricti per quartam regulam restrictionis. E conuerso autem non valet, *omnis homo est animal, & illud currit*; ergo *omnis homo est animal, quod currit*: quia arguitur à non restricto ad restrictū, sine distributione non restricti ex parte prædicati per quintam regulam restrictionis. Si verò relatiuum ponatur à parte prædicati referens prædicatum distributū valet à resoluentibus ad resolubi-

bilem: non tamen à resolubili ad resoluentes; vt benè valet, *omnis homo est omne animal, & illud currit*; ergo *omnis homo est omne animal, quod currit*, non tamen benè valet, *omnis homo est omne animal, quod currit*; ergo *omnis homo est omne animal, & illud currit*; defectus enim est à restricto ad non restrictum cum distributione non restricti ex parte de ly *animal* per sextam regulam restrictionis. Et instatur si tantum sit vnus homo, & currat, & sint alia animalia non currentia; in hoc enim casu antecedens est verum, & consequens falsum.

4 Dico vlt. Propositio vniuersalis negatiua est immediatè resolubilis ratione relatiui. Hæc conclusio intelligitur cum duabus limitationibus; prima est quod relatiuum in resoluentibus debet manere distributum; aliàs non valebit à resoluentibus ad resolubilem. Secunda limitatio est, quod prædicatum in resolubili non debet esse distributum. Hoc supposito prob. conclusio. Benè valet *nullus homo, qui currit disputat*; ergo *nullus homo disputat, vel non ille currit*, & similiter benè valet *nullus homo disputat, vel non ille currit*; ergo *nullus homo qui currit disputat*; eo quod arguitur virtualiter à parte disiunctiuæ ad totam, quando fit argumentum à resolubili ad resoluentes, vt in prima conseq. Nam illa secunda pars consequē-

tis *non ille currit* cum relatiuum *ille* referat restrictè facit hunc sensum, *non ille qui disputat currit*, quæ propositio conuertitur simpliciter in istam, *nullus homo, qui currit disputat*. Si autem ly *ille* nō refert restrictè est mala consequentia, & instatur casu, quo aliqui homines disputent, & alij currant. Similiter etiam hæc est bona consequentia, *nullus homo est animal, quod est irrationale*; ergo *nullus homo est animal, vel illud est irrationale*: arguitur enim, quasi à parte disiunctiuæ ad totam; nam illa secunda pars consequentis, *vel non illud est irrationale*, æquialet antecedenti, & facit hunc sensum, *vel non illud animal, quod est homo est irrationale*, ex quo infertur; *ergo nullus homo est animal, quod est irrationale*; è conuerso à resoluentibus ad resolubilem, etiam benè valet per tertiam regulam restrictionis à non restricto ad restrictum cum distributione non restricti; ac per consequens propositio vniuersalis negatiua est immediatè resolubilis ratione relatiui. Prima limitatio posita in conclusione probatur. Nam hæc est mala conseq. *nullus homo disputat, vel ille non currit*; ergo *nullus homo, qui currit disputat*, defectus est à non distributo ad distributum ex parte relatiui; & instatur casu, quo sint Petrus & Paulus disputantes, & Petrus currat, Paulus vero non currat; tunc enim antecedens est verum, cum

sit

sit vna disiunctiua, cuius secunda pars est vera: consequens autem est falsum; nam falsificatur pro Petro currente, & disputante; ac per consequens in resoluentibus propositionis vniuersalis negatiuæ semper relatiuum debet distribui dicendo, *vel non ille*. Secũda limitatio prob. Nam non benè valet, *nullus homo est omne animal, vel non illud currit, ergo nullus homo est omne animal, quod currit*; defectus enim est à non restricto ad restrictum, sine distributione non restrictiex parte prædicati per quintam regulam restrictionis, & instatur, si tantum sit vnus homo currens, & sint alia animalia non currentia; ac per consequens, vt propositio vniuersalis negatiua sit immediatè resolubilis ratione relatiui prædicarum non debet in illa distribui.

5 Contra primam conclusionem obijcies primo. Hæc est mala conseq. *homo disputat, & ille currit; ergo homo qui currit disputat*; ergo prima conclusio est falsa. Prob. ant. arguitur enim in tali consequentia à nõ restricto ad restrictum affirmatiuè, sine distributione non restricti, & sine constantia contra primam regulam restrictionis; ergo est mala conseq. Respõd. quod resarcitur defectus per aliam regulam vniuersaliorem, nimirum, quia arguitur à copulatiua ad partem. Vel secundo, & forsam melius respondetur negando, quod arguatur contra primam regulam. Nam in antecedenti est æqua restrictio, in secunda resoluenti, ac in consequenti; & ita arguitur ab æquè restricto ad æquè restrictum. Obijcies secundo, contra secundam conclusionem. Hæc est mala cõseq. *aliquis homo qui currit non disputat; ergo aliquis homo non disputat, vel non ille currit*; ergo à propositione particulari negatiua ad suas resoluentes non valet consequentia. Probatur antec. In prædicta enim consequentia arguitur à restricto ad non restrictum, sine constantia restricti negatiuè cõtra secũdam regulam restrictionis; ergo est mala consequentia. Respondetur negando anteced. Ponitur enim constantia restricti virtualiter. Dupliciter enim potest poni constantia virtualiter, vno modo ponitur, quando ex antecedenti infertur constantia ponenda; & alio modo, quãdo in consequenti infertur disiunctiuè contradictoria, vel sub contraria constantiæ ponendæ; nam tunc, cum duæ contradictoriæ, & duæ sub contrariæ repugnent in falsitate, si consequens est falsum, necessum est, quod vtraque pars illius sit falsa; cum sit vna propositio disiunctiua: ac per consequens cõtradictoria, vel sub contraria constantiæ ponendæ erit falsa, vnde constantia ponẽda erit vera, & sic non dabitur ex defectu constantiæ antecedens verum,

&

& consequens falsum. Quæ doctrina valdè notanda est, & memoriæ mandanda, cùm igitur in prædicta consequentia inferatur disiunctiuè contradictoria constantiæ ponendæ, quæ erat ista, *& homo currens est*: hinc fit, quod ponitur constantia virtualiter. Hic aduertendum erit, quod argumentari à non distributo ad distributum non est defectus, quando consequens est propositio disiunctiua; nam benè valet, *homo albus non currit*; ergo *homo non currit, vel nullus homo albus est*: & tamen arguitur à non distributo ad distributum ex parte subiecti.

6 Obiic. 3. contra tertiam conclusionem. In propositione vniuersali affirmatiua benè valet à resolubili ad resoluentes; ergo conclusio est falsa. Probat. antec. *Benè valet, omnis homo, qui currit disputat*; ergo *hic homo, qui currit disputat, & sic de singulis*; rursus benè sequitur *hic homo qui currit disputat, & sic de singulis*; ergo *hic homo disputat, & ille currit, & sic de singulis*: tandem benè valet, *hic homo disputat, & ille currit, & sic de singulis*; ergo *omnis homo disputat, & ille currit*; ac per consequens de primo ad vltimum benè valebit; *omnis homo, qui currit disputat*; ergo *omnis homo disputat, & ille currit*. Resp. neg. antec. ad probat. cõ. primam conseq. & nego secundam; nam arguitur virtualiter à restricto ad non restrictum cum distributione non restricti, eo quod istæ singulares, *hic homo qui currit disputat*, & sic de singulis æquiualent huic vniuersali, *omnis homo, qui currit disputat*, istæ autem *hic homo disputat, & ille currit, & sic de singulis*, æquiualent huic vniuersali, *omnis homo disputat, & ille currit*; vndè arguitur à restricto ad non restrictum cum distributione non restricti. Obijcies vltimo contra vltimam conclusionem. Hæc est mala consequentia; *nullus homo, qui currit disputat*; ergo *nullus homo disputat, vel non ille currit*; ergo propositio vniuersalis negatiua non est immediatè resolubilis ratione relatiui. Prob. anteced. In prædicta enim consequẽtia arguitur à restricto ad non restrictum cum distributione nõ restricti; ergo est mala conseq. Respondent aliqui, quòd talis defectus resarcitur per aliam regulam superiorem, nempè quia arguitur à parte disiunctiuè ad totam. Sed contra est. Nam iste defectus arguendi cum distributione non restricti est defectus intrinsecus; ergo per nullam regulam potest reparari. Resp. solutionem datam esse legitimam; & ad replicam nego antec. Ille enim defectus non est intrinsecus, & fortior regula arguendi à parte disiunctiuæ ad totam. Vel secundo dicatur, prædictam consequentiam talem defectum non habere. Nam antecedens, & cõsequens sunt æqualis restrictionis;

nis; ſicut arguendo ex oppoſito ad oppoſitũ antecedens, & conſequens habent æqualem reſtrictionem; vt diximus in ſolutione ad primum argumentum.

QVÆSTIO V.

Vtrùm relatiuum non reciprocum in omnibus propoſitionibus referat reſtrictè.

1 RElatiuum referre reſtrictè nihil aliud eſt, quàm referre illud ſuppoſitum pro quo verificatur ſuum antecedens in prima cathegorica; vt ſi dicas, *homo currit, & ille diſputat*, ly *ille* refert hominem currentem, & non abſolutè. Hoc ſuppoſito reſolutoriè dico primo. In propoſitionibus affirmatiuis copulatiuis de ſubiecto communi, & in earum contradictorijs diſiũctiuis negatiuis relatiuum nõ reciprocum refert reſtrictè ſuum antecedens. Hæc concluſio prob. Propoſitio copulatiua copulat ſenſum, & facit, quod antecedẽs, & relatiuum verificentur de eodem; ergo prima pars concluſionis eſt vera. ſecunda pars concluſionis prob. Nam in cõtradictorijs debet ſeruari eadẽ reſtrictio; ergo ſi in propoſitionibus copulatiuis affirmatiuis de ſubiecto communi relatiuum nõ reciprocum refert reſtrictè, etiam in diſiunctiuis negatiuis earum contradictorijs debet reſtrictè referre. Hic erit aduertendum, quod in diſiunctiuis negatiuis, relatiuũ non refert reſtrictè antecedens primæ cathegoricæ propoſitionis diſiunctiuæ; ſed antecedens primæ cathegoricæ propoſitionis copulatiuæ; ſicut in hac propoſitione, *nullus homo diſputat, vẽl non ille currit* ly *ille* non fert homines nõ diſputantes, ſed homines diſputantes, ſicut refert in copulatiua affirmatiua, ſcilicet, in hac, *homo diſputat, & ille currit*; nam ſi referret homines non diſputantes non conſtarent contradictoriæ ex eiſdem extremis; cum relatiuum in vtraque contradictoria nõ referret idem antecedens. Dico 2. In propoſitionibus diſiunctiuis affirmatiuis de ſubiecto communi, & in earum contradictorijs copulatiuis negatiuis relatiuum non reciprocum poſitum in vna cathegorica, nõ refert reſtrictè, ſed abſolutè antecedens alterius cathegoricæ; vt in his propoſitionibus *homo diſputat vel ille currit, nullus homo diſputat, & non ille currit.* Prima pars concluſionis prob. Propoſitio diſiunctiua diſiungit ſenſum vnius cathegoricæ aſſenſu alterius cathegoricæ, & ita facit, quod relatiuum non verificetur, nec ſtet pro eodem pro quo in prima cathegorica ſuum antecedens verificatur. Secunda pars concluſionis eiſdem probationibus probabitur, quibus probata remanet ſecunda pars præcedẽtis concluſionis.

2 Dico tertio. In propoſitionibus copulatiuis affirmatiuis de ſub-

subiecto singulari, & in earum contradictorijs, licèt relatiuum referat restrictè ex vi terminorum, tamen quoad veritatē, vel falsitatem propositionis, nihil refert, quod relatiuum referat restrictè, vel absolutè: secus autem contingit in propositionibus disiunctiuis affirmatiuis de subiecto singulari; & in earum contradictorijs copulatiuis negatiuis. Prima pars conclusionis eadem ratione, qua probauimus primam conclusionem prob. Secunda verò prob. Nam propositio disiunctiua ad sui veritatem solum petit veritatem vnius partis; sicut hæc propositio, *Petrus disputat, vel ille currit*, solum petit ad sui veritatem vnam partem veram; ergo si Petrus non disputet, & currat, hæc propositio, *Petrus disputat, vel ille currit* est falsa relatiuo referente restrictè; cum prima pars sit falsa, & secunda etiam sit falsa, quia est affirmatiua de subiecto non supponente; si autem relatiuum referat absolutè, prædicta propositio est vera; ergo in disiunctiuis affirmatiuis, & in earum contradictorijs relatiuum non reciprocum, non refert restrictè suū antecedens in propositionibus de subiecto singulari; ac per consequens in propositionibus disiunctiuis affirmatiuis de subiecto singulari relatiuum referre restrictè, vel absolutè, multum conducit ad veritatem propositionis; quamuis in copulatiuis affirmatiuis, quod referat restrictè, vel absolutè, nihil conducat ad veritatem propositionis. Hic aduertendum est, quod etiam in propositionibus copulatiuis virtualiter, relatiuum refert restrictè, si sint affirmatiuæ, secus verò in propositionibus disiunctiuis affirmatiuis. Similiter aduertendum erit relatiuum diuersitatis etiam referre restrictè in copulatiuis affirmatiuis, & in earum contradictorijs disiunctiuis negatiuis; secus verò contingere in disiunctiuis affirmatiuis, & copulatiuis negatiuis earum cōtradictorijs. Quod patet. Nam in hac propositione, *vnus homo arguit, & alius respondet* ly *alius* refert hominem arguentem; eo quod facit istum sensum, *& alius ab illo, qui arguit respondet.* Nec refert si dicas, relatiuum referre restrictè est, quod verificetur pro eodem supposito, pro quo verificatur suum antecedens, sed relatiuum diuersitatis non verificatur pro eodem supposito, pro quo suum antecedens; ergo non refert restrictè. Non inquam hoc refert. Nam referre restrictè est, quod relatiuum verificetur pro eodem supposito, pro quo suum antecedens verificatur, vel quod connotet idem suppositum pro quo suum antecedens accipitur: & licèt primum relatiuo alietatis non conueniat, competit tamen secundum; quo circa refert restrictè.

3 Contra primam conclusionem

nem obijcies primo. In hac propositione, *omnis homo disputat, & ille currit* ly *ille* non refert restrictè: & tamē prædicta propositio est copulatiua affirmatiua; ergo prima conclusio est falsa. Maior probatur. Ideò enim hæc consequentia est mala, *omnis homo qui currit disputat; ergo omnis homo disputat, & ille currit*; quia arguitur à restricto ad non restrictum cum distributione non restricti; ergo ly *ille* in consequenti non refert restrictè; aliàs talis defectus non committeretur. Confirmatur. In hac propositione, *per hominem redempti sumus, per quem eramus captiui*, ly *quem* non refert restrictè: & tamen est propositio copulatiua virtualiter; ergo conclusio est falsa. Maior probatur. Referre restrictè est, quod relatiuum verificetur in sua cathegorica pro eodem supposito pro quo verificatur suum antecedens in altera cathegorica: sed prædictum relatiuum in prafata propositione non verificatur pro eodem supposito, pro quo verificatur suum antecedens; ergo non refert restrictè. Respondetur negando maiorem. Ad probationem, nego sequelam; nam quamuis relatiuum referat restrictè, adhuc arguitur à restricto ad non restrictum; eo quod relatiuum in consequenti solum refert restrictè pro vno; cū supponat determinatè, in antecedenti vero subiectum fiat restrictè pro omni suo supposito distributiuè; quo circa semper arguitur à restricto ad non restrictum cum distributione non restricti. Ad confirmationem dicatur prædictam propositionē esse de licentioso modo loquendi. Et nostra conclusio solum intelligitur de propositionibus copulatiuis, affirmatiuis formaliter, vel virtualiter, quæ non sunt de licentioso modo loquendi, sed de modo loquendi vsitato. Vel secundo dicatur relatiuum in prædicta propositione accipi pro eodem, pro quo accipitur suum antecedens; nam suum antecedens supponit, quasi simpliciter; eo quod sub illo non est licitum syllogicare; vnde quasi accipitur pro specie hominis, pro qua etiam relatiuum accipitur; quo circa refert restrictè restrictione, quam potest habere in prædicta propositione.

4 Obijcies secundo. In hac propositione, *homo disputat & ille currit*, relatiuum *ille* non refert restrictè; ergo conclusio est falsa. Probatur antecedens. Refert subiectum primæ cathegoricæ: sed illud non fiat restrictè pro homine disputante; ergo nō refert restrictè hominem disputantem. Minor constat. Nam in hac propositione, *homo disputat* subiectum fiat, & supponit pro omni homine. Confirmat. In hac propositione, *homo currit, & ille est species*, relatiuum *ille* nō ref

restrictè; ergo conclusio est falsa. Probatur antecedens. Si referret restrictè, prædicta propositio esset falsa: sed est vera; ergo non refert restrictè. Minor probatur. Loco relatiui licet ponere suum antecedens dicendo, *homo currit, & homo est species*: sed si ponatur suum antecedens loco relatiui, propositio est vera; siquidem est vna copulatiua, cuius vtraque pars est vera; ergo prædicta propositio erit vera. Respond. negando anteced. Ad probationem cōcessa maiori distinguo minorem, quoad suppositionem, concedo minorem, quoad verificationem, nego minorem, & cōsequ. licet enim subiectum prædictæ propositionis supponat pro omni homine: tamen solum potest verificari pro homine disputāte: & relatiuum referre restrictè non est referre antecedēs pro omni illo pro quo supponit sed est referre antecedens pro eo, pro quo suum antecedēs verificatur: & cum in prædicta propositione relatiuū, hoc modo referat: hinc prouenit, quod restrictè, & non absolutè refert. Ad confirmationem, nego antecedens. Ad probationē, concedo maiorem & nego minorem. Ad probationē dicatur, quod loco relatiui, licet ponere suum antecedēs cum eadem habitudine, quam habebat ipsum relatiuum, non verò sine habitudine, quam habebat relatiuū, si ponatur antecedens loco relatiui, cum eadem habitudine relatiui, propositio in qua ponitur antecedens loco relatiui, est falsa, nam facit hunc sensum homo currit, & homo currens est species, quod quidem est falsissimum.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm loco relatiui reciproci liceat ponere suum antecedens?

1 LOco relatiui non reciproci idētitatis semper est licitum ponere suum antecedens, aut absolutè sumptū, aut restrictè acceptum, secundū doctrinam in cōclusionibus quæstionis præcedentis traditam: cauendum tamen est, ne cum descenditur sub antecedenti relatiui non reciproci, simul descendatur sub relatiuo non reciproco, & vt obietur huic errori in singularibus antecedentis, exprimendum est ipsum relatiuum cum suo antecedenti communiter supponēti dicendo hoc modo, *aliquis homo est, & quilibet homo est ille homo, qui est*, ita vt ly *ille* in cōsequēti non referat Petrum singularem, sed hominem communiter supponentem, quæ doctrina est sapientissimi Magistri Soto, capitulo sequenti de Inductione, lect. 2 notabili 7. Quo supposito reducitur difficultas ad reciproca relatiua, an loco relatiui reciproci liceat ponere suum antecedens; in qua parte resolutoriè dico primo. Loco relatiui re-

reciproci, quod est totale extremum propositionis affirmatiuæ, si distribuatur relatiuum in illa, licet ponere suum antecedens supponens confusè tantum; & in negatiua propositione, siue determinatè, siue distributiuè supponat, licitum est ponere suum antecedens distributum. Hæc conclusio est ad litteram nostri sapientissimi Magistri loco proximè citato, & probatur illius ratione. Nam istæ propositiones, *omnis homo ipsemet*, *omnis homo est homo*, sunt æquipollentes, & ab vna ad alteram est mutua cõsequentia; ergo prima pars conclusionis est vera. Secunda pars conclusionis probatur. Hæc propositio *homo non est ipsemet* æquiualet huic propositioni, *homo nõ est homo*, & hæc *nullus homo est ipsemet* æquipollet huic *nullus homo est homo*. Et ab vna ad alteram est mutua consequentia; ergo secunda pars conclusionis etiam est vera. Dico secundo. Loco relatiui reciproci, siue primitiuæ speciei, siue deriuatiuæ speciei, quod non est totale extremum in propositione, non licet ponere suum antecedens, quoad vsque singularicetur in suas singulares. Hæc conclusio etiam est ad litteram nostri sapientissimi Magistri loco proximè citato; & antequam probetur, aduertendum erit, quid sit relatiuum reciprocum esse totale extremum in propositione? Ad quod breuiter dico, quod tunc relatiuum reciprocum est totale extremũ, quando non est aliud prædicatum, nisi ipsum relatiuum: & cum verba adiectiua importent semper participium inclusum, semper quod relatiuum reciprocum ponitur cum verbo adiectiuo, non erit totale extremum, & semper, quod ponitur cum verbo substantiuo, nimirum cum verbo *sum es fui*, si absque consortio alterius termini ponatur, erit totale extremum. Hoc supposito probatur nostra conclusio. Hæc propositio, *aliquis homo videt se*, & hæc propositio, *aliquis homo videt hominem*, non sunt æquipollentes. Similiter istæ propositiones, *aliquis homo est suus filius*, *aliquis homo est hominis filius*, non sunt æquiualentes; ergo nostra conclusio est vera.

2 Contra primam conclusionem obijcies primo. Hæc est mala consequentia, *homo non est ipsemet*; *ergo homo non est homo*: & tamen loco relatiui reciproci, quod est totale extremum in propositione ponitur suum antecedens; ergo nostra conclusio est falsa. Maior probatur. In prædicta consequentia argumentamur à negatione inferioris, ad negationem superioris; ergo est mala consequentia. Consequentia est euidens. Et antecedens probatur. *Ipsemet* est quid inferius ad hominem; cum *ipsemet* dicat maiorem determinationem, quam homo: sed in præ-

dicta conſequentia argumentamur à negatione ipſiuſmet ad negationem hominis; ergo argumentamur à negatione inferioris ad negationem ſuperioris; ſicut ſi diceremus, *non eſt Petrus; ergo non eſt homo* Reſpondetur negando maiorem. Ad probationem diſtinguo antec. argumentamur à negatione inferioris non relinquentis locum ſuperiori, concedo anteced. relinquentis locum ſuperiori, nego anteced. & conſequent. Quando enim negatio inferioris non relinquit locum ſuperiori, benè valet à negatione inferioris ad negationem ſuperioris: & cum negatio *ipſiuſmet* non relinquat locũ homini ſuperiori; eo quod ſi homo non eſt ipſemet, eſt nihil, ac per conſequens, nec eſt animal, nec eſt homo: hinc prouenit, quod hæc conſequentia ſit bona, *homo non eſt ipſemet; ergo homo non eſt homo.* Nihil enim intimius identificatur cum homine, quam ipſemet; ergo ſi homo non eſt ipſemet, nihil erit; & conſequenter non erit homo. Obiicies ſecundo contra ſecundam concluſionem. Benè valet, *aliquis homo videt ſe; ergo aliquis homo videt hominem*; ſimiliter benè valet, *aliquis homo eſt ſuus filius; ergo aliquis homo eſt hominis filius*; ergo prædictæ propoſitiones ſunt æquipollentes; ac per conſequens ratio probatiua noſtræ concluſionis eſt falſa. Probatur antecedens. Prædictæ conſequentiæ non poſſunt inſtari; ergo ſunt bonæ. Confirmatur. In his propoſitionibus *aliquis homo videt ſe, aliquis homo eſt ſuus filius*, relatiuum reciprocum eſt totale extremum; ergo locoillius licebit ponere ſuum antecedens. Probatur antecedens. In prædictis propoſitionibus non datur aliud prædicatum, niſi relatiuum reciprocum; ergo in prædictis propoſitionibus reciprocum relatiuum erit extremum totale. Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Licet enim prædictæ conſequentiæ ſint bonæ, inde tamen non infertur prædictas propoſitiones eſſe æquipollentes; eo quod mutuo non ſe inferunt; nam licet benè valeat, *aliquis homo videt ſe; ergo aliquis homo videt hominẽ*, non tamen benè valeat è conuerſo, *aliquis homo videt hominẽ; ergo aliquis homo videt ſe* inſtatur enim caſu, in quo aliquis homo alium hominẽ videat, & ſeipſum non aſpiciat. Similiter. Licet benè valeat, *aliquis homo eſt ſuus filius; ergo aliquis homo eſt hominis filius*, è conuerſo tamen nõ valet; *aliquis homo eſt hominis filius; ergo aliquis homo eſt ſuus filius.* Rebus enim, vt nũc inſtatur. Nam aliquis homo eſt filius alicuius hominis: & tamen non eſt filius ſui ipſius; ac proinde prædictæ propoſitiones nõ ſunt æquipollẽtes; eo

eo quod ab vna ad alteram nunquam est mutua consequentia. Ad confirmationem nego antecedens. Ad probationem dicatur, quod in hac propositione, *aliquis homo videt se* ly *se* non est totale prædicatum eo quod prædicta propositio facit hunc sensum, *aliquis homo est videns se*, similiter in hac propositione, *aliquis homo est suus filius*, ly *suus* non est totale extremum; eo quod cum illo ponitur ly *filius*, quo circa in prædictis propositionibus relatiuum reciprocum non est totale extremum.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm inductio sit consequentia formalis?

1 INductio sic diffinitur à sapientissimo Magistro Soto. *Est à singularibus sufficienter enumeratis ad vniuersale progressio.* Quæ diuiditur in ascensum à singularibus ad vniuersale, qui dicitur propriè inductio, & in descensum ab vniuersali ad singularia, qui non ita propriè est inductio. Rursus ascensus, & descensus, etiam diuiditur in ascensum, & descensum copulatiuum, & in ascensum, & descensum disiunctiuum; copulatiuus ascensus, vel descensus fit per istam particulam, & ; disiunctiuus vero fit per istam particulam *vel*; & per ascẽsum probatur veritas, & per descensum manifestatur falsitas. Quæ omnia in nostro sapientissimo Magistro, & in nostra parua dialectica possunt videri. Nos enim pro nunc non tradimus principia, sed illa supponendo difficultates disputamus. Et quidẽ certum est descensum, siue sit copulatiuus, siue disiunctiuus, esse formalem consequentiam, quæ ex vi terminorum, non potest infiari, nec in se, nec in alia similis formæ; eo quod vniuersali existenti vera, quælibet singularis debet esse vera; ergo descensus ab vniuersali ad singularia est formalis consequentia, similiter particulari, vel indiffinita existente vera, aliqua eius singularis debet esse vera, & cum propositio disiunctiua ad sui veritatem solum petat veritatẽ vnius partis: hinc prouenit descensum disiunctiuum à particulari ad singulares esse formalẽ consequentiam. Pariformiter etiã est certum ascensum disiunctiuum esse formalem consequentiã, quæ ex vi terminorum, nec in se, nec in alia similis formæ potest infiari; eo quod aliqua singulari existente vera, necessum est particularem, vel indiffinitam veram esse; cum particularis, vel indiffinita ad sui veritatem solum exigat, quod vna singularis sit vera. Vnde tota difficultas reducitur ad ascensum copulatiuum, an iste sit formalis consequentia. In qua parte est duplex, & vtraque probabilis

sententia. Prima est affirmativa, & secunda negativa; & resolutoriè dicendum est inductionem sumptam pro ascensu copulativo à singularibus ad vniuersale non esse formalem consequent. Hæc conclusio probatur primo. Inductio in vi inductionis non est à singularibus adæquatè numeratis ad vniuersale progressio, sed solum à singularibus ad sensum experimentaliter notis ad vniuersalem propositionem absolutè sumptam processio: sed processus iste non est euidens, & instabilis consequentia; ergo inductio sumpta pro ascensu copulatiuo, non est formalis consequentia. Maior est nostri sapientissimi Magistri, & suadetur hac ratione. Nam inductio non est adæquata, & vniuersalis resolutio: sed adæquata singularium numeratio non distinguitur ab adæquata, & vniuersali resolutione; ergo inductio in vi inductionis non est à singularibus adæquatè numeratis. Tum etiã, nam inductio, sicut quævis argumentatio dialectica debet esse probatiua conclusionis, ac proinde eius antecedens debet esse notius consequenti, & ab illo distinctum: sed si in antecedenti inductionis ponãtur omnia singularia adæquatè numerata, æquè notius est antecedens, ac consequens, à quo non distinguitur in hoc casu antecedens; ergo inductio in vi inductionis non est à singularibus adæquatè numeratis ad vniuersale progressio, sed à singularibus ad sensum experimentaliter notis vniuersalẽ propositionem absolutè cõcludere, vt docet noster sapientissimus Magister in hoc capitulo, lect. 1. notabili 3. argumento 3. Minor verò principalis discursus probatur. Metaphysicè loquendo potest contingere, quod omnibus singularibus nobis experimentaliter notis aliquod prædicatum conueniat, quod tamen alijs singularibus sub vniuersali contentis nobis ignotis non cõpetat; ergo inductio in vi inductionis non est consequentia formalis. Totus discursus est legitimus. Secundo probatur nostra conclusio. Adæquata singularium numeratio est, quasi impossibilis; cum sint quasi infinita singularia; ergo inductio illam adæquatam numerationem nequit exigere; aliàs redderetur instrumentum logicum prorsus inutile; siquidem eius vsus, quasi impossibilis foret: sed si non numerentur adæquatè omnia singularia, non est consequentia formalis; ergo inductio sumpta pro ascensu copulatiuo non est consequentia formalis.

2 Respondebis, non esse necessarium omnia singularia vniuersalis illatæ expresse numerare, sed sufficere tribus, vel quatuor numeratis istam constantiam, *& sic de singulis* superaddere. Sed contra istam solutionem obijcies primo; ergo in omni

ni inductione princip'um petitur, & id quod probare intenditur, necessariò supponitur; ac proinde inductio impertinens, & inutilis erit ad aliquid artificiosè concludendum. Secundo. Illa particula, *& sic de singulis* superaddita reddit æquè ignotum antecedens, ac consequens: sed hoc est contra rationem argumenti probatiui exigentis ex notioribus ad minus nota procedere; ergo illa particula superaddita tollit ab inductione rationem argumenti probatiui, & inutilem ad aliquid concludendum reddit. Tertio. Inductio est argumentum, quod nititur in experientia; ergo numeratio singularium requisita ad inductionem, nequit experientiæ limites excedere; ergo si ponatur prædicta constantia, non debet absolutè poni, quatenus comprehendit omnia singularia, sed cum limitatione ad illa, quæ nos expetimur: sed posita cum ista limitatione, non reddit inductionem consequentiam formalem; cuia potest esse aliquod singulare à nobis non expertum, cui non conueniat prædicatum conueniens singularibus à nobis expertis; ergo inductio adhuc cum tali constantia, si ponatur, vt debet poni, non est consequentia formalis. Respondet ad istam replicam Vazquez, hoc argumẽtum solum probare inductionem non exigere omnium singularium adæquatam numerationem, non tamen probare inductionem nõ petere, quod omnes circunstantiæ temporis, & loci numerentur; quibus enumeratis efficax, & euidens argumentum conficitur; eo quod natura ad vnum est dererminata, & consequenter eijsdem circunstantijs, & eisdem causis existentibus eundem effectum in omnibus habebit; cæterum si omnes circunstantiæ temporis, & loci non enumerentur, non erit inductio formalis consequentia. Hæc etiã solutio non magis placet, quàm prima, & contra illam, sic insurgo. Prædictus author fatetur nõ requiri omnium singulariũ adæquatam numerationem, vt inductio efficax argumentum, & formalis consequentia efficiatur, dummodo circunstantiæ temporis, & loci numerentur: sed non numeratis omnibus singularibus est impossibile omnes numerare circunstantias: cum quodlibet indiuiduum habeat diuersas circunstantias ad eius cõplectionem concurrentes; ergo prædicta solutio inuolvit implicatoria, & impossibilia. Secundo vrgetur contra prædictam solutionem. Vel prædictus author, quando facit inductionem in consequenti, infert, vniuersalis propositio absolutè, vel prout solum extenditur ad singularia eisdem prorsus circũstantijs gaudentia, quibus gaudent singularia

tia in antecedenti numerata: si primum inductio non erit efficax argumentum; cum inquam plurimus singularibus sub vniuersali contentis diuersæ inueniantur circunstantiæ loci, & temporis: ac per consequens diuersa possint illis prædicata cõuenire: si secundum solum concludit inductio propositionem vniuersalem, prout extẽditur ad singularia in antecedenti enumerata, & consequenter erit inductio adæquata, & vniuersalis resolutio, saltim vt infertur ex illo antecedenti, & non erit antecedens notius consequenti, quod prædictus author non admittit; siquidem facit inductionem consequentiam formalem, vt per singularia, vniuersalis propositio à posteriori probetur.

2 Contra nostram conclusionem obijcies primo. Ex Aristot. & D. Thom. 1. posteriorũ, Lect. 3. asserentibus modum adquirendi scientias fuisse per inductionem, & demonstrationem, & vniuersalia; ex quibus scientifica demonstratio procedit, non posse nisi per inductionem cognosci, & idcircò aliquo deficiente sensu, aliquarum deficere scientiarum esse. Ex quibus verbis tale argumentum conficitur. Euidens cognitio alicuius propositionis, non potest nisi per formalem consequentiam haberi: sed inductio est instrumentum, quo scientifica habetur cognitio conclusionum, & primorũ indemonstrabiliũ principiorum; ergo est formalis consequentia. Minor probatur. Hæc propositio, *omnis ignis est calefactiuus*, est euidenter à nobis cognoscibilis; sed non aliter nisi in vi inductionis; ergo inductio est id medio quo habetur scientifica cognitio conclusionum, & euidens notitia principiorum indemonstrabilium. Respond. concedendo maiorem, & negando minorem; ad probationem dicatur Aristot. & D. Thomam, nunquam docuisse inductionem esse rationem formalem cognoscendi euidenter principia indemonstrabilia, sed solum conditionem antecedentem terminorum explicationem, qua supposita, non in vi inductionis, sed in vi naturæ, cui immediatè conuenit veritas primorum principiorum cognoscuntur prima principia; sicut fides humana conducit ad fidem diuinam per modum conditionis remotè concurrentis, vt diuinæ reuelationi ad fidem formaliter concurrẽti præstetur assensus, & sicut fides diuina, tanquam per rationem formalem habetur per diuinam reuelationem, licet fides humana, vt conditio ad illam concurrat, ita similiter cognitio euidẽs primorum principiorum per naturalem connexionem naturalium principiorum habetur, tanquam per rationem formalem, licet conditio habendi illam sit inductio; quo circa licet ex inductione

ne philosophi naturales occasionem accepissent ad naturas rerum euidenter cognoscendi: tamen ratio formalis euidentis cognitionis non fuit inductio, sed natura, vel essentialis connexio naturalium prædicatorum. Vel secundo dicatur, quod ad hoc, quod inductio conducat ad acquirendas scientias, necessum non esse, quod sit formalis cõsequentia: sed sufficire esse euidentem consequentiam materialẽ; nam non omnes scientiæ habent eundem gradũ certitudinis, aliquæ enim solum habẽt infallibilitatem regulariter loquendo.

4 Obijcies secundo. Inductio est bona consequentia: sed consequentia, quæ semel est bona, semper est bona; ergo si inductio est bona consequentia, erit consequentia formalis, consequentia probatur. Consequentia formalis est illa, quæ semper est bona, & non potest instari; ergo si inductio semper est bona consequentia, erit consequẽtia formalis. Respd. distinguendo mai. inductio est bona consequentia materialis, concedo mai. formalis. nego mai. & d. stinguo min. bonitate, qua semel fuit bona, concedo conseq. alia bonitate, nego consequent. Itaque licet inductio sit bona consequentia materialis, & topyca non tamen est bona consequentia formalis, & metaphysica; quo circa licet posita veritate antecedẽtis semper probabiliter, & topicè ponatur veritas consequentis, non tamen posita veritate antecedentis, ponitur veritas formalis, & metaphysica consequentis, & hæc dicta sufficiant de tota ista disputatione applicando litteræ sapientissimi Magistri Soto à capitulo 11. vsque ad capit. 12. per omnes eorum lectiones, & notabilia.

Disputatio Decima septima, De amplia tione, & appellatione.

QVÆSTIO I.

Vtrũ diffinitio amplationis sit bona?

1 AMpliatio sic diffinitur à sapientissimo Magistro Soto. *Est extensio termini à minori ad maiorem suppositionẽ*; quæ diffinitio est bona, & missa explicatione illius ad textum sapientissimi Magistri, ipsius authoritate, & solutione argumentorũ probatur, & contra illam obijcies 1. In hac propositione, *homo fuit animal*, datur ampliatio: & tamẽ non datur extensio à minori ad maiorem suppositionem; ergo diffinitio ampliationis est mala. Maior est certa. Nam in prædicta propositione est verbum extrinseci temporis; ergo in illa est ampliatio. Minor vero probat. Extrema prædictæ pro-

propositionis supponūt pro omnibus suis significatis etiam possibilibus, sed non potest dari magis ampla suppositio; ergo in prædicta propositione non est extensio à minori ad maiorem suppositionem. Resp. neg. mai. In prædicta enim propositione non est ampliatio; eo quod prædicatum est de intrinseca ratione subiecti: & quando prædicatum est de intrinseca ratione subiecti, non datur ampliatio. Reminiscor enim illorum, quæ in disputatione de verbo agendo de propositionibus, in quibus verbum absoluitur à tempore dixi; & ideò aliter ad argumentum respondeo, quòd licèt prædicta propositio non sit essentialis, in illa tamen non datur ampliatio; eo quod ampliatio est maior extensio termini extensione, quam habet in statu suppositionis, & quando ponitur cum copula temporis præsentis; & cum subiectum prædictæ propositionis, in illa non habeat extensionem maiorem extensione, quam habet cum verbo præsentis temporis. hinc prouenit in prædicta propositione ampliationem non esse.

2 Obiic. 2. In hac propositione, *Petrus est & non fuit albus* datur extensio à minori ad maiorem suppositionem: & tamen non datur ampliatio; ergo diffinitio est mala. Maior constat. Nā extrema prædictæ propositionis pro pluribus supponunt in illa, quam supponerent in ordine ad verbum præsens; ergo in prædicta propositione est extensio à minori ad maiorem suppositionem. Si dicas, quod pro pluribus supponunt copulatiuè, non verò disiunctiuè, quod requirebatur ad hoc, quod in prædicta propositione esset ampliatio. Sed contra est; ergo in hac propositione, *Petrus non est, vel fuit albus* est ampliatio: consequens est falsum; ergo & solutio. Sequela probat. Extrema prædictæ propositionis supponunt pro pluribus disiunctiuè; ergo in illa datur ampliatio. Resp. solutionem datam esse legitimam: & ad replicam dicatur, quod in tali propositione nō est ampliatio, nec extensio à minori ad maiorem suppositionē; eo quod cum prædicta propositio sit negatiua, debet regulari per affirmatiuam illius contradictoriam, in qua cum nulla sit ampliatio: hinc prouenit, quod in tali propositione non sit ampliatio.

3 In calce autem huius quæstionis aduertendum erit primo, quod in propositionibus de simplici copula, vt istæ, *Petrus fuit albus*, *Petrus erit albus* verbum extrinseci temporis restringit terminos post se positos, tā quo ad formale, quàm quo ad materiale, vt stent in ordine ad differentiam temporis, per ipsum importatam: terminos autem ante se positos si fuerint absoluti, ampliat quo ad supposita, & illos restringit, quoad veritatem pro-

po-

positionis; si autem fuerint connotatiui, ampliantur omnino, quoad formale, quoad materiale vero ampliantur, quoad suppositа, & restringuntur, quoad veritatē; vt patet in hac propositione, *album fuit nigrum*, in qua prædicatū restringitur pro illo, quod fuit, & fuit nigrum, subiectū autem ampliatur, quoad suppositа pro illo, quod est, vel fuit, & quoad veritatem restringitur pro illo, quod fuit, ita vt ad prædictam propositionem verificandam requiratur, quod aliquod materiale albi fuerit de præterito, quoad formale verò omnino ampliatur pro illo, quod est, vel fuit album. Restrictio quoad veritatem est, quod propositio ad sui veritatem requirat verificari pro aliqua differentia temporis determinata; vt patet in hac propositione, *homo album fuit*, in qua licet omnes termini amplientur, quoad formale, & quoad suppositа, restringitur tamen subiectū, quoad veritatem pro illo, quod fuit; ita vt ad hoc, quod prædicta propositio sit vera, requiratur, quod homo fuerit. Secundo aduertendum est, quod in propositionibus affirmatiuis de copula complexa copulata termini positi post copulam restringuntur, quoad omnia; termini autem antecedentes copulam, si fuerint absoluti, ampliantur, quoad suppositа, & restringuntur, quoad veritatem; si autem fuerint connotatiui materiale ampliatur, quoad suppositа, & restringitur, quoad veritatem, formale vero omnino ampliatur; vt patet in hac propositione, *album est, & non fuit nigrū*, quæ est virtualiter affirmatiua, iuxta dicta in præcedentibus, in qua prædicatum omnino restringitur, subiectum vero pro materiali ampliatur, quoad suppositа, & restringitur, quoad veritatem pro illo, quod est & fuit album. In propositionibus vero de copula disiunctiua purè affirmatiuis omnes termini, tam antecedentes, quàm subsequentes ampliātur, tam quoad formale, quàm quoad materiale, tam quoad suppositа, quàm quoad veritatem; vt constat in hac propositione, *album est, vel fuit nigrum*. Vltimo aduertendum erit, quod eadem restrictio, & ampliatio, quæ in propositionibus purè affirmatiuis, vel virtualiter affirmatiuis inuenitur, debet etiam reperiri in earū contradictorijs purè negatiuis, vel virtualiter negatiuis, cum hoc discrimine, quod in affirmatiuis restrictio, quæ est quoad veritatē, in negatiuis est quoad falsitatem. Semper enim propositio negatiua quoad ampliationem, & restrictionem, per propositionem affirmatiuam debet regulari.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

Vtrùm regulæ ampliationis assignatæ à sapientissimo Magistro in hoc capit. lect. 1. notab. 4 sint rectè traditæ?

1 REsolutoriè dicendum est prædictas regulas rectè traditas esse à sapientissimo Magistro. Hæc conclusio prob. authoritate tanti Magistri, & solutione argumentorum: & contra secũdam regulam, in qua sic habetur. *Verba significantia inceptionem ampliant omnes terminos ad id quod est, vel immediatè post hoc erit*, objicies primo. In hac propositione *Angelus incipit esse*, ly *Angelus* non ampliatur; ergo prædicta regula est falsa. Probat. antec. 1. Nam talis propositio solum verificatur pro Angelo præsenti; ergo illius subiectum non ampliatur ad illud quod est, vel immediatè post hoc erit. Secundo. Nam in resoluentibus nõ est ampliatio; ergo nec in prædicta propositione. Conseq. patet. Omne enim, quod reperitur in resolubili inuenitur etiam in resoluentibus. Antec. verò prob. Istæ sunt resoluentes prædictæ propositionis. *Angelus nunc est, & non immediatè antehac fuit*: sed in nulla istarum est ampliatio ad illud quod erit; ergo in resoluentibus prædictæ propositionis nulla inuenitur ampliatio. Confirm. Hæc propositio est falsa, *incipit esse instans futurum, & illud, nec est, nec fuit, nec erit*; ergo non omne, quod dicit noster sapientissimus Magister in ista regula est verum. Patet conseq. Nam ipse asserit prædictam propositionem per istam regulam verificari, Antec. verò prob. Benè valet, *incipit esse instans futurum, & illud nec est, nec fuit, nec erit*; ergo *instans futurum nunquam erit*: consequẽs est falsum; ergo & antecedens. Resp. quod in hac propositione, *Angelus incipit esse*, ex vi copulæ subiectum ampliatur ad illud quod est, vel immediatè posthac erit, quod manifestè patet. Nam in aliis propositionibus, vt in ista, *motus incipit esse* subiectum ampliatur, ac proinde in prædicta propositione ex vi copulæ etiam subiectum ampliaretur, per accidens tamen, & quia natura Angeli incipit in instanti contingit subiectum prædictæ propositionis non ampliari, sed quoad veritatem restringi. Ad secundã probationem concesso antecedenti, nego conseq. & ad probationẽ dicatur quod omne illud, quod conducit ad veritatem resolubilis, debet in resoluentibus reperiri, illud verò quod ad veritatem non conducit, non requiritur, quod in resolubili inueniatur: & cum ampliatio, quæ in resolubili ex vi copulæ inuenitur, non conducat ad veritatem prædictæ propositionis, ideò non est necesse, quod in resoluentibus inueniatur; restrictio verò quoad veritatem, quæ in resolubili est,

ad

ad veritatem ipsius conducit, quo circa etiam in resoluentibus inuenitur. Nec refert si dicas sequi ex ista solutione non esse bonam consequentiam à resolubili ad resoluentes; eo quod argumẽtaremur ab amplo ad nõ amplũ, sine distributione ampli, & sine constantia non ampi, siquidem aliqua ampliatio esset in resolubili, quæ in resoluentibus nõ inueniretur. Non inquam hoc refert. Namlicet argumentando à resolubili ad resoluẽtes argumẽtemur ab amplo ad non amplum ex vi copulæ; quia tamen quoad veritatem ab æquè restricto ad æquè restrictum arguitur. Ideò est bona consequentia à resolubili ad resoluentes. Ad confirmationem nego antecedens. Ad probationem dicatur illam esse malam consequentiam; eo quod in illa argumentamur virtualiter ab inferiori ad superius negatiuè. Nam cum instans nunquam incipiat immediatè post aliud instans, quia non dantur duo instantia simul, ideò antecedens est verum; siquidem est propositio negatiua de subiecto non supponente; cum nullum sit instans immediatè post hoc instanti, vel immediatè ante hoc instans; vnde antecedens facit hunc sensum, incipit esse instans futurum, quod nec fuit immediatè ante hoc instans, nec est immediatè ante hoc instans, nec erit immediatè post hoc instans, quod totum est verum: consequens autem totum negat, & facit hunc sensum, instans futurum, nec immediatè post hoc instanti erit, nec mediatè erit post hoc instãti, quod quidem est falsissimum, & ideò consequentia est mala.

2 Obijcies 2. contra quintam regulam. Ex ista regula sequitur hanc propositionem esse veram *hoc album possibiliter est currens* signato Petro alto sedente. consequens est falsum; ergo & antecedens. Sequela probatur. Possibile est Petrum modo sedentem aliquando currere; ergo si ly *possibiliter* ampliat pro tẽpore possibili, talis propositio erit vera. Minor verò etiam probat. Nã contradictoria prædictæ propositionis, quæ est ista, *hoc album impossibiliter est currẽs* est vera; ergo prædicta propositio est falsa. Prob. ant. Benè valet. *hoc impossibiliter est, vel possibiliter est currens; ergo hoc albũ impossibiliter est currens.* Sed antecedens est verum; cum sit vna disiunctiua, cuius secunda pars est vera; ergo & cõsequẽs. Maior constat. Nã argumentamur à resoluẽtibus ad resolubilẽ; ergo benè valet. Cõfirmat. Ex ista regula sequitur hanc propositionẽ esse verã. *albũ sine albedine potest disgregare visum*: cõsequẽs est falsũ; ergo & prædicta regula. Sequela patet, & minor prob. Benè valet, *albũ sine albedine potest disgregare visũ ergo hoc potest disgregare visum, & hoc potest esse album sine albedine.* Sed consequen

quens est falsum; cum sit vna copulatiua, cuius secunda pars est impossibilis; ergo & antecedens etiam est falsum. Quod autem benè valeat, patet, nam argumẽtamur à resolubili ad resoluentes. Resp. conc. mai. & neg. min. Ad probationem dicatur, quod contradictoria non est vera, nec in illa consequentia, quæ ad probationem adducitur argumentatur à resoluentibus ad resolubilem; eo quod resoluentes non sunt illæ, sed istæ, *hoc impossibiliter est, vel hoc impossibiliter est currens*, ita vt in vtraque modus maneat negatus propter exigentiã contradictionis, & sicut istæ resoluentes sunt falsæ, cum sit vna disiunctiua, cuius vtraque pars est falsa, ita & resolubilis falsa est, & consequenter sua contradictoria, de qua procedebat argumentum, erit vera. Ad confirmat. concessa sequela, nego min. Ad probationem dicatur, quod in illa conseq. non arguitur à resolubili ad resoluentes. Secunda enim resoluens ibi assignata non est legitima; quia ab illa non auferetur illa connotatio. Veræ autem, & legitimæ resoluentes prædictæ propositionis sunt istæ, *hoc potest disgregare visum, & hoc potest esse sine albedine*, quæ resoluentes sunt veræ; siquidem, est vna copulatiua, cuius vtraque pars est vera. Obiec. vlt. contra secundam partem eiusdem regulæ. Nam ex illa sequitur hanc cõsequentiam esse malam, *homo necessariò est albus; ergo homo est albus*: consequens est falsum; ergo & secunda pars regulæ. Sequela prob. Ly *necessariò* secundum istã regulam ampliat, vsque ad possibilia; ergo in prædicta conseq. arguitur ab amplo ad non amplũ affirmatiuè, sine distributione ampli, & sine constantia non ampli. Ac per consequens prædicta conseq. est mala. Min. verò patet. Nam talis cõseq. non potest inflari; ergo est bona. Resp. neg. sequelam. Licèt enim talis consequentia habeat defectum in argumento assignatum; resarcitur tamen per aliam regulam superiorem, scilicèt, quia argumentamur à modali de modo necessario ad suam de inesse, & à restricto ad non restrictum quoad veritatem. Non enim licèt signare sub subiecto antecedentis hominem possibilem; eo quod in illa propositione est restrictio quoad veritatem. Cæteræ regulæ, quæ à sapientissimo Magistro in prædicto notabili assignãtur, non habent specialem difficultatem, & ideò libenter illas relinquimus.

QVÆSTIO III.

Vtrùm sex loci arguendi in ampliatione assignati à sapientissimo Magistro sint rectè traditi?

1 REsolutoriè dicendum est sex locos arguendi assignatos à nostro sapientissimo Magistro in hoc cap. lect.

2.

2. notabili 3 essẽ rectè traditos. Hæc conclusio constabit ex solutione argumentorum. Et cum amplum se habeat respectu non ampli, sicut se habet non restrictum respectu restricti, quidquid de amplo dixerimus eodem modo de non restricto est dicẽdum, & sicut de non amplo, ita de restricto est loquendum. Quo supposito, primus locus arguẽdi est, *ab amplo ad non amplum affirmatiuè cum distributione ampli, & cũ constantia non ampli valet consequentia*, vt ista est bona: *omne album fuit nigrum & album est & nigrum est; ergo album est nigrum.* Obijcies primo contra istam locum Hæc est mala conseq. *omne album est, vel fuit omne nigrum, & album est, ergo omne albũ fuit omne nigrum, vel omne album fuit omne nigrum*: & tamen arguitur per istum locum; ergo non est rectè assignatus. Maior probatur. Casu enim quo sint Petrus, & Paulus, & Petrus fuerit tempore præterito albus, & modo niger, Paulus verò è contra, antecedens est verum, & consequẽs falsum; ergo prædicta conseq. est mala. Cõfirm. 1. Hæc est mala conseq *omne album omne nigrum est, vel fuit, & album est; ergo omne album est nigrum* & tamen argumentamur per istum locum; ergo ille non rectè traditur. Maior prob. Casu enim, in quo sit solus Petrus, qui hucusque semper sit niger, modo autem sit albus, antecedens est verum, & consequẽs falsum; ergo prædicta conseq. est mala. Secundo. Non bene valet, *omne album omne currens est, & fuit, & album est, & currens est, ergo omne album est, & fuit currens*: & tamẽ arguitur per istum locum; ergo ille est malè assignatus. Maior patet. Nam casu quo sit solus Petrus, qui hucusque semper fuerit albus, nunquam tamen currens modo autem, & sit albus, & currens; antecedens est verum, & consequens falsum. Pro solutione huius argumenti est aduertendum, quod quando dicitur in primo loco arguendi, quod debet esse distributio ampli, intelligitur de distributione completa, & independenti ab aliqua particularitate, similiter constãtia debet poni ex parte omnium terminorũ, qui non ampliantur, & si ex parte termini nõ ampliati fuerit aliqua restrictio in conseqũti, quæ non erat in antecedenti, constãtia debet poni cum tali restrictione. Quo supposito, ad argumẽtũ respond. admittendo illam conseq. esse malam negando tamen, quod in illa arguatur per istum locũ, habet enim duos defectus. Primus est, quod prædicatum in antecedenti non distribuitur cõpletè, sed incompletè dependenter à particularitate de ly *fuit*. Secundus est, quod non ponitur constantia prædicati, quod in cõsequenti stat non ample; & quãuis poneretur, conseq. mala maneret; quia remanet primus defectus. Ad primam confirmationẽ di-

dicatur, quod in illa consequentia, licet sit completa distributio; eo quod termini ampliati præcedunt particularitatem, tamen deficit constantia prædicati; & ideo non arguitur per primum locum. Ad secundam confirmationem dicatur constantiã non esse debitè positam ex parte prædicati, sed debebat poni hoc modo, & currens quod est, & fuit currens est, vt ponatur cum eadem restrictione, quam habet prædicatum in consequenti, & si hoc modo constantia ponatur, prædicta consequentia erit bona, & in casu in argumento posito, sicut consequens est falsum, ita & antecedens ex parte constantiæ falsum erit.

2 Obijc. 2. contra eundem locum. Hæc est bona consequentia, *omnis homo omne album possibiliter est, & homo est*; ergo *omnis homo est albus*: & tamen in illa non ponitur constantia prædicati; ergo constantia prædicati non requiritur. Min. cum conseq. tenet. Maior etiam est certa; quia dicta consequentia instari non potest. Confirm. Hæc est bona consequentia, *omne album omne nigrum possibiliter est, & nigrum est*; ergo *omne album est nigrum*: & tamen non ponitur constantia subiecti; ergo non est necessaria constantia omnium terminorũ, qui non ampliantur. Maior est certa, quia dicta consequentia nequit instari. Ad hoc argum. respond. neg. mai. Illa enim conseq. est mala, quia vt fatetur argumẽtum, deficit constantia ex parte prædicati, & instatur in hac, *omnis Deus omne creans possibiliter est, & Deus est*; ergo *Deus est creãs*; in qua ante creationem mundi antecedens erat verum, & etiam constantia, consequens autem erat falsum. Ad confirmationẽ dicatur illam consequentiam esse malam, & instari in ista similis formæ, *omne album omne nigrum, est vel fuit, & nigrum est*; ergo *omne album est nigrum*, in qua, casu quo sit, & fuerit solus Petrus in mundo, qui hucusque semper fuisset albus, & modo sit niger, antecedens & constantia verificantur, & consequens falsificatur; & quod hæc sit similis formæ patet, quia sicut in illa arguitur ab ampliato ad non ampliatum cũ distributione ampli, & posita solum constantia prædicati, ita etiã in ista; ergo sunt similis formæ.

3 Obijc. 3. contra secundum locum arguendi, in quo dicitur quod *à non ampliato ad ampliatum negatiuè sine distributione ampli, & cum constantia non ampli est bona consequentia*. Nam non benè valet *aliquis homo non est albus, & homo est*; ergo *aliquis homo non est, vel fuit albus*: & tamen arguitur per secundum locum; ergo ille non benè traditur. Maior patet. Nam hæc consequentia instatur, casu quo sit Petrus niger, qui hucusque fuerit albus. Cõfirm. Benè valet *aliquod animal quod est rationale, non est risibile*; ergo ali-

aliquod animal non est visibile, & tamen arguitur contra regulã, eo quod non ponitur constãtia; ergo idem quod prius. Maior constat. Prædicta enim consequentia non potest instari. Resp. concedendo mai. & neg. min. Nam in illa consequentia arguitur cum distributione ampli ex parte prædicati. Negatio enim posita in principio consequentis fertur in totam propositionem, & distribuit prædicatum. Ad cõfirm. dicatur illam conseq. esse malam, & instari in hac, *animal quod est album non currit; ergo animal non currit*; in qua casu quo omnia animalia currant, nullum tamen sit animal album antecedens est verum, & consequens falsum. Tertius locus arguendi, sic habet, *ab amplo ad non amplum negatiuè cum distributione ampli; etiam sine constantia est bona consequentia*; vt ista est bona, nullus homo est, vel fuit albus; ergo nullus homo est albus. Contra quẽ obijcies quarto. Hæc est mala consequentia, *omnis homo omne album possibiliter non est; ergo omnis homo, omne album non est*: & tamen arguitur per tertium locum; ergo ille non rectè traditur. Maior patet. Instatur enim in casu antecedenti. Confirmat. Hæc est mala consequentia, *Petrus possibiliter non est albus; ergo Petrus non est albus*: & tamen arguitur per tertium locum; ergo idẽ quod prius. Maior patet. Instatur enim casu, quo Petrus sit albus. Resp. nego quod in consequentijs positis in argumẽto, & confirmatione arguatur per tertium locum. In propositionibus enim de ly possibiliter negatio cadit supra ipsum modum, ita vt negatio neget potentiam, & argumentetur à negatione potentiæ ad negationem actus. In prædictis autem consequẽtijs no sic arguitur, sed argumentamur à restricto ad non restrictũ quoad fallitatem negatiuè; quod quidẽ est defectus.

4 Quarta regula est *à non amplo ad amplum affirmatiuè, sine distributione ampli etiam sine constãtia non ampli est bona consequentia*; vt benè valet, *homo currens est, ergo homo currens est vel fuit*. Contra istam regulam, vel locum arguendi obijcies quinto. Hæc est mala conseq. *Deus contingenter est creans; ergo Deus creans contingenter est*: & tamen arguitur per istũ locum; ergo ille non rectè traditur. Respõdetur admissa maiori, & minori negando conseq. Prædicta enim cõseq. licet sit per istã regulã, habet tamen duos defectus superiores. Primus est à confusa ad determinatam. Nã in antecedenti ly *creans* confunditur à ly *contingenter*; in consequenti vero cum prædicatum illud maneat determinatum; eo quod antecedit modum de ly *contingenter*, ideò arguitur à cõfusa ad determinatã. Secundus est, quia variatur applicatio, & quasi appellatio. Nã ly *contingenter* appellat supra

formale de ly *creans* in antecedēti; eo quod ipsum præcedit. In consequente vero supra materiale de ly *creans*; quia ipsum subsequitur.

5 Quintus locus arguēdi est *ab amplo ad nō amplum sine distributione ampli, nunquā valet consequētia*, siue affirmatiuè, siue negatiuè. Contra istum locū obijcies 6. Benè valet, *album est, vel fuit nigrū, & album est, & nigrū est; ergo album est nigrū, vel album fuit nigrum*: & tamē arguimētamur per istum locum; ergo ille non rectè traditur. Maior patet. Non enim potest instari prædicta conseq. Resp. neg. mai. Instatur enim casu, quo Petrus sit qui nucusque fuit albus, & modo est niger, & antea nō fuerit aliquod nigrū, & modo sint aliqua alba. Sextus, & vltimus locus arguendi est, *à non amplo ad amplum cum distributione ampli, nūquam valet consequentia siue affirmatiuè*, siue negatiuè. Contra istum locū obijcies vlt. *Benè valet vterque homo currit; ergo vterque homo possibiliter currit*: & tamen arguitur per istū locū; igitur ille nō rectè traditur. Respond. quod si ly *vterque* sumatur completè, mala est prædicta cōsequētia, & instatur casu quo sint duo homines currētes, & posteà sint alij duo qui currere nō possint, si autem ly *vterque* sumatur incompletè, prædicta consequētia est bona; cæterum non arguitur per regulā, quæ debet intelligi de distributione cōpleta ampli. Alia restāt quam plurima, & difficilia argumenta, a quibus libenter supersedeo, eo quod fastidiosissima sunt.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm diffinitio appellationis sit bona?

1 APpellatio sic diffinitur à sapientissimo Magistro Soto. *Est appellatio significati formalis vnius termini ad significatū formale alterius termini*. Explicatur hæc diffinitio. Et enim quādo dicitur in diffinitione appellationis, quod debet esse applicatio significati formalis supra significatum formale alterius termini, nō debet intelligi de formali significato rigorosè sumpto, vt est significatū formale termini connotatiui, sed intelligitur de significato formali lato modo accepto, quatenus conuertitur cū significato primariò termini, quod est significatū formale, eo modo, quo terminus potest illud habere. Hoc supposito prob. nostra cō clusio ratioue. Nā appellare est idē quod determinare; ergo terminus appellans debet determinare in termino appellato aliquā rationē ratione cuius conueniat: sed non potest determinare in subiecto aliquā rationē ratione cuius cōueniat, nisi terminus appellans applicet suum significatū formale ad significatū formale termini appellati; ergo appellatio est appellatio significati formalis vnius termini ad significatū formale alterius termini. Minor

nor ſub ſumpta prob. Ideò enim ly *albus*, non appellat in iſta propoſitione, *homo eſt albus*, nec determinat aliquā rationē in ſubiecto, ratione cuius conueniat, ſed cōuenit ſubiecto abſolutè ſumpto, quia non applicat ſuum ſignificatum formale ad ſignificatum formale ſubiecti, & ideò ly *ſpecies* appellat in hac propoſitione homo eſt ſpecies, & determinat cōceptum communē ſubiecti, cui non conuenit abſolutè, ſed ratione illius conceptus communis, quia applicat ſuum ſignificatum formale ad ſignificatum formale ſubiecti; ergo terminus appellans, non poteſt determinare in ſubiecto aliquam rationem, ratione cuius conueniat, niſi applicet ſuum ſignificatum ad ſignificatum formale ſubiecti.

2 Contra iſtam concluſionem obijcies 1 In hac propoſitione, *homo eſt ſpecies*, eſt appellatio: & tamē nō eſt applicatio ſignificati formalis vnius termini ad ſignificatū formale alterius; ergo diffinitio eſt mala. Minor prob. Ly *homo*, quod eſt ſubiectū, cū nō ſit terminus cōnotatiuus, non habet ſignificatū formale; ergo in prædicta propoſitione non eſt applicatio ſignificati formalis vnius termini ad ſignificatū formale alterius termini. Confirm. In hac propoſitione, *Petrus eſt individuū*, eſt appellatio: & tamen non applicatur ſignificatum formale vnius termini ad formale alterius; ergo diffinitio eſt mala. Minor prob. Subiectū enim prædictę propoſitionis, cū ſit terminus abſolutus, nō habet ſignificatū formale; ergo in prædicta propoſitione nō applicatur ſignificatum formale vnius termini ad ſignificatū formale alterius. Ad hoc argumētum conſtat ex dictis, licet enim ly *homo* nō habeat ſignificatū formale rigoroſè ſumptū, ſicut terminus cōnotatiuus, habet tamen ſignificatum formale lato modo ſumptū, quatenus conuertitur cum ſignificato primariò. Vnde ſignificatū quaſi materiale illius eſt ſuppoſitū hominis, vel homo ſecundum ſe, & abſolutè ſumptus, & ſignificatum formale eſt homo conceptus conceptu cōmuni naturæ, quem ly homo primo, & per ſe formaliter ſignificat; & quia ſupra hoc ſignificatum applicat ſuum ſignificatum prædicatū; ideò in prædicta propoſitione eſt appellatio. Ad confirmationem eodem modo reſpōdetur, nimirum, quod licet ly *Petrus* ſit terminus abſolutus nō habens ſignificatū formale termini connotatiui, habet tamen ſignificatū formale, ideſt, primarium, quod eſt Petrus conceptus cōceptu proprio ſingularis, & indiuidui. & quia ſupra iſtū cōceptū applicat prædicatū ſuum ſignificatū, ideò in prædicta propoſitione eſt appellatio. Ex quo colligitur, quod quānis appellatio realis nō poſsit reperiri, niſi inter terminos cōnotatiuos, vel vices habentes terminii cōnotatiui, vt

docet noster sapientissimus Magister; tamē appellatio rationis nō potest terminos cōnotatiuos; nam proprium illius est, quod terminus appellans, vt pote secundæ intentionis determinet in subiecto significatum formale, quod est subtractum secundæ intentionis, & supra illud applicet suū significatum. Obijcies 2. in hac propositione, Christus est æternus, homo est appellatio: & tamen nō est applicatio significati formalis de ly æternus ad significatū formale de ly homo; ergo diffinitio est mala. Maior est certa. Prædicta enim propositio est falsa, & hæretica, & si in illa non esset appellatio, esset vera. Minor prob. Ly homo est terminus absolutus; ergo non habet significatum formale condacens ad appellationē realem, quæ in prædicta propositione inuenitur. Confirm. In hac propositione, *album est disgregatiuum, visus* est applicatio significati formalis prædicati ad significatū formale subiecti; & tamen non est appellatio; ergo diffinitio est mala. Maior constat. Nam prædicatū, non potest conuenire subiecto, nisi ratione albedinis, quæ est significatum formale illius; ergo in prædicta propositione est applicatio significati formalis vnius termini ad significatum formale alterius. Minor vero probatur. In propositionibus essentialibus non datur appellatio: sed prædicta propositio est essentialis; ergo in illa non est appellatio. Respondetur concedendo maiorem, & negādo minorem. Etenim ly *homo* quatenus dicitur de Christo, habet proprietates termini connotatiui, vt docet hic noster sapientissimus Magister; quo circa quatenus significat naturam humanam terminatā per subsistentiam verbi diuini, habet significatum formale, & ideò supra ly homo quatenus dicitur de Christo potest esse appellatio realis. Ad confirm. distinguo maiorem, est applicatio significati formalis prædicati ad formale subiecti ex vi connexionis essentialis terminorum, cōcedo mai. ex vi disputationis terminorum nego mai & concessa min. nego cōsq. Non enim quælibet applicatio significati formalis ad *significatū* formale sufficiens est ad appellationem realem, sed solū illa, quæ prouenit à dispositione terminorum, & hæc inuenitur, quando aliquod prædicatum ex se potens est conuenire subiecto absolutè sumpto, & secundū se, & ratione alicuius termini determinatur, ne cōueniat subiecto absolutè sūpto, sed ratione formalis subiecti; sicut in hac propositione, *Petrus est magnus logicus* ly *magnus* appellat; quia magnitudo ex se est prædicatū, quod potest cōuenire subiecto absolutè sūpto, & ex vi dispositionis terminorū determinatur à ly *logicus* vt non cōueniat Petro absolutè sūpto, sed ratione logicæ: & cū in hac pro-

propositione *album est disgregatium visus*, prædicatum non sit ex se potens conuenire subiecto absolutè sumpto, & ratione alicuius termini cū ipso positi determinetur, vt cōueniat subiecto, nō ratione suppositi, sed ratione formæ. hinc prouenit, quod in prædicta propositione non est appellatio realis, quam intendebat argumentū; eo quod conuenientia prædicati ad formale subiecti ex connexione essentiali prædicati cum formali subiecti prouenit, & non ex dispositione terminorū. Ex quo infertur, quod in omnibus propositionibus essentialibus non datur appellatio, nec realis, nec rationis; eo quod conuenientia, & applicatio formalis ad formale, quæ in illis inuenitur, conuenit ex connexione essentiali terminorum, & nō ex capite appellationis. Quæ doctrina desumitur ex sapientissimo Magistro in hoc cap. lect. 1. notabili 3. argumento 1.

QVÆSTIO V.

Vtrùm regulæ pro appellatione rexli traditæ à sapientissimo Magistro sint rectè traditæ?

1 PRima regula est, *quando adiectiuum, & substantiuū ponuntur à parte diuersorū extremorum non est appellatio realis*, & adiectiuum non appellat supra formale substātiui, vt in hac propositione, *Petrus magnus est logicus*, vel in hac, *Petrus logicus est magnus*, in quibus non est appellatio realis. Secunda regula est, *quando adiectiuum, & substantiuū situantur à parte eiusdē extremi*, tunc est appellatio realis; vt in hac propositione, *Petrus est magnus logicus*. Hoc supposito resolutoriè dicendū est prædictas regulas esse rectè traditas à sapientissimo Magistro. Hæc conclusio cōstabit ex solutione argumentorū, & contra primam. Obijcies 1. In hac propositione, *essentia diuina est generans*, est appellatio: & tamen adiectiuū, & substantiuum ponuntur ex parte diuersorū extremorū; ergo prima regula est falsa. Maior prob. Prædicta enim propositio est falsa: sed si in illa non esset appellatio esset vera; ergo in prædicta propositione est appellatio. Minor probatur. Si in tali propositione non esset appellatio, adiectiuum applicaret suum significatum ad materiale substantiui, & prædicta propositio faceret hunc sensum, res, quæ est essentia diuina, est generans: sed iste sensus est verus; ergo si non esset appellatio, prædicta propositio esset vera. Confirmatur hoc argumentum. In hac propositione, *albū est disgregatium visus*, est appellatio: & tamen adiectiuū & substantiuū ponuntur ex parte diuersorū extremorū; ergo prima regula est falsa. Resp. neg. mai. Etenim in prædicta propositione nō est appellatio realis, nec falsitas illius prouenit ex capite appellationis, sed quia prædicatū non conuenit subiecto, nā cū generare sit actio, &

actiones sint suppositorum, & ly *essentia divina* non significet suppositum, sed naturam, ideo prædicta propositio est falsa; & quidē licet prædicatū prædictæ propositionis applicaretur ad materiale subiecti, adhuc prædicta propositio esset falsa; nam materiale de ly *essentia divina* non sunt personæ divinæ; sed est essentia, vt identificatur cum tribus divinis personis, vt docet noster sapientissimus Magister infra libro 3. capitulo de Terminis divinis, & nos etiā in illo loco de hoc fortasis plura dicemus. Ad confirmationem constat ex dictis in præcedenti quæstione.

2 Obij. 2. contra secundam regulā. In hac propositione, *Petrus est musicus albus*, adiectiuū, & substantiuum à parte eiusdē extremi colocantur: & tamen non est appellatio; ergo secūda regula est falsa. Respondebis secundā regulam debere intelligi de adiectiuo, & substātiuo non disparate se habentibus, & illam explicat sapientissimus Magister; & adiectiuum, & substantiuū prædictæ propositionis disparate se habēt, vt videre est in ipso sapientissimo Magistro, quo circa in prædicta propositione non est appellatio. Sed contra istam solutionem replicabis. Nam sequitur ex illa, quod in hac propositione, *Christus est æternus homo*, non sit appellatio: consequens est falsum, vt constat ex dictis in quæstione præcedenti; ergo & solutio sequela probatur. Nam ly *æternus*, & ly homo sunt termini disparati formas disparates dicentes, & in nullo conuenientes; ergo sequela est vera. Respondetur solutionem datam esse legitimam. Et ad replicam nego sequelam. Etenim isti termini *homo* & *æternus* non sunt termini disparati; eo quod inter se habent repugnantiam, & termini disparati sunt illi, quorum neuter, aut alterum infert, aut alteri repugnat, vt docet noster sapientissimus Magister supra lib. 1. capit. 10. Deinde pro appellatione rationis duæ statuuntur regulæ à nostro sapientissimo Magistro. Prima est. *Prædicatum secundæ intentionis appellat supra proprium significatū subiecti*, vt in hac propositione, *homo est species*. Secunda regula est, *terminus significans actum animæ interiorem appellat proprium conceptum termini in quē fertur*; vt in hac propositione, *cognosco venientem*, vbi ly *cognosco* appellat proprium conceptum venientis, & prædicta propositio facit hunc sensum, cognosco venientem sub ratione venientis. Istæ regulæ non indigent alia explicatione, præter illam, quam tradit sapientissimus Magister in hoc capitulo, lect. 2 notabili 1.

3 Denique in eadem lect. notabili 3. tres locos arguendi assignat sapientissimus Magister in appellatione reali, & rationis. Primus est, quando variatur appellatio realis non valet consequen-

quentia, siue arguatur à non appellante ad appellantē, siue èconuerso: vt non sequitur, *Petrus est magnus, & est logicus; ergo est magnus logicus*, nec èconuerso, *est magnus logicus; ergo est magnus, & est logicus.* Secundus locus est, *in appellatione rationis proueniente à prædicato secundæ intentionis*, quomodocumque varietur appellatio, nunquam valet consequentia; sicut non sequitur, *homo est species; ergo species est homo.* Tertius est, *in appellatione rationis proueniente à verbo significante actum animæ interiorem, licet non valeat consequentia à non appellante ad appellantem, valet tamen ab appellante ad non appellantem*; vt non sequitur, venientem cognosco; ergo cognosco venientem, èconuerso benè sequitur, *cognosco venientem; ergo venientem cognosco.* Contra primum locum arguendi obijcies. Hæc est bona consequentia, *Petrus est magnus logicus; ergo Petrus est logicus*: & tamen variatur appellatio; ergo primus locus arguendi nō est rectè traditus. Minor constat. Maior vero probatur. Prædicta consequentia non potest instari; ergo est bona. Respond. concedendo mai. & min. & negando conseq. Ratio est. Nam prædictus locus debet intelligi de consequētijs, quæ non tenēr per alium locum, vt fatetur noster sapientissimus Magister in explicatione huius loci: & cum prædicta consequētia teneat per alium locū, nimirū, quia arguitur *à dicto simpliciter, ad dictum secundum quid*, vel à restricto ad non restrictū affirmatiuè, sine distributione non restricti per quartā regulā restrictionis: hinc prouenit, prædictā consequentiam esse bonā, quānis sit contra primum locum arguendi in appellatione. Sed contra istam solutionem replicabis. Ex ista solutione sequitur hanc cōsequentiā esse bonā, *Petrus est magnus logicus; ergo Petrus est magnus*: cōs. quens est falsum; ergo & solutio. Sequela probatur. Ideò esset mala, quia variatur appellatio: sed etiā in præcedenti cōsequentia variatur appellatio, & est bona; ergo etiam ista erit bona. Resp. prædictā solutionē esse legitimā, & ad replicam nego sequelam. Ad probationē dicatur prædictam consequentiam esse malam, quia viciatur per istum locum, & per nullum alium tenet, imò potius per alios locos etiam viciatur. Nam in illa arguitur à dicto secundū quid ad dictum simpliciter, nam magnitudo ratione logicæ est magnitudo secundum quid talis, magnitudo vero, quæ infertur in consequenti, est magnitudo quātitatis, quæ est magnitudo simpliciter talis. Insuper etiam viciatur per alium locum, nimirum, quia arguitur *ab amplo ad non amplum, sine distributione ampli*, nam magnitudo ratione logicæ, quæ est in antecedenti est magnitudo ample, & isto modo

ſumpta, magnitudo vero corporis ſeu quantitatis, quæ infertur in conſequẽti, eſt propria magnitudo ſtrictè, & rigoroſè accepta.

QVÆSTIO VI.

Vtrũ regulæ pro nominibus numeralibus aſſignatæ à ſapiẽtiſſimo Magiſtro ſint rectè traditæ?

1 PRo nominibus numeralibus, duæ ſtatuuntur regulæ à ſapientiſſimo Magiſtro in hoc cap. lect. 1. notabili 6. argumento 5. Prima eſt, *nomen numerale abſolutum primitiuæ ſpeciei additum termino ſubſtantiuo appellat vnitatem, aut pluralitatem ſuppoſitorum ratione formæ ſubſtantialis termini ſubſtantiui: additum vero termino adiectiuo, tunc appellat pluralitatem, non ratione formæ accidentalis, ſed ratione ſuppoſiti.* Secunda regula eſt, *nomen numerale denominatiuum, ſeu derivatiuæ ſpeciei, ſiue addatur termino ſubſtantiuo, ſiue termino connotatiuo, appellat numerum ſolum ſupra concretum ſui ſubſtantiui.* Quæ regulæ vſu Dialectcorum, ſic communiter traduntur. *Nomen numerale primitiuæ ſpeciei, vt duo, tres, & cætera additum termino ſubſtantiuo numerat ſuppoſita ratione formarum, additum vero termino adiectiuo ſolum numerat ſuppoſita*, ſecunda *nomen numerale derivatiuæ ſpeciei cuilibet termino addatur numerat ipſam ſecundum rationes, ſecundum quas eſt numerabilis.* Hoc ſuppoſito reſolutoriè dicendum eſt prædictas regulas eſſe rectè traditas à ſapientiſſimo Magiſtro. Hæc cõcluſio probatur ratione Diui Thomæ 1. p. quæſt. 39. artic. 3. Vnumquodque eo modo habet vnitatẽ, vel pluralitatẽ quo habet eſſe, ſed ſubſtãtia habet eſſe ad ſe, & per ſe, accidens vero habet eſſe à ſubiecto; ergo ſubſtãtia ad ſe, & per ſe habebit vnitatẽ, vel pluralitatem, accidens vero à ſubiecto, ac per conſequens nomẽ numerale additũ termino ſubſtãtiali ſubſtantiuo, numerat formam ſubſtantialẽ, & ſuppoſita ratione formarum, & additum adiectiuo numerat ſolũ ſuppoſita. Totus diſcurſus eſt legitimus. Cõfirm. Nam quod numeratur eſt eſſe: ſed forma ſubſtantialis affert ſecum ſuum eſſe, forma vero accidentalis illud habet à ſubiecto; ergo nomen numerale additum termino ſubſtantiuo ſignificante formam ſubſtantialẽ, numerabit formam, additum vero termino adiectiuo ſignificante formã accidentalem habentem eſſe à ſubiecto, vel ſuppoſito, ſolum numerabit ſuppoſita.

2 Contra primã regulã obijcies 1. Si vna ex diuinis perſonis aſſumeret duas humanitates, non eſſet duo hominis, ſed vnus homo: & tamen in hoc caſu inueniuntur duæ formæ ſubſtantiales; ergo nomẽ numerale additũ termino ſubſtantiuo, non numerat ſuppoſita ratione formarum, ſed præciſè numerat ſuppoſita, & conſequenter prima regula eſt fal-

falsa. Minor est certa. Maior est Filius hominis 3. q. quæst. 3. art. 7. ad 2. argumentum. Confirmat. Si pater diuinus, Filius, & Spiritus Sanctus assumeret eandem numero humanitatē, essent tres homines: & tamen in hoc casu solum est vnica forma; ergo nomen numerale additum termino substantiuo solum numerat supposita. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur. Nam tunc casus essent tres subsistentes in natura humana; ergo essent tres homines. Probatur cōseq. Homo enim idem est, ac subsistens in natura humana; ergo si essent in illo casu tres subsistentes in natura humana, etiam essent tres homines. Hoc argumentum exigit illam celebrem difficultatem, quæ inquirit, an si tres diuinæ personæ assumerent vnam numero humanitatem, dicerentur tres homines, vel vnus homo, qua difficultate ad Theologos missa; ad argumentum respōdetur, concessa maiori, & minori, negando cōseq. Non enim in tali casu pater diceretur vnus homo, quia nomen numerale additum termino substantiuo solum numeret supposita, sed quia secundariò, & minus principaliter illam numerat, saltim vt conditionem numerādi; quo circa in illo casu vna persona diuina assumēs tres humanitates, non diceretur tres homines, sed vnus homo diceretur; quia licet in illo casu non deficiat ratio formalis ad hoc, quod dicatur tres homines, deficit tamen conditio numerandi, scilicet, multitudo suppositorum, quæ vt conditio essentialiter requisita concurrit ad numerationem; vnde regula sic debet intelligi, nomen numerale primitiuæ speciei additum termino substantiuo principaliter numerat formas, & minus principaliter, & tanquā conditio, sine qua non, etiam numerantur supposita, & pluralitatē illorum, tanquā conditionem exigit. Ad confirmat. respond. negando mai. Ad probationem concesso antecedenti negamus conseq. Ad probat. dicatur, quod hoc nomen, *subsistens in natura humana*, rigorosè loquendo non est idem, ac hoc nomē *homo*, sicut non est idē *Deus* & *subsistens in natura diuina*; nam si iadē essent *Deus*, & *subsistēs in natura diuina*, eodē argumēto probaretur, quod essent tres Dij; nempe sunt tres subsistentes in diuina natura. Differentia autem, quæ versatur inter hoc nomen *homo*, & hoc nomen *subsistens in natura humana*, consistit in hoc, quod hoc nomē, *homo* primario, & per se, & immediatè significat naturā humanā, mediatè vero, & quasi secundariò significat personā; hoc vero nomē *subsistēs in natura humana* immediatè, & primariò significat personā, seu suppositū, mediatè vero, & quasi secundariò significat naturā & quia veritas propositionis à signifi-

nificato primario desumitur, & in casu argumenti sint tres personæ, & suppositа in vna natura est verum dicere sunt tres subsistentes in humanitate, vel in deitate; non tamen est verum dicere, sunt tres Dij, vel sunt tres homines. Vnde in casu argumenti tres personæ diuinæ non dicerentur tres homines propter defectum rationis formalis numerandi.

3 Obijc. 2. Si Petrus, & Paulus haberent eandem numero albedinem, non dicerentur duo alba, sed vnum album: & tamen in hoc casu essent duo suppositа; ergo nomen numerale additum termino adiectiuo, non numerat solum suppositа. Min. cum conseq. tenet. Maior autem probat. Nomen numerale additum termino substantiuo, vt pluraliter dicatur, petit tanquam conditionem pluralitatem suppositorũ; ergo similiter nomen numerale additum termino adiectiuo, vt pluraliter dicatur, petit tanquam conditionem pluralitatem formarum; ac per consequens si in illo casu tantum est vnica albedo, tantum erit vnicum album. Prob. conseq. Ideò enim nomen numerale additum termino substantiuo, vt pluraliter dicatur, petit tanquam conditionem pluralitatem suppositorum, quia nomen substantiuum significat formam substantialem existentem in supposito, & illud connotantem: sed etiam nomen adiectiuũ significat formam suppositо adiacentem; ergo sicut nomen numerale additum termino substãtiuo petit tanquam conditionẽ, vt pluraliter dicatur pluralitatem suppositorum; etiam nomẽ numerale, vt pluraliter dicatur, petit tanquam conditionem pluralitatem formarum accidentalium. Confirm. Si Pater diuinus assumeret naturam humanam, & leoninam, diceretur duo animalia; ergo si assumeret duas humanitates, diceretur duo homines. Conseq. patet. A paritate rationis: & antec. prob. Nam si in illo casu diceretur vnum animal, nec esset determinatè rationale, vel irrationale: sed quod est vnum animal, debet esse determinatè rationale, vel irrationale; ergo in illo casu non esset vnum animal, sed duo animalia. Resp. neg. mai. Ad prob. concesso antec. nego conseq. Discrimẽ consistit in hoc, quod forma substantialis licet ad se, & per se habeat suum esse, tamen significata in concreto connotat essentialiter suppositum; quo circa vt vna persona dicatur tres homines, non sufficit vna humanitas, nec etiam tres humanitates, sed insuper tanquam conditio requiruntur tria suppositа: at verò forma accidentalis totum suum esse habet à subiecto, vel supposito in quo inuenitur; quo circa in casu impossibili, quod eadem numero albedo esset in duobus suppositis, dicerentur duo alba; quia ibi

ibi est duplex esse cõpletum denominatum à forma: & cum in hoc casu impossibile, quod eadem numero albedo esset in duobus suppositis, eadem forma vtrumque denominaretur, ideò dicerentur duo alba; at verò si duæ humanitates essent in vno supposito, cũ tunc casus non essent duo esse completa, non dicerẽtur duo homines. Quapropter licet nomen numerale additum termino substantiuo, vt pluraliter dicatur petat tanquam cõditionem pluralitatem suppositorum: tamen additum termino adiectiuo, vt pluraliter dicatur, non petit, tanquam conditionem pluralitatem formarum. Ad confirmationem dicatur, quod in illo casu pater diuinus esset vnum animal, & nõ esset determinatè rationale, vel irrationale; eo quod solum esset vnum animal vnitate suppositi, non tamen vnitate formæ, quod requirebatur ad hoc, quod esset determinatè rationale, vel irrationale. Nec refert si dicas, quod ly *æternus* est nomen adiectiuum; & tamen nomen numerale primitiuæ speciei additum illi non numerat solum suppositа; ergo solutio argumenti est nulla. Minor prob. Nam si numeraret solũ suppositа, hæc propositio esset vera, *Pater & Filius, & Spiritus Sanctus sunt tres æterni*: cum sint tria suppositа habentia vnam æternitatem. Sed hæc propositio in suo symbolo negatur à D. Athanasio; ergo nomẽ numerale primitiuæ speciei additũ termino adiectiuo non numerat solum suppositа. Non inquam hoc refert. Nam D. Athanasius prædictam propositionem negauit, quia accepit in illa ly *æternus* substantiuè, non verò adiectiuè. Si enim ly æternus adiectiuè sumatur, prædicta propositio est vera, quia facit hunc sensum, sunt tres habentes æternitatem, qui sensus est verus; nam sunt tres personæ diuinæ habentes æternitatem, & sicut in casu quo Petrus, & Paulus habeant eandem albedinem, conceditur hæc propositio, Petrus, & Paulus sunt duo alba; eo quod facit hunc sensum, Petrus, & Paulus sunt duo habentia albedinem, ita similiter si ly *æternus* adiectiuè sumatur, poterit cõcedi hæc propositio, *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt tres æterni*. Diuus autem Athanasius prædictam propositionem negauit sine aliqua distinctione, ne cũ hæreticis, nec in verbis conueniret; eo quod non defuerunt hæretici asserẽtes tres personas diuinas, tres æternitates habere; quo circa D. Athanasius, vt discederet ab isto errore, & catholicis occasionẽ errandi non præberet, sine distinctione prædictã propositionem absolutè negauit. Circa secundam regulam solum est aduertendũ, quod nomen numerale deriuatiuæ speciei proportionatur cum termino, cui adiungitur numerãdo significatum illius, vt illud est numerabile, quo

circa

circa quia Deus est vnus in essentia, & trinus in personis, & similiter, quia deitas est vna in essentia, & trina in personis; ideò Ecclesia sacra concedit istas propositiones, *Deus est trinus, Deus est vnus, Deitas est vna, Deitas est trina* vt patet ex illo, quod ipsa canit, *te trina Deitas vnaque poscimus, sic nos tu visita, sicut te colimus*; & hæc dicta sufficiant de tota ista disputatione, applicando litteræ sapientissimi Magistri Soto, lib 2. Summularum à cap. 13. vsque ad cap. vlt. per omnes eorum lectiones, & notabilia.

Disputatio Decima octaua, De Oppositione, & conuersione.

QVÆSTIO I.

Vtrùm oppositio contradictoria sit omnium maxima?

1 OPpositione priuatiua, & relatiua, contradictoria, & contraria, subcontrariaque physicis, quæ versantur inter terminos simplices missis ad sua propria loca, nostra difficultas procedit de oppositione contradictoria, contraria, & subcontraria dialectica, quæ versatur inter duas propositiones oppositæ qualitatis, & de his tribus oppositionibus dialecticè sumptis inquirimus quænam illarum sit maior; in qua parte duplex inuenitur sententia. Prima affirmat oppositionem contrariam omnibus maiorem esse. Secunda verò defendit oppositionem contradictoriam in ratione oppositionis omnes oppositiones excedere. Et suppositâ bonitate diffinitionis, vel descriptionis oppositionis, quæ benè diffinitur per affirmationem, & negationem eiusdem de eodem, quia cum essentia oppositionis in oppositione consistat, rectè per opposita copulatiuè diffinitur, vel describitur, pro quæstionis intelligentia aduertendum existimauimus illud quod docet D. Thom. opusc. 48. cap. 8. illis in verbis, sola oppositio *contradictoria est simpliciter oppositio, aliæ autem sunt oppositiones secundum quid in quantum aliquo modo dicunt contradictionem*, pro cuius doctrinæ intelligentia notandum est, tunc saluari veram oppositionem, quando in vna propositione solum remouetur per negationem affirmatio alterius, ita vt si vna propositio affirmat, *omnis homo disputat* negatiua solum remoueat hanc affirmationem, dicendo *non omnis homo disputat*, quod est idem, ac dicere *aliquis homo non disputat*; & ideò vniuersalis affirmatiua, & particularis negatiua, vniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua opponuntur contradictoriè, quia vniuersalis affirmatiua remouetur per solam negatio-

tionē particularem, & ad remouendā particularē affirmatiuam requiritur vniuersalis negatiua: hinc fit, quod eatenus erunt duæ propositiones oppositæ, quatenus vna earū remouetur affirmatiō vnius per negationē alterius, & id quod amplius, aut minus repetitū fuerit, in illis minuit oppositionem, quod facile ostendo in cōtrarijs, & subcontrarijs, huic enim propositioni vniuersali, *omnis homo disputat*, cōtradicit hæc particularis negatiua, *aliquis homo nō disputat*, & cōtrariatur hęc vniuersalis negatiua nullus homo disputat, id autē quod vniuersalis hæc addit supra particularē nō erat necessariū ad remouēdā affirmationē vniuersalis affirmatiuæ, & ita minuit oppositionē, & facit, quod nō repugnent in falsitate; idē videri poterit in subcontrarijs, huic enim propositioni particulari affirmatiuæ *aliquis homo disputat*, contradicit hæc vniuersalis negatiua, *nullus homo disputat*, quia ad remouēdā illā affirmationē exigebatur hæc vniuersalis negatio, & subcontrariatur hæc particularis *aliquis homo nō disputat*, per cuius particularitatē minuitur oppositio, quia nō remouetur id quod ponit affirmatio, & ideò particularitas illa fundat non repugnantiā in veritate, & hac ratione dixit Diuus Thom. oppositionē contrariā, & subcontrariā esse oppositionē secundū quid; quia tamē subiungit *in quantum aliquo modo claudunt contradictionem*, explicandū erit quomodo contradicto claudatur in oppositione cōtraria, & subcontraria, & quidem in contraria facilè percipitur, nam eo modo, quo propositio vniuersalis claudit particulare sibi subalternata, ita oppositio contraria, qua vna propositio vniuersalis opponitur alteri vniuersali oppositæ qualitatis claudit contradictoriā, qua propositio particularis contradicitur illi, cui ipsa vniuersalis cōtrariatur; ex quo prouenit, quod maneant contrariæ oppositæ quātum ad veritatē, & secundū hanc rationē claudunt esse, & non esse respectu eiusdē, vnde si verificarentur contrariē, verificantur de eodem quod esset, & non esset; cuius ratio est. Nā veritas vniuersalis claudit veritatē particularis, vnde propositio, quæ opponitur in veritate particulari propositioni opponitur, & in veritate propositioni vniuersali. De oppositione subcontrariæ prob. Etiam quod includat aliquo modo contradictionē. Nam falsitas propositionis particularis claudit falsitatē propositionis vniuersalis, vt manifestū est; ergo propositio, quæ opponitur in falsitate propositioni vniuersali; etiam opponitur in falsitate propositioni particulari: sed particularis negatiua opponitur in falsitate vniuersali affirmatiuæ; ergo etiam opponitur in falsitate particulari affirmatiuæ.

2 Ex dictis facilè percipies totam artem harum oppositionum. Etenim quia veritas particularis affirmatiuæ infert falsitatem vniuersalis negatiuæ, & falsitas particularis affirmatiuæ infert veritatem vniuersalis negatiuæ; ideò sunt oppositæ quãtum ad veritatem, & falsitatem. In contrarijs autẽ, quia veritas propositionis vniuersalis claudit veritatem particularis; falsitas vero vniuersalis non infert falsitatem particularis, ideò propositio vniuersalis opponitur solum in veritate alteri propositioni vniuersali sibi oppositæ, cui in veritate, & falsitate erat opposita particularis sibi subalternata. Tandem in subcontrarijs, quia falsitas propositionis particularis, claudit falsitatem vniuersalis, veritas autem particularis non infert veritatem propositionis vniuersalis, ideò propositio particularis, quæ in veritate, & falsitate erat opposita vniuersali oppositæ qualitatis, opponitur solum in falsitate particulari eius subalternatæ, cuius falsitas claudit falsitatem subalternantis. Ex his sequitur, quod oppositio vt sic analogicè dicatur de oppositione contradictoria, contraria, & subcontraria; nã oppositio contraria, & subcõtraria eatenus sunt oppositiones, quatenus aliquo modo claudunt oppositionem contradictoriam; ergo oppositio vt sic dicitur analogicè de contradictoria, cõtraria, & subcontraria, ita vt per prius, & simpliciter dicatur de cõtradictoria, & secundum quid de alijs, vt docet D. Thomas opusculo citato. Tunc enim est vera oppositio, & contradictio, quando est affirmatio, & negatio eiusdem prædicati de eodem omnimodò subiecto, taliter, quod negatio præcisè remoueat id quod ponebat affirmatio; si autem non præcisè remoueat illud, sed etiã aliquid amplius, vt in duabus cõtrarijs contingit, tunc dicimus, quod ibi inuenitur affirmatio, & negatio eiusdem de eodem secũdum quid, vnde id de quo dicitur affirmatio, & negatio nõ est omninò idem, sed est idem secundũ quid, quia illa negatio, quæ remouebat affirmationem oppositam, non inuenitur simpliciter quantum ad id, quod præcisè erat necessarium ad remouẽdam oppositam affirmationem, sed inuenitur coniuncta cum negatione pro pluribus suppositis, quæ coniunctio minuit veram oppositionem; eodẽ modo in subcontrarijs dico, quod reperitur affirmatio, & negatio eiusdem de eodem secundum quid, quia negatio, quæ remouet affirmationem particularis affirmatiuę, debet esse vniuersalis negatio. Vniuersalis autem negatio solum secundũ quid reperitur in negatione particulari, quod est sufficiens ad hoc, quod falsitas particularis inferat falsitatem vniuersalis, vnde in oppositione subcontraria inuenitur affirmatio, & negatio

eiusdem

eiusdem de eodem secundum quid, ita vt id de quo dicitur affirmatio, & negatio in subcontrarijs sit idem non omninò, sed secundum quid. Ex quo vlterius colligitur, quod diffinitio oppositionis simpliciter conuenit oppositioni contradictoriæ, & secundum quid oppositioni contrariæ, & subcontrariæ. Quandoquidem quibus conuenit diffinitum secundum quid etiam diffinitio secundum quid debet cõuenire. Similiter aduertendum erit præsentem difficultatem nõ procedere de oppositione formaliter sumpta, & pro relatione oppositionis accepta, qua vna propositio relatione oppositionis ad aliam refertur; nam in ista acceptione non est maior, vel minor oppositio; quandoquidem relatio non dicitur secundũ magis, & minus: sed procedit præsens difficultas de oppositione fundamentaliter sumpta, & accepta pro repugnantia inter duas propositiones, quæ est fundamẽtum relationis oppositionis, ratione cuius potest ipsa relatio oppositionis magis, & minus admittere; sicut similitudo consistens formaliter in relatione ratione sui fundamenti magis, & minus admittit. Quibus suppositis resolutoriè dicendum est oppositionem cõtradictoriam dialecticam, quæ versatur inter duas propositiones omnibus oppositionibus dialecticis esse maiorẽ. Hæc conclusio est expressa Diui Thom. 1. sentent. dist. 5. q. 1. art. 1. ad 2. & 1. 2. q. 79. art. 4. opusc. 37. cap. 1. & 10. methaphysicæ, lect. 6. & prob. hac vnica ratione. Oppositio contradictoria est affirmatio, & negatio duarum propositionum in veritate, & falsitate formaliter repugnantium, oppositio autem contraria est affirmatio, & negatio duarum propositionum, quæ solum in veritate repugnant, oppositio denique subcontraria est affirmatio, & negatio duarum propositionum in falsitate solum formaliter repugnantium; ergo oppositio contradictoria est omnium maxima. Conseq. tenet, & antec. ex diffinitionibus constat. Confirm. 1. Repugnantia, quæ est diuisa in contrarijs, & subcõtrarijs, est tota simul, & adunata in contradictorijs: sed virtus vnita est fortior, ergo oppositio cõtradictoria est omnibus maior. Conseq. tenet. Et antec. probat. Contrariæ solùm repugnant in veritate, & subcontrariæ solum pugnant in falsitate: sed contradictoriæ repugnant in veritate, & falsitate; ergo repugnantia, quæ est diuisa in contrarijs, & subcontrarijs, tota simul, & adunata inuenitur in contradictorijs. Secundo. Id quod habet speciale oppositio contraria supra contradictoriam, minuit oppositionem, & similiter id quod habet speciale oppositio subcontraria supra contradictoriam minuit oppositionem; ergo oppo-

tio

tio contradictoria est omnium maxima. Conseq. tenet. Antec. verò prob. Id quod addit speciale oppositio contraria supra cõtradictoriam fundat non repugnantiam contrariatum in fallitate, & id quod addit oppositio subcontraria supra contradictoriam fundat non repugnantiam subcontrariarum in veritate, vt constat ex dictis; ergo id quod addit speciale oppositio contraria, vel subcontraria supra contradictoriam minuit oppositionem.

3 Contra istam conclusionẽ obijc. 1. In duabus propositionibus contrariè oppositis reperitur magis de affirmatione, & negatione eiusdem de eodem; ergo reperitur magis de oppositione, ac per consequens oppositio contraria est omnium maxima. Cõseq. tenet. Antec. verò prob. In contrarijs reperitur affirmatio, & negatio pro omnibus suppositis, & in contradictorijs in vna inuenitur affirmatio pro omnibus suppositis, & in altera solum inuenitur negatio pro vno supposito; ergo in contrarijs reperitur magis de affirmatione, & negatione eiusdem de eodem, quã in contradictorijs. Confirm. hoc arguam. Oppositio contradictoria per contrariam regulatur; ergo contraria est omnium maxima. Prob. antec. Oppositio contradictoria regulatur per hoc principium ipsum *quodlibet est*, vel non est: sed hoc principium importat oppositionem contrariam; ergo oppositio contradictoria per cõtrariam regulatur. Minor prob. Benè valet. *Quodlibet est, vel non est*; ergo quodlibet est, vel quodlibet non est: sed consequens importat oppositionem contrariã; ergo & anteced. Resp. neg. antec. Ad prob. conc. antec. & nego conseq. Etenim vt iam dictũ est illa maior negatio pro pluribus suppositis, quæ in contrarijs inuenitur potius minuit oppositionem, quam illam ædificet; siquidem facit, quod non remoueatur id quod ponebat affirmatio; vndè minuitur oppositio; nam id quod vniuersalis negatiua addit supra particularem negatiuam, non erat necessarium ad remouendam affirmationem vniuersalis affirmatiuæ, & ita minuit oppositionem, & facit, quod contrariæ dentur simul falsæ; quo circa illa negatio pro pluribus suppositis, quæ in vniuersali negatiua reperitur, facit, quod vniuersalis negatiua non remoueat totum quod ponit affirmatiua. Nam affirmatiua ponit vniuersalitatem, & negatiua etiam relinquit vniuersalitatem. Similiter facit, quod affirmatio, & negatio non sint eiusdem de eodem simpliciter, sed solum secundum quid; quapropter in cõtrarijs minuitur oppositio per multam negationem vniuersalis negatiuæ, sicut virtus liberalitatis non solum minuitur, & destruitur per defectum, nimirum per

per auaritiam, verũ etiã destruitur per excessum, scilicet, per prodigalitatem; peccatur enim multoties in excessu sicut in defectu. Vel secundo dicatur, quod negatio in contrarijs est maior extẽsiuè, & plus destruit quasi extensiuè, non tamen est maior intensiuè, nec magis destruit intẽsiuè; vnde aliud est negationem plus destruere de suo opposito, aliud autem ad plura subiecta applicari, hoc secundum habet oppositio contraria, non verò primum. Ad confirmationem nego antec. Ad probationem concessa maiori nego minorem. Illud enim principium, *quodlibet est, vel non est*, quatenus regulat oppositionem contradictoriam, non importat oppositionem contrariam, sed contradictoriã, eo quod ly *quodlibet* secundũ istam rationem idẽ valet, quod ly *idem*, & facit hunc sensum idem est, vel non est. Nec illa consequentia, quæ ad probãdam minorẽ fiebat in argumẽto aliquid valet: arguitur enim in illa à confusa ad determinatam. Nam in antecedenti ly *vel* confunditur à ly *quodlibet*, eo quod vtrumque existit in eadẽ cathegorica, & in consequenti ly *vel* supponit determinatè; cum signum vnius cathegoricæ nõ transeat ad terminum positum in altera cathegorica.

4 Obij. 2. Duæ propositiones contrariæ claudunt duas contradictorias, & inferunt illas; ergo non minus opponũtur, quã duæ contradictoriæ. Ant. est certum. Nam istæ duæ contrariæ, *omnis homo disputat, nullus homo disputat*, claudũt, & inferunt istas contradictorias, *aliquis homo disputat, nullus homo disputat*. Cõseq. vero prob. Nã causa debet æquare, vel excedere effectum; ergo, si duæ contrariæ claudunt, & inferunt duas contradictorias, magis opponuntur, quã duæ contradictoriæ, vel saltim aqualẽ habebunt oppositionẽ. Huic argumẽto aliqui non improbabiliter respõdent, quod duæ propositiones contrariæ claudunt, & inferunt duas contradictorias, non tamẽ earum oppositionem. Sed contra est. Oppositio contradictoria est relatio cõsequuta ad duas propositiones oppositas cõtradictoriè; ergo si contrariæ claudunt duas contradictorias, etiam continebunt earum oppositionem. Omissa tamen ista solutione ad argumentum resp. distinguendo antec. Duæ propositiones contrariæ claudunt, & inferunt duas contradictorias aliquo modo, concedo antec. claudunt, & inferunt simpliciter duas contradictorias, nego anteced. & conseq. Ad probationem distinguo anteced. causa quæ simpliciter est causa. concedo antec. causa quæ aliquo modo solum est causa, subdistinguo antec. debet æquare aliquo modo in perfectione effectum, concedo antec. debet æquare simpliciter effectum, nego ant. & conseq. Quæ distinctio

desumitur ex D. Thom. opusc. 48 in veris iā relatis, & explicatis in principio huius quæstionis. Etenim id quod propositio vniuersalis addit supra particularē, facit quod minuatur, oppositio, & quod non claudatur simpliciter oppositio contradictoria in contraria. Ad probationē cōseq. dicatur, quod sicut oppositio cōtraria solū aliquo modo est causa oppositionis contradictoriæ, ita aliquo modo æqualis est oppositioni contradictoriæ: & sicut solū est causa oppositionis cōtradictoriæ, quantū ad repugnantiā in veritate, vt iam dictum est, ita in hoc æqualis est oppositioni contradictoriæ. Ita enim repugnant duæ contrariæ in veritate, sicut duæ cōtradictoriæ, & sicut oppositio cōtraria nō est causa oppositionis contradictoriæ, quātū ad repugnantiā in falsitate, vt dictū est, ita quantū ad istā repugnātia non est æqualis oppositioni contradictoriæ, sed ab illa exceditur. Sicut actus scientificus, quālis sit causa habitus, exceditur ab habitu in vniuersalitate; eo quod actus scientificus, licet sit causa entitatis habitus, tamē non est causa vniuersalitatis illius, quæ à potentia causatur, & nō ab actu. Et quidē quālis admitteremus oppositionē contrariā esse causam simpliciter oppositionis cōtradictoriæ, & illā simpliciter inferre, ex hoc tamen non probatur oppositionē cōtrariam esse maiorē contradictoria, vel illi æqualem. Cuius ratio est. Nā oppositio cōtraria solū est causa logica oppositionis contradictoriæ, siquidē solū causat illā per logicā sequelā: & cū in bona conseq. licet nō possit dari antecedens verum, & consequens falsum, possit tamē dari antecedens falsum, & cōsequens verū; quādoquidē hæc est bona conseq. *homo est lapis; ergo homo est substantia*, in qua antecedens est falsum, & cōsequens verum: hinc prouenit, quod ex eo quod duæ contrariæ inferāt duas contradictorias, solum sequatur, quod si duæ contrariæ darentur simul veræ, etiam duæ contradictoriæ darentur simul veræ, non tamen sequitur, quod si duæ cōtrariæ dantur simul falsæ, dentur etiam simul falsæ duæ contradictoriæ; eo quod in bona conseq. potest antecedens esse falsum, & consequens non esse falsum, ac proinde ex eo quod duæ contrariæ inferant duas cōtradictorias, non benè prob. quod ita opponātur contrariæ, sicut contradictoriæ. Insuper alia poterat assignari ratio. Nā causa debet excedere in perfectione effectum, vel saltim illū æquare: cū autē oppositio contradictoria de genere mali sit: hinc prouenit, quod causa oppositionis contradictoriæ nō debet habere tantā oppositionē, ad hoc, quod non habeat tātum malū, & in perfectione effectū excedat; sicut potentia est causa actus peccaminosi & tamē non est æquè mala, ac actus peccami-

nosus; quia quando effectus est de genere mali, non requiritur, quod causa sit æquè mala, ac effectus, sed potius oppositum desideratur.

5 Obij. 3. Maiori distantia distãt propositiones oppositæ cõtrariè, quã oppositæ cõtradictoriè; ergo magis opponũtur cõtrariè, quã subcontrariæ, & cõtradictoriæ. Prob. ant. Hæc propositio, *aliquis homo non disputat*, mediat inter has; *omnis homo disputat*, *nullus homo disputat*; ergo maior distãtia est inter has propositiones *omnis homo disputat*, *nullus homo disputat*, quã inter has *omnis homo disputat*, *aliquis homo non disputat*. Prob. conseq. Magis distãt extrema inter se, quã à medio, & magis distant inter se extrema, quã mediũ ab vtroque extremo; quando quidẽ mediũ debet participare de vtroque extremo; ergo magis distant inter se contrariæ, quã cõtradictoriæ. Resp. disting. antec. maiori distantia posita cõcedo ant. maiori distantia, vel vt negatiua, & logica, nego ant. & conseq. Itaque (vt aduertit noster Eminentissimus Caietanus, lib. post prædicamentorũ, cap. de Oppositis, & 2. 2. q. 79. art. 4.) distãtia est duplex, alia est positiua, quæ versatur inter duo entia quorum quodlibet distat ab alio, alia est velut negatiua, id est, non conueniẽtia. Loquẽdo de distãtia in prima acceptione, maior est distantia duorũ oppositorum contrariè, quã distantia duorum oppositorũ contradictoriè; loquendo verò de distãtia in secunda acceptione, maior est distãtia oppositorum contradictoriè; eo quod opposita cõtradictoriè maiorẽ habent repugnãtiã, & incõpatibilitatẽ, quã opposita cõtrariè. & quia ex hac distantia desumitur latitudo oppositionis; hinc fit, quod in latitudine oppositionis maior est oppositio contradictoria, quã contraria, quamuis in latitudine entis, & discessus localis maior sit oppositio cõtraria; vnde ea, quæ maximè distãt sub eodẽ genere positiuo contrariè opponuntur; sunt enim contraria, quæ sub eodem genere sunt, & ab eodẽ subiecto mutuo se expellunt; contradictoria autẽ absolutè maximè distant, & non petunt conueniẽtiam in genere, quo circa maiorẽ habent distantiam sumptam pro repugnantia, & incompatibilitate. Ad probationẽ conseq. dicatur, quod quãuis extrema physica magis distent inter se distãtia physica & positiua, quam à medio, extrema tamen logica magis distant distantia logica, & veluti negatiua à medio, quam inter se; eo quod magis incompatibilia sunt cum medio, quàm inter se; ac per cõsequẽs ex illo, quod argumentũ supponit, nihilum, quod inter contraria darur medium, secus vero inter cõtradictoria probatur, quod oppositio contradictoria est omnium maxima.

6 Obij. 6. In physicis oppositio

cõtraria æqualis est oppositioni cõtradictoriæ; ergo etia in logicis. Prob. ant. Album, & nigrum in gradibus intensis ita incõpatibilia sunt, sicut ens, & non ens; ergo in physicis oppositio contraria æqualis est oppositioni cõtradictorię. Prob ant. Sicut enim ens, & non ens non possunt cõponi adhuc de potentia Dei absoluta, ita albũ, & nigrũ, in gradibus intensis non possunt cõpati in eodem subiecto adhuc de potentia Dei absoluta in probabili sententia; ergo albũ, & nigrũ in gradibus intensis, ita incõpatibilia sunt, sicut ens, & non ens. Confirm. Peccatum oppositum cõtrariè virtuti grauius est peccato virtuti cõtradictoriè opposito; ergo oppositio cõtraria maior est oppositione contradictoria. Ant. constat. Peccatũ enim commissionis grauius est peccato omissionis: & tamen illud opponitur cõtrariè virtuti, & istud illi opponitur contradictoriè, ergo antec. est verum. Conseq. autem prob. Nam illud peccatũ est grauius, quod magis virtuti opponitur; ergo si peccatum oppositum contrariè virtuti, est grauius peccato virtuti contradictoriè opposito, maiorẽ oppositionem habebit cũ virtute; quam peccatum virtuti contradictoriè oppositum. Resp. neg. antec. Ad probationem nego antec. ad cuius probationem distinguo antec. in ordine ad compatibilitatem in eodem subiecto admitto antec. absolutè, & simpliciter nego antec. & conseq. Quamuis enim admittamus contraria in gradibus intẽsis esse in eodẽ subiecto essentialiter incõpatibilia, inde tamẽ nõ infertur habere tã tã oppositionẽ, quantam habent cõtradictoriè oppositæ; eo quod cõtraria nec negãt, nec destruũt subiectũ, nec ex negatione vnius sequitur positio alterius, licet ex positione vnius sequatur negatio alterius. At verò cõtradictoriè oppositæ negãt, & destruunt subiectũ, & ex negatione vnius sequitur positio alterius, & ex positione vnius sequitur negatio alterius; quapropter contraria, nanquã habent tantã oppositionẽ, sicut cõtradictoriè oppositæ. Ad confirmationem concedo antec. & nego conseq. Ad probationem distinguo antec. illud peccatum est grauius, quod magis virtuti opponitur intra distãtiam positiuam, concedo anteced. intra distantiam absolutam, & negatiuam nego antecedens, & consequentiã. Grauitas enim peccati desumitur ex distantia positiua, & ex contrarietate ad regulas rectæ rationis: & cum magis contrarietur regulæ rectæ rationis ille, qui positiuè operatur contra legem, quam ille, qui negatiuè se habet non operãdo bonum, quod tenetur operari: hinc prouenit, quod illud peccatum est grauius, quod intra distantiam positiuam: & physicam magis opponitur virtuti:

cæ-

cæterum cum distantia negatiua semper importet maiorē oppositionem, quam distantia physica, & positiua, inde est, quod peccatum contradictor è oppositum cum virtute, quamuis non sit grauius peccato illi contrarie opposito, habet tamē maiorem oppositionem cum virtute. Vel secundo dicatur, quod licèt peccatum contrariè oppositū cum virtute habeat maiorem oppositionem moralem cum illa, quam peccatum illi oppositum contradictoriè, tamen non habet maiorem oppositionem logicam, seu dialecticam, eo quod maior est oppositio negatiui cum positiuo, quàm positiui cum positiuo.

7 Obijcies quinto. Oppositio contraria non mensuratur à contradictoria; ergo oppositio contraria non est contradictoria minor. Prob. antec. Oppositio cōtraria sub conceptu conuenientiæ in falsitate non mensuratur à contradictoria; siquidem sub isto conceptu non importat oppositionem, sed conuenientiam, nec etiam sub conceptu repugnantiæ in veritate à contradictoria mensuratur; ergo sub nullo conceptu oppositio contraria mensuratur à contradictoria. Antec. pro prima parte remanet probatum, & pro secunda prob. ita repugnant duæ contrariæ in veritate, sicut duæ contradictoriæ; ergo in hoc conceptu repugnantiæ in veritate cōtrariæ, & contradictoriæ æqualē habēt oppositionē: sed æquale ab æquali non potest mensurari; ergo oppositio contraria sub conceptu repugnantiæ in veritate non potest à contradictoria mensurari; ac per consequens sub nullo cōceptu mensuratur à contradictoria. Respondetur negando antec. Ad probationem distinguo antecedens sub conceptu conuenientiæ in falsitate præcisiuè sumpto concedo antecedens, sub conceptu conuenientiæ in falsitate non præcisiuè, sed prout coniungitur cum conceptu repugnantiæ in veritate, nego antecedēs, & consequentiam. Itaque in oppositione contraria duplex, quasi inadæquatus conceptus distinguibilis est, nimirum conceptus pugnæ in veritate, & conceptus conuenientiæ in falsitate. Pariformiter in oppositione contradictoria duplex inuenitur, quasi inadæquatus conceptus, nempè conceptus pugnæ in veritate, & conceptus pugnæ in falsitate, igitur conceptus pugnæ in veritate in cōtrarijs prout præscindit à conceptu conuenientiæ in falsitate, non mensuratur à conceptu pugnæ in veritate reperto in contradictorijs, prout iste conceptus in contradictorijs præscindit à conceptu pugnæ in falsitate, quia cum hac præcisione idem met est conceptus pugnæ in veritate in vtraq; oppositione, & talis conceptus cum tali præcisione non constituit oppositionem contrariam, nec contradictoriam, sed vtrāq; cōstituit, prout coniungitur cum

altero conceptu ; quia tamen prout coniungitur cum conceptu conuenientiæ in falsitate, in qua cõsideratione constituit oppositionẽ contrariã, dicit minorẽ oppositionẽ; quia solum dicit pugnã in veritate, & non in falsitate: hinc prouenit, quod tota oppositio cõtraria in ratione oppositionis mensuretur à contradictoria, à qua deficit in ratione oppositionis. Quandoquidẽ cõtradictoria dicit, & importat vtrãque pugnam, nempè in veritate, & falsitate; quo circa totus conceptus constitutiuus oppositionis cõtrariæ mẽsuratur à toto conceptu constitutiuo oppositionis contradictoriæ.

8 Obij. vlt. Oppositio priuatiua non habet mediũ; ergo est æqualis oppositioni contradictoriæ. Respõdebis neg. ant. quia opposita priuatiuè in subiecto conueniunt, quæ conuenientia oppositionẽ minuit. Sed cõtra replicatur. Etiam propositiones cõtradictoriæ conueniunt in subiecto; ergo solutio est nulla. Prob. ant. Oppositio contradictoria est affirmatio, & negatio eiusdem de eodẽ; ergo propositionis oppositæ contradictoriè, etiam conueniunt in subiecto. Resp. solutionem datam esse legitimam; & ad replicam dicatur oppositionem contradictoriam ex conceptu oppositionis cõtradictoriæ, nũquam petere idem subiectum vtriusque contradictorij, licet ex conceptu peculiari oppositionis contradictoriæ dialecticæ petat idem subiectum in voce, & permittat idem subiectum in re, si non sit prima oppositio contradictoria, sicut est illa, quæ verfatur inter ens, & non ens, quæ non permittit idem subiectum in re; quod totum prouenit ex eo, quod oppositio contradictoria dialectica versatur inter duas propositiones, quæ petunt habere idem subiectum, & prædicatum in voce, & quod in re non sit diuersum, quamuis non sit idem, sed vna habeat subiectum in re, & alia nullum in re habeat subiectum; nam hoc obiectum *non disputans*, quod est obiectum huius propositionis, *Petrus non disputat*, non petit subiectum; cũ eodẽ modo verificetur per hoc, quod sit Petrus, & non disputet, ac per hoc, quod non sit Petrus; quo circa obiecta propositionũ contradictoriarum per se non conueniunt in subiecto, nec illud exigunt: & cum ab eo *quod res est, vel non est* propositio dicatur vera, vel falsa, opposita, vel non opposita: hinc prouenit, quod si obiecta contradictoriarum non petunt per se idem subiectum, etiam ipsæ propositiones contradictoriæ, quatenus sunt signa talium obiectorum, nõ petant per se idem subiectũ in re, sed solum in voce; siquidem negatiua potest per non suppositionem extremorum verificari; ex quo solum infertur, quod ipsæ propositiones contradictoriæ in ra-

ratione totius enunciatiui non opponantur contradictoriè; siquidē vtraque est totū enunciatiuum, non tamen infertur, quod earum obiecta non opponantur contradictoriè, & petāt idem subiectum in re: at verò oppositio priuatiua ex conceptu suo essentiali petit idem subiectū in re vtriusque priuatiui; eo quod *cæcus* verbi causa non dicitur, nisi de subiecto habente potentiā, & aptitudinem ad visionem, ac proinde cæcus est simul in potētia, & aptitudine cum vidente, & petit idem subiectum, ac videns; cæterum non videns non petit subiectum cum aptitudine ad videndum; siquidem potest dici de lapide; vnde non est eadē vtriusque ratio.

QVÆSTIO II.

Vtrùm duæ contradictoriæ possint dari simul veræ, aut simul falsæ?

1 REsolutoriè dicendum est duas contradictorias nō posse esse simul veras, aut simul falsas. Hæc conclusio constat ex diffinitione oppositionis cōtradictoriæ tradita à nostro sapientissimo Magistro, in qua dicitur, quod contradictoriæ debent in veritate pugnare, & etiā in falsitate. Contra quam. Obijcies 1. Istæ propositiones, *Petrus habet equum*, *Petrus non habet equum* sunt contradictoriæ: & tamen sunt simul veræ; ergo duæ cōtradictoriæ dantur simul veræ. Minor prob. Nam in primis casu, quo Petrus habeat equū, & etiā aliud animal affirmatiua est vera, & etiā negatiua; ergo dantur simul veræ. Anteced. pro prima parte est certum, & pro secunda probatur. Benè valet, *Petrus habet non equum; ergo Petrus non habet equum.* Antec. est verum; ergo & consequens. Minor cū cōseq. constat. Maior autem prob. Nā argumēramur ab affirmatiua ad negatiuā variato prædicato penes finitum, & infinitum; ergo benè valet. Confirm. Istæ sunt contradictoriæ, *Adam fuit omnis homo*, *Adam non fuit omnis homo*: & tamen sunt simul veræ; ergo duæ contradictoriæ sunt simul veræ. Minor prob. In primis affirmatiua est vera, & etiam negatiua; ergo dantur simul veræ. Anteced. pro prima parte patet. Nam affirmatiua facit hunc sensum, Adam in aliquo tempore fuit omnis homo: sed in hoc sensu affirmatiua verificatur pro illo tempore, in quo fuit Adā ante existentiam alterius hominis; ergo affirmatiua est vera, & pro secunda parte etiam probatur ant. Benè valet, *Adam fuit non omnis homo; ergo Adam non fuit omnis homo*: sed antecedens est verum; siquidem verificatur pro illo tēpore in quo iam erant alij homines; ergo & cōsequens, ac proinde propositio negatiua, etiam est vera. Respond. conced. mai. & negando min. In illo enim casu propositio negatiua est falsa, & illa consequētia non valet; eo

quod licet sit ab affirmatiua ad negatiuã variato prædicato penes finitum, & infinitum, tamen in illa cõmittitur alius defectus, nimirum quia arguitur à nõ distributo ad distributum. Nam in antecedenti cum negatio verbũ non præcedat, sed subsequatur, remanet participium *ens* inclusum in verbo nõ distributum, & facit antecedens hunc sensum, *Petrus habet aliquid quod non est equus*; in consequenti vero, cum negatio antecedat verbum, distribuit participium *ens* in ipso inclusum, & fit iste sensus, *Petrus nihil habet quod sit equus*; vnde arguitur à non distributo ad distributum. Ad confirm. eodem modo respondetur illam consequẽtiam non valere; eo quod etiam in illa argumentamur à non distributo ad distributum; eo quod cum in antecedenti negatio non cadat supra verbum manet non distributum. & fiat indifferenter pro hoc, vel illo tempore præterito, & fit iste sensus. *Adam in aliquo tempore non fuit omnis homo*, in consequenti vero cum negatio cadat supra verbum distribuit pro omni tempore præterito, & fit iste sensus. *Adam in nullo tempore fuit omnis homo*; vnde arguitur in prædicta consequentia à non distributo ad distributum. Sed contra istam solutionẽ replicabis. Sequitur namque ex illa, quod nunquam sit bona cõsequentia ab affirmatiua ad negatiuam variato prædicato penes finitum, & infinitum: consequens est falsum; ergo & solutio. Sequela probatur. Si enim aliqua consequentia ab affirmatiua ad negatiuam variato prædicato pœnes finitũ, & infinitũ esset bona foret ista, *Petrus est non albus; ergo Petrus non est albus*: sed in hac etiam arguitur à non distributo ad distributum; ergo ex prædicta solutione sequitur nũquam esse bonam consequentiã ab affirmatiua ad negatiuam variato prædicato penes finitũ, & infinitum. Minor prob. In antecedenti prædictæ consequentiæ negatio sequitur ad verbum, & illud non distribuit, nec participium in illo inclusum, in consequenti vero illius, negatio antecedit verbum, & illud & participiũ in ipso inclusum distribuit; ergo etiã in prædicta consequẽtia arguitur à non distributo ad distributum, ac proinde prædicta solutio tollit de summulis locum arguendi ab affirmatiua ad negatiuam variato prædicato penes finitum & infinitum, quod nullus dialecticorũ admittit. Resp. solutionem datam esse legitimã, & ad replicam, nego sequelam. Quando enim argumẽtamur ab affirmatiua ad negatiuã de verbo substantiuo temporis præsentis de tertio adiacente variato prædicato penes finitũ, & infinitũ, vt cõtingit in cõsequẽtia adducta in replica semper est bona cõseq. secus vero quando verbũ est adiectiuum, vel substantiuum ex-

extrinseci temporis, ideſt, præteritum, vel futurum. Cuius ratio eſt. Nã quando verbũ eſt ſubſtantiuũ tẽporis præſentis de tertio adiacente, cum ſit in propoſitione, in qua inuenitur diſtinctum prædicatũ ab ipſo, & ipſum verbũ vnicũ indiuiſibile inſtans includat, & ſit quaſi terminus ſingularis: hinc prouenit, quod cuius negatio ſupra ipſum cadat, illud non diſtribuat; eo quod quãdo eſt de tertio adiacente ex vna parte importat ſolum indiuiſibile inſtans, & ex alia ſolum habet rationẽ copulæ, & non includit participium; cũ ſit prædicatũ ab ipſo diſtinctum, vnde ſolum habet rationẽ copulæ, ſub qua ratione eſt incapax diſtributionis; quo circa negatio ſupra illũ cadens ipſum non diſtribuit: at vero quando verbum eſt adiectiuum, vel ſubſtantiuum intrinſici, vel extrinſici temporis de ſecundo adiacente: cum adiectiuum ſemper includat participium, & ſubſtantiuum de ſecundo adiacẽte obtineat rationem prædicati, & includat participium, & ſi eſt extrinſici temporis de tertio adiacente includit plura inſtantia temporis, pro quibus poteſt diſtribui: hinc prouenit, quod in omnibus iſtis caſibus capax eſt diſtributionis, in quibus omnibus nunquam valebit conſequentia ab affirmatiua ad negatiuam variato prædicato penes finitum, & infinitum, quia ſemper prædictus committetur defectus. Fortaſis infra de hoc iterũ ſermo redibit.

2 Obij. 2. Iſtæ propoſitiones ſunt cõtradictoriæ, *Antichriſtus eſt in æternitate, Antichriſtus non eſt in æternitate*: & tamẽ dantur ſimul veræ; ergo noſtra concluſio eſt falſa. Minor prob. In primis affirmatiua eſt vera; & quod negatiua ſit vera probat. Benè valet, *Antechriſtus eſt non in æternitate; ergo Antichriſtus non eſt in æternitate*: ſed antecedens eſt verum, quia in æternitate, & eſſe, & non eſſe reperitur, cum totum tempus ambiat; ergo conſequens etiam erit verum. Confirm. Iſtæ ſunt contradictoriæ, *natura ſecundum ſe eſt determinata, natura ſecundum ſe non eſt determinata*: & tamen dantur ſimul falſæ; ergo idem quod prius. Maior conſtat; cum ſubiectum harum propoſitionum ſupponat ſimpliciter, & quaſi ſingulariter. Min. vero prob. In primis affirmatiua eſt falſa, vt docet D. Thom. c. 4. de ente, & eſſentia; nã ſi natura ſecundum ſe eſſet determinata, etiã in quolibet ſtatu determinata foret, quod eſt falſiſsimum. Et quod negatiua ſit falſa etiã prob. Nam benè valet, *natura ſecundum ſe non eſt determinata, & natura ſecundum ſe eſt; ergo natura ſecundum ſe eſt non determinata*: ſed conſequens eſt falſum, vt docet Angelicus Magiſter in eodem loco; quia aliàs in omni ſtatu

si tu esset non determinata; ergo etiam antec. falsum erit. Maior autem etiam patet. Argumentamur enim a negatiua ad affirmatiuam variato prædicato penes finitum, & infinitum, & posita cõstantia subiecti; ergo benè valet. Respond. omissa solutione aliquorum asserentium non esse inconueniens in æternitate dari duas contradictorias simul veras, aut simul falsas, in quam inclinat noster Eminẽtissimus Caietanus 1. par. quæst. 14. art. 3. de quo videatur sapientissimus Magister Bañez 1. par. quæst. 10. art. 3. dub. 1. ad vlt. argum. ex cuius doctrina ad argumentum dicatur prædictas propositiones contradictorias esse, non tamen dari simul veras; quia negatiua est falsa. Ad cuius probationem dicatur antecedens illius consequentiæ esse falsum, & etiamsi verum esset, conseq. est mala, & ita nihil probat argum. Antec. quidem est falsum, quia implicat contradictionem. Impossibile enim est, quod aliquis habeat, & habeat non esse; eo quod si habet aliquid, debet esse aliquid, vt possit aliquid habere. Conseq. etiã est mala; quia committitur in ipsa defectus à non distributo ad distributum; quo circa duplici pede claudicat. Ad confirm. cõcessa mai. nego min. Licèt enim propositio affirmatiua falsa sit, negatiua tamen est vera. Tr ad prob. nego illam conseq. bonam esse; quoniam in illa committitur defectus appellationis proueniẽtis ab illa particula *secundum se*, quæ diuersimodè appellat in antecedenti, ac in consequenti. Et instatur in ista consequentia, *Petrus per se non est albus, & Petrus per se est*; ergo *Petrus per se est non albus*, in qua antecedens manifestè est verum; cum Petro non cõueniat per se quod sit albus, consequens autem absque dubio est falsum, & regulariter quotiescũque sit aliqua particula appellationem faciens, nunquam erit bona consequentia à negatiua ad affirmatiuam variato prædicato penes finitum, & infinitum, quãtumuis ponatur constantia subiecti; quàm doctrinam lato, & erudito calamo tradit, & explicat noster Eminentissimus Caietanus, cap. 4. de ente, & essentia, q. 7. & nos etiam latè tetigimus, lib. 3. Logicæ, quæst. 3.

3 Obiec. 3. Istæ sunt contradictoriæ, *homo est species*, *nullus homo est species*: & tamen dantur simul veræ; ergo nostra conclusio est falsa. Min. prob. In primis affirmatiua est vera, & quod negatiua etiam sit vera prob. Benè valet. *Hic homo non est species, & hic homo non est species*; ergo *nullus homo est species*: antecedens est verum; cum hæc prdicatum species non verificetur de singularibus; ergo etiam consequens verum erit. Confirm. Istæ sunt cõtradictoriæ, *à quolibet homine quilibet homo differt*, *ab aliquo homine aliquis homo non differt*: & tamen dan-

dantur simul veræ; ergo nostra conclusio est falsa. Maior patet ex forma, & dispositione terminorum. Min. vero prob. Benè valet, *ab hoc homine quilibet homo differt, & ab hoc homine quilibet homo differt; ergo à quolibet homine quilibet homo differt*: antecedens est verum; ergo & consequens; ac proinde propositio affirmatiua est vera. Maior patet; quia ascendimus copulatiuè sub termino supponēte distributiuè. Quod autem negatiua etiam sit vera prob. Benè valet, *ab hoc homine aliquis homo non differt, vel ab hoc homine aliquis homo non differt; ergo ab aliquo homine aliquis homo non differt*: sed antecedens est verum; cùm sit vna disiunctiua, cuius vna pars est vera; nam signato Petro verum est dicere, ab hoc homine aliquis homo, scilicèt, ipse Petrus non differt; ergo etiā consequens verum erit. Resp. neg. prædictas propositiones esse contradictorias; quia non seruatur in illis idem genus suppositionis, in affirmatiua enim subiectum supponit simpliciter, & in negatiua subiectū supponit personaliter; cum distributio impediat suppositionem simplicem, vt supra latè probauimus. Ad confirm. concessa mai. nego min. Affirmatiua enim est vera, & negatiua falsa. Et ad probationem dico, quod sub subiecto illius propositionis non licèt assignare idem suppositum, quod sub prædicato assignatur, ita vt fiat iste sensus, ab hoc homine idem homo non differt, propter reflexionem huius verbi differt, quod ex sua natura importat conuenientiam in aliquo, & differentiam in alio. Si autem admittatur posse signari idem suppositum ex parte vtriusque termini dicendum erit negatiuam esse veram, vt benè probat argumentum. Cæterū affirmatiua est falsa, quia signato eodem suppositō facit hunc sensum, hic homo verbi causa Petrus, differt à se ipso; eo quod debet signari suppositum propositionis negatiuæ, vt sint ambæ propositiones eiusdem de eodē.

4. Obiic. 4. Istæ sunt contradictoriæ, *Petrus qui currit disputat, Petrus qui currit non disputat*: & tamen dantur simul veræ; ergo nostra conclusio est falsa. Minor prob. Casu enim quo Petrus disputet, & currat, affirmatiua est vera, & etiam negatiua; ergo dantur simul veræ. Antec. pro 1. par. prob. Benè valet, *Petrus disputat; & ille currit*; ergo *Petrus qui currit disputat*. Antecedens est verum; cum sit vna copulatiua, cuius vtraque pars est vera; ergo & consequens. Quod autem negatiua etiam sit vera prob. Nam benè sequitur, *Petrus non disputat, vel ille currit*; ergo *Petrus, qui currit non disputat*; siquidem argumentamur à resoluentibus ad resolubilem in terminis singularibus: sed antecedens est verum; cum sit vna disiunctiua, cuius secunda pars est vera; ergo & con-

se-

sequens verum erit. Confirmatur. Ita sunt contradictoriæ, *quilibet equus hominis quilibet equus ipsiusmet est aliquis equus hominis aliquis equus ipsiusmet non est*: & tamen dantur simul veræ casu quo sint Petrus, Ioannes, & Paulus, & Ioannes possideat Brunelum cum Petro, & Fauelum cum Paulo; ergo idē quod prius. Min. prob. In primis affirmatiua est vera, nam signando sub subiecto determinabilis Brunelum, & sub determinatione Petrum, verifi a tur de illo quod sit quilibet equus ipsius met Petri; eo quod alium equum Petrus non possidet; ergo affirmatiua est vera. Quod autem negatiua etiam sit vera prob. Nam aliquis equus, scilicèt Brunelus Ioannis aliquis equus ipsius met non est, quia non est Fauelus, qui etiam est equus ipsius Ioānis; Brunelus enim non est Fauelus; ergo negatiua etiam est vera. Confirm 2. Istæ sunt contradictoriæ, *Brunelus cuiuslibet hominis currit. Brunelus cuiuslibet hominis non currit*: & tamen dantur simul falsæ; ergo idem quod prius. Min prob. In primis affirmatiua est falsa casu quo Brunelus à solo Petro possideatur, & non currat, nam est affirmatiua de subiecto non supponente; eo quod Brunelus in illo casu non est communis, sed particularis. Quod autem negatiua etiam sit falsa prob. Benè valet, *Brunelus cuiuslibet hominis non currit*; ergo *Brunelus istius hominis non currit, & Brunelus istius hominis non currit*: consequens est falsum; quia est vna copulatiua, cuius vna pars, nimirum illa, in qua designatur Petrus, falsa est; ergo & antecedens etiam erit falsum. Et quod benè valeat patet; siquidem descendimus disiunctiuè sub termino supponente distributiuè.

5 Resp. conc. mai. & negando min. In illo enim casu negatiua est falsa. Et ad probat. dicatur illa n consequentiam non esse bonam, nec resoluentes illius propositionis esse illas, quæ in argumento assignantur, sed sunt istæ. *Petrus nō disputat, vel nō ille currit*, eo quod in negatiuis debet etiam negari copula implicationis propter exigentiam contradictionis, vt supra latè probauimus. Ad primā confirmationem respōdetur admittendo illas propositiones esse contradictorias, & negando quod dentur simul veræ. Nam affirmatiua est falsa; facit enim hunc sensum, cuiuslibet hominis habentis equum, quilibet equus ipsius, quilibet equus ipsiusmet est; eo quod quando determinatio sequitur post determinabile distributum, distributio determinabilis est dependens à determinatione. Vel secundo dicatur illas propositiones non esse contradictorias. Cuius ratio est. Nā in vtraque manet eadem particularitas ex parte illius termini *equus* positi à parte prædicati; quia in negatiua includit particu-

cularitatem, eo quod particularizatur complete, in affirmatiua etiam includit particularitatem, quia distribuitur incomplete dependenter à determinatione. Ad vltimam admittimus illas esse contradictorias, & affirmatiuam esse falsam, quia est de subiecto non supponente, negamus tamen negatiuam esse falsam. est enim vera, quia est negatiua de subiecto non supponente. Et ad probationem dicatur, quod incomplexis acceptis vnica, quando determinatio distribuitur, non distribuitur in ordine ad prædicatum, vel ad alios terminos, sed solum in ordine ad determinabile, vnde debet resolui talis distributio in singulares omnes, collectiuè in ordine ad determinabile. Verbi causa, hæc propositio *Brunetus cuiuslibet hominis non currit*, non debet resolui hoc modo, *Brunelus istius hominis non currit, & Brunelus istius hominis non currit*, sed sic debet resolui, *Brunelus istius hominis, & istius hominis, & sic de singulis non currit*. Quapropter illa consequentia in argumento facta est mala, & in illa arguitur à non restricto ad restrictum quoad veritatē. Circa materiā de obliquis, quæ fastidiosissima est, & parum vtilis mihi videtur, & quia illam libenter omitto, aduertendum erit, quod quotiescunque complexum accipitur vnica, & determinatio distribuitur, determinabile accipitur quoad suppositionem, nō pro re particulari, sed pro re communi; quando vero complexum accipitur pluribus acceptionibus, si determinatio distribuitur determinabile, licèt quoad suppositionem possit accipi pro re particulari, quoad veritatem tamen propositionis semper debet accipi pro re communi. Plura alia de ista materia si attente legeris textum nostri sapientissimi Magistri lib. 3 Summularum cap. 3. lect. 4. notab. 5. videbis.

QVÆSTIO III.

Vtrùm duæ contrariæ possint dari simul veræ, aut duæ subcontrariæ simul falsæ?

1 REsolutoriè dicendū est, nec duas contrarias posse esse simul veras, nec duas subcontrarias simul falsas. Prima pars conclusionis probatur. Nam datis duabus contrarijs simul veris, duæ contradictoriæ simul etiam verificarentur: consequens est falsum; quia quodlibet est, vel non est; ergo & antecedens. Sequela probatur. Nam si istæ contrariæ *omnis homo currit, nullus homo currit*, sint simul veræ, assume veritatem negatiuę, & ex affirmatiua infert per bonam consequentiam, *omnis homo currit; ergo aliquis homo currit*, sed antecedens est verum, vt supponimus; ergo etiam consequens: tunc sic: sed consequens est propositio contradictoria vniuersalis negatiuæ, quam vt veram assumpsisti, ergo de primo

ad

ad vltimum verificatis duabus contrarijs etiam duæ contradictoriæ verificarentur. Ex eo tamen, quod duæ contrariæ dentur simul falsæ, non infertur duas cõtradictorias dari simul falsas; quia quamuis vniuersalis sit falsa, non inde infertur particularem ex illa illatam esse falsam; cum in bona consequentia possit antec. esse falsum, & consequẽs verum; vndè duæ contrariæ licèt non possint esse simul veræ, possunt tamen esse simul falsæ in materia contingenti, non tamen in materia naturali, vel remota. Cuius ratio est. Nam duæ cõtrariæ, ideò dantur simul falsæ, quia aliquæ singulares in illis virtualiter inclusæ sunt veræ, & aliquæ falsæ: sed hoc non potest contingere in propositionibus de materia naturali, vel remota; eo quod omnes singulares in hijs materijs sunt eiusdem rationis; ergo in talibus materijs duæ contrariæ non possunt dari simul falsæ, cognoscetur tamen, quod ex terminis possunt dari simul falsæ per translationem illarum ad contingentẽ materiam; & circa materiam propositionis præ oculis est habendum, quod propositio non est in materia naturali, quia est necessaria, sed quia prædicatum dicit habitudinem naturalem ad subiectum; vndè si prædicatum dicit habitudinem naturalem conuenientiæ ad subiectum, quamuis propositio sit negatiua, vel impossibilis, erit in materia naturali & si dicit habitudinem naturalẽ repugnantiæ ad subiectum, quãuis propositio sit necessaria, erit in materia remota, & eodem modo discurrendum est de materia cõtingenti. Quapropter istæ propositiones *homo est animal, homo nõ est animal, homo impossibiliter est animal*, sunt in materia naturali; & istæ *homo est lapis, homo non est lapis, homo impossibiliter est lapis*, omnes sunt in materia remota. Similiter omnes istæ propositiones *homo est albus, homo non est albus, homo possibiliter est albus*, sunt in materia contingenti. Cuius ratio est. Nam materia propositionis est habitudo prædicati ad subiectum; ergo materia propositionis solum attendit habitudinem prædicati ad subiectum, & nihil curat de veritate, aut falsitate, de necessitate, vel de contingentia propositionis. Secunda pars conclusionis simili modo prob. Nam falsificatis simul duabus subcontrarijs, simul etiam falsificarentur duæ contradictoriæ: sed hoc est impossibile; ergo impossibile erit, quod duæ subcontrariæ dẽtur simul falsæ. Sequela prob. Nãdatis hijs subcontrarijs, *homo currit, homo non currit*, simul falsis, assume falsitatem negatiuæ, & infertur per bonam consequentiam *omnis homo currit*; *ergo aliquis homo currit*: sed consequens est falsum; ergo & antec. erit falsum: sed antec. est propositio cõtradictoria propositionis particularis negatiuæ, quam assumpsisti

sisti, vt falsam; ergo de primo ad vltimum falsificatis simul duabus subcontrariis, etiam duæ cõtradictoriæ simul etiam falsificarentur. Ex eo tamen, quod duæ subcontrariæ simul verificentur, non sequitur duas contradictorias simul verificari; eo quod subcontrariæ, vtpotè particulares sunt propositiones illatæ, & in bona consequentia licèt si consequens est falsum, anteced. etiam debeat esse falsum, tamen si consequens est verum, non sequitur, quod antec. debeat esse verum. Quo circa licèt ex simultate falsitatis subcontrariarum sequatur simultas falsitatis contradictoriarum, ex simultate tamen veritatis subcontrariarum, non sequitur simultas veritatis contradictoriarum. Vndè in materia contingenti duæ subcontrariæ possunt dari simul veræ, licèt in materia natutali, vel remota, non possint dari simul veræ propter rationem assignatam in contrarijs.

2 Contra nostram conclusionem obijcies primo. Istæ propositiones *omnis homo, & equus sunt animalia, omnis equus & homo non sunt animalia*, sunt contrariæ: & tamen dantur simul veræ; ergo nostra conclusio est falsa. Min. prob. Casu enim, quo sint tantum duo homines albi, istæ similis formæ sunt veræ, *omnis homo & album sunt animalia omne album & homo*, non sunt animalia; ergo etiam præcedentes erunt simul veræ. Probat. antec. In primis affirmatiua est vera, vt constat; & quod negatiua sit vera prob. Benè valet, *hoc album, & homo non sunt animalia, & hoc album, & homo non sunt animalia; ergo omne album, & homo non sunt animalia*: antecedens est verum; ergo & cõsequens. Min. prob. Antecedens est vna copulatiua, cuius vtraque pars est vera; ergo antecedens est verum. Confirm. Istæ sunt contrariæ *tantum homo est animal, tantum homo non est animal*; & tamen non habent conditiones contrariarum; ergo falso ait noster sapientissimus Magister, quod propositiones, quæ habent legem contrariarum, habẽt etiã conditiones. Respond. neg. mai. Prædictæ enim propositiones sunt subcontrariæ; quia affirmatiua infertur ex contradictoria negatiuæ, & non infert illam. Benè enim valet, *equus & omnis homo sunt animalia; ergo omnis homo, & equus sunt animalia*, non tamen èconuerso. Insuper in vtraque non manet eadẽ vniuersalitas ex parte eiusdem termini. Ad confirm. dicatur prædictas propositiones esse contrarias virtualiter, eo quod inferunt duas contrarias. Obiic. 2. Datis duabus contrariis simul falsis, dantur etiam duæ contradictoriæ simul falsæ: sed hoc est impossibile; ergo impossibile erit dari duas contrarias simul falsas. Mai. prob. Positis istis duabus con-

contrarijs simul falsis, *omnis homo currit, nullus homo currit*, si vniuersalis affirmatiua est falsa, aliqua particularis sub illa contenta falsa erit: sed particularis est contradictoria vniuersalis negatiuæ, quam supponimus esse falsam; ergo eo ipso quod dentur duæ contrariæ simul falsæ, dantur etiam duæ contradictoriæ simul falsæ. Confirmatur. Illæ propositiones, *omnis homo est animal, & omnis homo est lapis, nullus homo est animal, & nullus homo est lapis*, sunt contrariæ in materia naturali, & remota: & tamē sunt simul falsæ; ergo in materia naturali, vel remota contrariæ possunt esse simul falsæ. Min. prob. Quia affirmatiua est vna copulatiua, cuius secunda pars est falsa, & negatiua est altera copulatiua, cuius vtraque pars est falsa, ergo vtraque contraria est simul falsa. Respond. negando sequelam. Ad probationem dicatur vniuersalem non esse falsam, quia aliqua particularis illius est falsa, sed quia aliqua singularis est falsa, & licèt singularis sit falsa, inde tamen non sequitur dari duas contradictorias falsas: quia singularis non est contradictoria vniuersalis, sed contraria, sicut istæ sunt contrariæ, *nullus homo currit, Petrus currit*. Ratio autem cur ad falsitatem vniuersalis non requiritur falsitas particularis, sed falsitas singularis est; quia ad hoc quod hæc propositio, *omnis homo currit* sit falsa, sufficit, & requiritur, quod aliquod individuū hominis non currat, hoc autem nō sufficit ad hoc quod hæc particularis, *homo currit sit falsa*: quia ad eius veritatem sufficit, quod aliquod individuum currat; cum eius subiectum supponat determinatè; ergo potest dari aliqua vniuersalis falsa, quin detur aliqua particularis falsa, & consequenter vniuersalis non est falsa, quia particularis est falsa. Ad confirmationem dicatur, quod in materia naturali, & remota, non possunt duæ contrariæ si sint cathegoricæ dari simul falsæ, secus autem contingit si sint hypotheticæ; quia cum hypotheticæ constent ex duplici parte, possunt esse simul falsæ falsitate tamen ex diuersa parte prouenientē, licèt ex eadem parte nunquā possit esse simul falsæ. Quæ doctrina etiam est intelligenda de subcontrarijs, quæ si sint hypotheticæ, etiam in materiam naturali, vel remota possunt esse simul veræ veritate ex diuersa parte prouenientē. In calce autem quæstionis aduertendum erit, quod quando propositiones sunt oppositæ qualitatis, & in affirmatiua inuenitur mai. restrictio, quā in negatiua, tales propositiones efficiuntur contrariæ. Quando autem in negatiua aliqua, vel mai. restrictio inuenitur, quæ nō est in affirmatiua, tales propositiones sunt subcontrariæ. Quæ doctrina est nostri sapientissimi Magistri in hoc tertio libro, lect.

vni-

vnica, notabili nono. Et quæ de oppositione deficiunt, in ipso possunt videri.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm sit bona consequentia, conuersio simplex, & per accidens?

1 SVppositâ diffinitione, vel descriptione conuersionis tradita a nostro sapientissimo Magistro, & similiter supponendo, quod propositio vniuersalis negatiua conuertitur simpliciter, & etiam per accidens, & simili modo vniuersalis affirmatiua conuertitur per accidens, & etiam per contrapositionem, particularis verò affirmatiua solum simpliciter conuertitur, & particularis negatiua solum per contrapositionem conuertitur; inquirimus an sit bona consequentia conuersio simplex, & per accidens in qua parte resolutoriè dicendum est vtramque conuersionem esse bonam consequentiam. Hæc conclusio ex solutione argumentorum. Constabit. Et contra illam. Obijcies primo. Istæ sunt malæ consequentiæ, *homo est species; ergo species est homo, homo est pictus; ergo pictus est homo*: & tamen in omnibus illis arguitur per conuersionem simplicem; ergo simplex conuersio non est bona consequentia. Confirmatur. Hęc est mala consequentia, *homo est animal; ergo animal est homo*: & tamen arguitur per simplicem conuersionem; ergo conuersio simplex non est bona consequẽtia. Maior probatur. Antecedens prædictæ consequentiæ est necessarium, & consequens est contingens; ergo est mala consequẽtia. Resp. concedendo maiorem, & negando minorem. Ad conuersionem enim simplicem requiritur, quod seruetur idem genus suppositionis: & cùm in prædictis consequentijs non seruetur idem genus suppositionis, vt de se est manifestum, ideò illæ consequentiæ non sunt per conuersionem simplicem. Ad confirmationem communis solutio negat maiorem, & ad probationem dicit, quod consequens illius consequentiæ absolutè sumptum est contingens, non tamen prout infertur. Nos tamen omissa ista solutione, ad argumentum, aliam solutionem assignauimus disputatione de verbo agentes de propositionibus, in quibus verbum absolutur à tempore. Et modo aliter potest ad argumentum responderi, scilicèt, negando maiorem; eo quod in prædicto consequentia variatur genus suppositionis, & arguitur à suppositione naturali ad suppositionem accidentalem, subiectum enim antecedentis supponit naturaliter, & subiectum consequentis supponit accidentaliter.

Obijcies 2. Hæc est mala 2 consequentia, *homo albus est animal*; ergo animal est homo albus: & tamen arguitur per simplicem conuersionem; ergo nostra conclusio est falsa. Maior constat. Nam antecedens est necessarium, & consequens contingens, teste Diuo Thoma 3. sent. dist. 10. quæst 1. artic. 1. quæstiunc. 3. vbi docet, quod quando totum prædicatum conuenit essentialiter alicui parti subiecti, propositio est essentialis, vt ista est essentialis, *homo albus est homo* Confirmatur primo. Hæc est mala consequentia, *album fuit nigrum; ergo nigrum fuit album*: & tamen arguitur per simplicem conuersionem; ergo simplex cõuersio non est bona consequentia. Respondebis non seruari in prædicta consequentia eandem restrictionem, & ampliationem extremorum; debet enim prædicta propositio sic conuerti, *album fuit nigrum; ergo nigrum, quod fuit nigrum, album est, vel fuit*. Sed contra replicatur. Seruata eadem ampliatione, & restrictione extremorum, non benè sequitur, *hominis equus fuit albus ergo album, quod fuit album, est, vel* fuit hominis equus; ergo solutio est nulla. Probatur antecedens, complexum in antecedenti accipitur pluribus, & in consequentiaccipitur vnica; ergo prædicta consequentia est mala. Secundo. Non benè valet, *creans est Deus, ergo Deus est creãs*; & tamen arguitur per conuersionem simplicem; ergo nostra conclusio est falsa. Respondetur solutionem in argumento insinuatam esse legitimam. Debet enim in conuersione simplici seruari eadem ampliatio, & restrictio, vt aduertit in hoc capitulo noster sapientissimus Magister. Ad replicam dicatur, quod in illa consequentia non seruatur eadem ampliatio & restrictio; nam in consequenti, cum complexum accipiatur vnica, est maior restrictio, quam in antecedenti, vbi accipitur pluribus; vndè prædicta propositio sic debet conuerti, *hominis equus fuit albus; ergo album, quod fuit album hominis equus est vel fuit*, vel complexum etiam in consequenti accipitur pluribus. Ad confirmationem dicatur, quod in illa consequentia variatur, quasi appellatio. Nam in antecedenti ly *est* dicit solum essentiam, & absoluitur à tempore, in consequenti verò dicit existentiam, & non absoluitur à tempore; vndè prædicta propositio sic debet conuerti, *creans est Deus; ergo Deus est substractum creationis*, & similiter hæc propositio, *album est corpus*, non debet conuerti; *ergo corpus est album*, sed debet conuerti hoc modo; ergo corpus est substractum albedinis.

3 Obijcies tertio. Hæc est ma-

mala consequentia, *omnis homo est albus*, ergo *aliquod album* est homo: & tamen est conuersio per accidens; ergo nostra conclusio est falsa. Maior probatur. Arguitur enim in prædicta consequentia à confusa ad determinatam ex parte de ly *albus* confusum in antecedenti, & determinatum in consequenti; ergo est mala consequentia. Confirmatur. Propositio particularis affirmatiua conuertitur per accidens in vniuersalem affirmatiuam; ergo non solum propositiones vniuersales conuertuntur per accidens. Antecedens probatur. *Baralipton* conuertitur ad *Barbara* conclusione conuersa per accidens; sed conclusio de *Baralipton* est particularis affirmatiua, & conclusio de *Barbara* est vniuersalis affirmatiua; ergo particularis affirmatiua potest conuerti per accidens in vniuersalem affirmatiuam. Respondetur cum sapientissimo Magistro Bañez, libro 3. Summularum capitulo quinto, illum defectum à confusa ad determinatam, tunc habere locum, quando in consequenti manet signum, quod erat confusionis causa in antecedenti, & idem terminus manet determinatè respectu eiusdem signi, alias enim nullus est defectus. *Benè enim valet omnis homo est animal; ergo homo est animal*; vndè non sufficit ad hoc, quod arguatur à confusa ad determinatam, quod aliquis terminus stet in antecedenti confusè, & in consequenti determinatè, sed requiritur, quod terminus, qui in antecedenti stat confusè in ordine ad aliquem terminum, in consequenti supponat determinatè in ordine ad eundem terminum eodem modo supponentem; sicuti verbi gratia, si diceremus *omnis homo est animal; ergo omnis homo est hoc animal*, in qua consequentia committitur defectus à confusa ad determinatam; quia arguitur à confusa ad determinatam ex parte eiusdem termini, & in ordine ad eundem terminum eodem modo supponentem: & cum in prædicta consequentia, & in omni conuersione per accidens, licèt prædicatum in antecedenti stet confusè, & in consequenti determinatè, quia tamen in antecedenti prædicatum stat confusum in ordine ad subiectum distributum, & in consequenti stat determinatum in ordine ad subiectum non distributum, sed determinatum: hinc prouenit, quod in prædicta consequentia, & in omni conuersione per accidens non arguatur à confusa ad determinatam ex parte eiusdem termini, & in ordine ad eundem terminum eodem modo supponentem, quod requirebatur, vt argumentum à confusa ad determinatam defectuo-

sum esset. Et quod iste defectus debeat sic explicari, conuincitur ex eo, quod si non ita explicetur, omnis syllogismus factus in *Darapti* est malus, eo quod semper est necessarium in isto modo, quod aliquis terminus sit in præmissis confusus, & in conclusione determinatus. Ad confirmationem dicatur, quod conclusio de *Baralipton* semper est propositio indirecta, cum sit modus imperfectus: & propositio particularis indirecta benè potest conuerti per accidens in vniuersalem. Regulæ autem pro conuersione assignatæ à nostro sapientissimo Magistro intelliguntur de propositionibus directis.

QVÆSTIO V.

Vtrùm conuersio per contrapositionem sit bona consequentia?

1 REsolutoriè dicendum est, conuersionem per contrapositionem esse bonam consequentiam fundatam in illis duabus regulis Aristotelis, quarum prima est *ab affirmatiua ad negatiuam variato prædicato penes finitum, & infinitum, est bona consequentia*, vt benè valet, *Petrus est homo; ergo Petrus non est non homo*; quæ regula etiam fundatur in hoc, quod duo termini contradictorij non possunt de eodem verificari. Nam si prædicta regula esset falsa, & dicta consequentia esset mala, antecedens illius esset verum, & consequens falsum, ac per consequens contradictorium consequentis erit verum; sed contradictorium consequentis est ista propositio, *Petrus est non homo*; ergo iam habemus has duas propositiones simul veras, *Petrus est homo. Petrus est non homo*, ac proinde duo termini contradictorij, *homo*, scilicèt, & *non homo* verificarentur de Petro. Secunda regula est *à negatiua ad affirmatiuam cum constantia subiecti variato prædicato penes finitum, & infinitum*, est bona consequentia, vt benè sequitur *Petrus non est albus, & Petrus est; ergo Petrus est non albus.* Quæ regula fundatur in hoc, quod duo termini contradictorij nequeunt falsificari simul de eodem. Quod patet. Nam si prædicta consequentia est mala, consequens illius, scilicèt, *Petrus est non albus*, est falsum, vndè iste terminus *non albus*, falsificatur de Petro, & cum antecedens prædictæ consequentiæ, scilicèt, *Petrus non est albus*, sit verum, necesse est, quod eius contradictorium, quod est hoc, *Petrus est albus* sit falsum; vndè de primo ad vltimum, si prædicta regu-

gula non esset vera duo termini contradictorij falsificarentur simul de eodem.

2 Contra istam conclusionem obijcies 1. Hæc est mala conseq. *Omnis homo est albus; ergo omne non album est non homo*: & tamen arguitur per contrapositionem; ergo conuersio per contrapositionem non est bona consequentia. Minor cum consequentia tenet. Maior verò probatur. Casu quo omnis homo sit albus, & nihil sit non album in mundo, antecedens est verum, & consequens falsum; cum sit propositio affirmatiua de subiecto non supponente; ergo consequentia est mala. Respondebis prædictam consequentiam esse malam, quia non arguitur per conuersionem per contrapositionem; eo quod quando conuertitur vniuersalis affirmatiua, debet poni constantia importãs existentiam subiecti consequentis, & alio modo nunquam erit bona consequentia, sed contra replicatur. Sed prædicta consequentia adhuc posita constantia subiecti consequentis est mala; ergo solutio est nulla. Probatur minor. Non benè sequitur, *omnis homo est albus, & aliquod non album est, ergo omne non album est non homo*, ergo prædicta consequentia, etiam cum constantia subiecti consequentis est mala. Probatur antecedens. Arguitur enim in illa à non distributo ad distributum ex parte de ly *non album*; ergo prædicta consequẽtia adhuc cum constantia est mala. Respondetur solutionem datam esse legitimam, quam expressè habet noster sapientissimus Magister in hoc capitulo, Lectione secunda, notabili quarto, vbi aduertit, quod quando conuertitur vniuersalis affirmatiua per contrapositionem, debet poni constantia subiecti consequentis, & quando conuertitur particularis negatiua, debet poni constantia ipsius particularis negatiuæ, aliàs conuersiones erunt malæ consequentiæ. Et ad replicam dicatur, quod in consequentijs inter medijs in vi quarum tenet prædicta conuersio, distribuitur constantia. Nam benè valet, *omnis homo est albus; ergo omne non album est non homo*, vbi ly non album distribuitur.

3 Obijcies secundo. Hæc est mala consequentia, *equus non est albus; ergo aliquod non album non est non equus*: & tamen arguitur per conuersionem per contrapositionem; ergo nostra conclusio est falsa. Dices, quod debet poni constantia subiecti; aliàs facilè instatur, si nullus sit equus in mundo, & sint aliqua non alba. Sed contra est. Adhuc posita cõstantia subiecti nõ benè sequitur, *homo animal non est, & homo est; ergo non animal non est non homo*. Respondebis prædi-

ctam propositionem cõuersam non esse de modo loquendi consueto; cum prædicatum antecedat copulam; & in ipsa committitur alius defectus, scilicèt, à non distributo ad distributum ex parte de ly animal. Sed adhuc replicabis. Hæc est mala cõsequentia, *hominis equus non est animal, & hominis equus est; ergo non animal non est non hominis equus:* & tamen propositio conuersa est de consueto modo loquendi, & prædicatum distribuitur; ergo solutio est nulla. Respondetur prædictas solutiones esse legitimas, & ad vltimam replicam dicatur in prædicta consequentia constantiam non rectè poni; erat enim sic ponenda, *& eiusdem hominis equus est*; eo quod debet poni pro eodem supposito, de quo negatur prædicatum.

4. Obijcies vltimo. Loci arguendi ab affirmatiua ad negatiuam, vel è conuerso variato prædicato penes finitum, & infinitum non sunt legitimi; ergo conuersio per contrapositionem, quæ in illis fundatur, non erit bona consequentia. Probatur antecedens. Non bene valet, *Brunelus est non Ioannes; ergo Brunelus non est Ioannis*: instatur enim si sit Petri, & Ioannis similiter non valet. *Petrus videt non hominem; ergo Petrus non videt hominem*. Instatur enim si videat hominem, & equum. Simili modo non tenet, *verbum diuinum est non homo; ergo verbum diuinum non est homo*. Instatur enim si verbum diuinum assumeret naturam leoninam, & humanam. Denique, semper quod arguitur per primam regulam, committitur defectus a non distributo ad distributum ex parte prædicati, vt supradictum est; ergo primo regula, vel locus arguendi non rectè traditur. Confirmatur. Non benè valet, *natura secundum se non est determinata*, & natura secundum se est; ergo natura secundum se est non determinata. Respondetur negando antecedens. Ad primam probationem dicatur in prædicta consequentiam non variari prædicatum penes finitum, & infinitum; eo quod prædicatum non est ly *Ioannis*, sed *ens Ioãnis*; vndè vt argueretur per regulam deberemus dicere *Brunelus est non ens Ioannis; ergo Brunelus non est ens Ioannis*. Et eodem modo respondetur ad secundam. Non enim variatur prædicatum. Nam prædicatum illius propositionis, *Petrus videt, non Ioannem*, est ly *videns* inclusum in verbo; vndè vt argueretur per regulam, debebamus dicere, *Petrus est non videns hominem; ergo Petrus non est videns hominem*. Ad tertiam dicatur illam consequentiam esse bonam, & non instari in casu posito. Nam licèt naturaliter idem non possit esse leo, & homo, benè tamen

su-

ſupernaturaliter ; quo circa ex eo quod aliquid ſit Ieo, non infertur, quod ſit non homo ; vndè antecedens illius conſequentiæ in prædicto caſu eſſet falſum. Ad vltimam dicatur, quod quãdo ly *eſt* eſt de tertio adiacente non habet rationem prædicati, ſed præciſè habet vnire prædicatum cum ſubiecto ; quo circa quando eſt de tertio adiacente, non includitur in illo participium, quod diſtribuitur. Recollantur dicta in quæſtione ſecunda huius diſputationis. Ad confirmationem reſpondetur, ſecundum locum arguendi non tenere cum iſta particula, *ſecundum ſe*, cum qua duo termini cõtradictorij de eodem ſimul falſificantur. In calce huius quæſtionis aduertendum eſt, quod in propoſitionibus modalibus de ly *poſſibiliter*, ſi modus affirmetur, valet conſequentia ab affirmatiua ad negatiuam ; ſecus autem ſi modus negetur. In propoſitionibus vero de ly *neceſſariò* valet conſequentia ab affirmatiua ad negatiuam, ſiue modus affirmetur, ſiue negetur. In propoſitionibus denique de ly *contingenter* ſpecialiter ſumpto, ſi modus negetur, non valet ab affirmatiua ad negatiuam, benè verò ſi modus affirmetur. Et hæc dicta ſufficiant de tota iſta diſputatione applicando litteræ noſtri ſapientiſſimi Magiſtri libro tertio Summularum à capitulo primo vſque ad capitulum ſextum per omnes eorum lectiones, & notabilia.

Diſputatio Decimanona, De modalibus, & Hypoteticis.

QVÆSTIO I.

Vtrùm differentiæ inter modalem compoſitam, & diuiſam rectè tradantur à noſtro ſapientiſſimo Magiſtro?

1 PRopoſitio modalis, ſic diffinitur à noſtro ſapientiſſimo Magiſtro, *eſt quæ modificatur aliquo modo determinante totam compoſitionem, & connexionem prædicati cum ſubiecto*; ſicut hæc propoſitio, *Petrum diſputare eſt poſſibile*. Modi autem determinantes totam compoſitionem, & reddentes propoſitionem modalem regulariter ſunt quatuor, *poſſibile*, icili èt & *impoſſibile*, *contingens*, & *neceſſe*, qui dupliciter poſſunt accipi, vel nominaliter, vt ly *poſſibile* vel aduerbialiter, vt ly *poſſibiliter*. Propoſitio enim modalis in cõpoſitam diuiditur, & diuiſam; *compoſita eſt, quæ facit ſenſum compoſitum*, diuiſa verò, *quæ fa-*

cit *sensum diuisum*. De quo plura in terminis ad Theologos 1. p. D. Thom. q. 14. art. 13. & solum loquimur cum Summulistis; sensus igitur compositus est, *quando actus importatus per prædicatum, coniungitur cum actu importato per subiectum pro eodem instanti*, sicut sensus huius propositionis, *album esse nigrum est possibile*, in qua denotatur, quod possibile est idem subiectum pro eodem instanti actu esse album, & nigrum. Sensus autem diuisus est *quando actus importatus per prædicatum coniungitur, non cum actu importato per subiectum, sed cum subtracto subiecti*, vt sensus illius propositionis, *album possibiliter est nigrum*, in qua non denotatur esse possibile, quod idem subiectum pro eodem instanti sit simul album, & nigrum, sed quod pro diuersis temporibus idem subiectum potest esse album, & nigrum; vnde in modali composita modus modificat valorem extremorum secundum suas formalitates, in modali verò diuisa, modus non modificat extrema secundum suas formalitates, sed vnum extremum modificat pro formali, & aliud pro materiali, & subtracto. Quibus positis, prima differentia inter modalem compositam, & diuisam assignatam à nostro sapientissimo Magistro in hoc capitulo, lectione prima, notabili sexto, est quod in modali diuisa modus accipitur aduerbialiter, vt si dicas, *Petrus possibiliter disputat*: & in composita accipitur nominaliter, & prædicatur de dicto, vt si dicamus, *Petrum disputare est possibile*. Quæ differentia sic debet intelligi, nimirũ, quod modus aduerbialiter sumptus ex meritis suis habet facere modalem diuisam; eo quod aduerbialiter sumptus ex meritis suis; & ex bona compositione grammaticali petit mediare inter partes dicti, & cum quando modus mediat inter partes dicti, siue nominaliter, siue aduerbialiter sumptus, exigat quod subiectum propositionis modalis prius resoluatur in suas singulares, & posteà examinetur veritas, aut falsitas iuxta exigentiam modi modificantis vnionem prædicati cum subiecto: hinc prouenit, quod modus aduerbialiter sumptus ex meritis suis, petat facere propositionem modalem diuisam. Et cũ modus nominaliter sumptus ex meritis suis petat prædicari de dicto, & quod veritas, vel falsitas propositionis modalis probetur iuxta exigentiam modi modificantis connexionem prædicati cum subiecto, & non per resolutionem subiecti in suas singulares: hinc prouenit, quod modus nominaliter sumptus ex meritis suis petat facere propositionem modalem cõpositã; tutius verò est has propositiones distinguere; quo circa noster Angelicus Magister 1. p. quæst. 14. art. 13. ad 3. argam. distinguit hanc propositionem, *omne scitum à*

Deo

Deo neceſſe eſt eſſe, illamque concedit in ſenſu compoſito, & negat in ſenſu diuiſo, ſenſit ergo Angelicus Præceptor prædictam propoſitionem vtrũque ſenſum facere poſſe; vndè licèt hæc differentia vniuerſaliter habeat verum tutius erit has propoſitiones, quæ ſub lite ſunt diſtinguere.

2 Secunda differentia, quæ verſatur inter modalem compoſitam, & diuiſam eſt, quod modalis compoſita eſt immediatè reſolubilis per ſuam officiantem quomodocumque ſupponãt extrema dicti, ſua officiens *eſt illa propoſitio, quæ remanet dempto modo* Exemplum eſt in hac propoſitione, *album eſſe nigrum eſt poſſibile*, quæ immediatè exponitur dicendo, *hæc propoſitio album eſt nigrum eſt poſſibilis*: modalis autem diuiſa, non eſt immediatè reſolubilis per ſuam officiantẽ, ſed prius debet reſolui in ſuas ſingulares ratione ſubiecti: ſicut hæc propoſitio, album poſſibiliter eſt nigrum non eſt immediatè reducibilis ad iſtam propoſitionem, *hæc propoſitio album eſt nigrum, eſt poſſibilis*, ſed debet prius reſolui ratione ſubiecti in ſuas ſingulares, dicendo, *album poſſibiliter eſt nigrum; ergo hoc album poſſibiliter eſt nigrum, vel hoc album poſſibiliter eſt nigrum, rurſus hoc poſſibiliter eſt nigrum, & hoc poſſibiliter eſt hoc album; ergo album poſſibiliter eſt nigrum*: quælibet autem reſoluens debet probari per poſſibilitatem ſuæ de inesſe, dicendo, *hoc eſt nigrum, eſt propoſitio poſſibilis, hoc eſt hoc album, eſt propoſitio poſſibilis*. Quæ differentia oritur ex eſſentia modalis compoſitæ, & diuiſæ. Cum igitur modalis compoſita habeat modum modificantem vnionem extremorum ſecundum ſuas formalitates, ideò immediatè reſoluitur per ſuam officiantem, in qua vnio extremorum ſecundum ſuas formalitates explicatur. In modali autem diuiſa, cum modus non modificet vnionem extremorum ſecundum ſuas formalitates, & vnum extremũ accipiatur formaliter, aliud vero, ſcilicèt, ſubiectum materialiter, & pro ſubſtracto accipiatur, cui poteſt quantitas conuenire: hinc prouenit, quod modalis diuiſa, antequam reſoluatur per ſuam officiantem, debet prius reſolui ratione ſubiecti in ſuas ſingulares. Ex quo infert noſter ſapientiſsimus Magiſter, quod in terminis irreſolubilibus modalis compoſita, & diuiſa ex eiſdem terminis conſtantes, ſunt formaliter æquipolentes: vt iſtæ, *Deus neceſſariò eſt Deus, Deum eſſe Deũ eſt neceſſe, Michael poſſibiliter eſt Michael, Michaelem eſſe Michaelem eſt poſſibile*. Tertia differẽtia, quæ aſsignatur à noſtro ſapiẽtiſsimo Mag. inter modalẽ compoſitã, & diuiſam eſt, quod in modali diuiſa quantitas attẽditur, ſicut in æternis cathegoricis: & hæc eſt vniuerſalis, *omne album poſſibiliter*

ter

ter est nigrum, & hæc particularis *aliquod album possibiliter nigrum*, modalis vero composita, nec est vniuersalis, nec particularis; eo quod dictum, quod est illius subiectum supponit singulariter, & quasi simpliciter, quantum ad hoc, quod non licet sub illo syllogizare. Nam quamuis aliquãdo possimus sub illo syllogizare, attamen non semper, sicut contingit in modali diuisa. Dictum enim modalis compositæ potest dupliciter considerari vel secũdum se, vel in ordine ad modum, qui prædicatur de ipso, primo modo consideratum est quantũ, iuxta naturam signi quo afficitur. Secundo verò modo inspectum, cum supponat pro veritate significata, quæ est eius immediatum significatum, & veritas sit quid singulare, ideò secundo modo consideratum est, quasi terminus singularis, & supponit quasi simpliciter.

3 Hijs suppositis, resolutoriè dicendum est differentias, assignatas à nostro sapientissimo Magistro, inter modalem compositam, & diuisam esse rectè traditas. Hæc conclusio ex dictis manet probata, & magis constabit ex solutione argumẽtorum, & contra illam. Obijcies 1. Hæc propositio, *possibiliter albũ est nigrum* est modalis cõposita: & tamen in illa modus accipitur adverbialiter; ergo prima differentia assignata à nostro sapientissimo Magistro non est rectè tradita. Maior prob. Prædicta propositio facit sensum cõpositum; ergo est modalis composita. Confirm. Hæc propositio, *album possibile est esse nigrum* est diuisa, & tamen in illa modus accipitur nominaliter; ergo idẽ quod prius. Respond. distingu. ẽdo maiorem, est composita formaliter, & ex dispositione terminorum, nego maiorem, est composita virtualiter, & æquiualenter, concedo maiorem, & minorem, & nego consequent. Prædicta enim propositio ex dispositione terminorum grammaticali exigebat, quod modus inter partes dicti mediaret, & faceret sensum diuisum; quia tamen antecedit modus aduerbialiter sumptus totam propositionem modalem faciendo, quod immediatè sit resolubilis per suã officiantem, ideò prædicta propositio virtualiter est modalis composita. Prima autem differentia inter modalem compositam, & diuisam intelligitur regulariter, & de propositionibus, quæ sunt modales formaliter compositæ, vel diuisæ. Per quod constat ad confirmationem. Illa enim propositio ex dispositione grammaticali terminorum exigebat esse modalẽ compositam; eo quod modus nominaliter sumptus ex bona dispositione petit prædicari de dicto: quia tamen mediat inter partes dicti, & facit, quod prædicta propositio non sit immediatè reducibilis ad

suam

suam officiantem, ideò non est modalis composita, sed diuisa, quamuis modus ex meritis suis exigeret ipsam esse modalem compositam, & ipsa ex immutata terminorum dispositione redditur modalis diuisa. Quæ solutio est nostri sapientissimi Magistri loco in prima differentia citato, vbi aduertit, quod quando modus aduerbialiter sumptus ponitur in fronte propositionis, redditur propositio modalis cōposita.

4 Obijcies 2. Non omnis modalis composita potest immediatè resolui per suam officiantem, nec omnis diuisa per resolutionem extremorum; ergo secunda differentia est nulla. Antecedens pro prima parte probatur. Hæc propositio est modalis cōposita, *omne animal esse hominem est possibile*. & tamen non potest immediatè resolui per suam officiantem; ergo non omnis propositio modalis composita est immediatè resolubilis per suam officiantem. Minor probatur. Non benè valet, *omne animal esse hominem est possibile; ergo hæc propositio est possibilis, omne animal est homo*; ergo prædicta propositio non est immediatè reducibilis ad suam officiantē. Probatur antecedens. Nam antecedens prædictæ consequentiæ est verum, & consequens est falsum; ergo non benè valet. Quod antecedens sit verum constat; & quod consequens sit falsum probatur. Benè valet, *omne animal est homo; ergo hoc animal est homo*, & hoc animal est homo: consequens est impossibile signatis brutis; ergo & antecedens. Antecedens principale pro secunda parte probatur. *Non benè valet, homo necessariò est secunda substātia, ergo hic homo necessariò est secunda substantia vel hic homo necessariò est secunda substantia*; ergo modalis diuisa non est immediatè resolubilis ratione subiecti. Respond. negando antecedens. Ad probationem pro prima parte dicatur illam consequentiam esse malam, cæterum non est à modali composita ad suam officiantem, nam sua officians non est ista, *omne animal est homo* absolutè sumpta, sed secundū quod dependet à particularitate de ly *possibile*: alias arguendo à modali composita ad suam officiantē arguerimur à distributione dependenti ad independentem distributionem; vnde si officians sumatur cum tali dependentia, erit bona conseq. à modali ad suā officiantem; cæterum si sumatur sua officiens cum tali dependētia, nō licet signare singularia subiecti distributi independēter, sed prius debet propositio officians reduci ad aliquod tempus, in quo omne animal sit homo, & tunc licebit descendere ad singularia. Ex quo infertur falsum syllogismum *omne animal est homo, equus est animal; ergo equus est homo*, non tenere, nisi medium

in

in maiori distribuatur completè, & tunc maior non est officians huius propositionis modalis, omne animal esse hominem est possibile, in qua subiectum incompletè distribuitur cum dependētia à particularitate de ly possibile. Ad probationem pro secūda parte antecedētis dicatur esse aliqua prædicata, quæ conueniunt naturæ cum præcisione à singularibus: & respectu horum prædicatorum terminus significans naturam habet quasi simplicem suppositionem, ita vt non liceat syllogizare sub illo, quamuis propositio non sit modalis, & huiusmodi est, hoc prædicatum *secunda substantia*, quo circa non licet syllogizare sub subiecto propositionis modalis diuisæ, quæ adducitur in argumento.

5 Obijcies tertio. Tam modalis composita, quā diuisa sunt immediatè resolubiles, & ratione subiecti, & per suas officiantes; ergo secunda differentia est nulla. Quod modalis composita sit immediatè resolubilis ratione subiecti probatur. Nam benè valet, *omnem hominem esse animal est necesse; ergo hunc hominem esse animal est necesse*, & sic de singulis. Similiter benè sequitur, *hominem esse album est possibile; ergo hunc hominem esse album est possibile, vel hunc hominem esse album est possibile*. Quod autem modalis diuisa sit immediatè resolubilis per suam officiantem probatur. Benè valet, *homo necessariò est animal, ergo hæc propositio, homo est animal, est necessaria*. Similiter benè valet, *omnis homo possibiliter non est albus; ergo hæc est possibilis, omnis homo non est albus*; ergo propositio modalis diuisa est immediatè reducibilis ad suā officiantem; & cum modalis cōposita immediatè sit reducibilis ad suam officiantem, & diuisa immediatè resolubilis sit ratione subiecti: hinc prouenit, quod tam modalis composita, quàm diuisa sint immediatè resolubiles, & ratione subiecti, & per suas officiantes, & consequenter secunda differentia est nulla. Respond. negando anteced. Ad probationem de modali composita dicatur, quod licet aliquando permittat resolutionem ratione subiecti, non tamen semper, nec talem resolutionem ex se vnquā postulat, sicut diuisa. Vel secundo dicatur, quod nulla modalis composita est immediatè resolubilis ratione subiecti omni resolutione subiecto debita. Dupliciter enim potest subiectum resolui, & ratione quantitatis in sua singularia, & ratione connotationis, qua connotatur conuenientia extremorum secundum suas formalitates pro eodem instanti; igitur subiectum modalis compositæ quamuis possit aliquando resolui ratione quantitatis, nunquam tamen potest immediatè resolui ratione connotationis, quod est proprium mo-

modalis cõpositæ, sicut est proprium diuisæ, quod eius subiectum immediatè resoluatur ratione connotationis; eo quod modalis diuisa non connotat cõuenientiam extremorum secũdum suas formalitates, pro eodem instanti. Ad probationem pro secunda parte constabit ex dicendis in quæstione sequenti.

6 Obijcies quinto. Propositio modalis composita est quanta iuxta exigentiam signi, quo afficitur; ergo tertia differentia est nulla Probatur anteced. Istæ propositiones *personam diuinam esse patrem est possibile, personam diuinam non esse patrem est necesse*, non sunt contradictoriæ: non ob aliam rationem, nisi quia vtraque est particularis; ergo propositio modalis cõposita est quanta. Confirm. 1. Subiectum huius propositionis, *omnem hominem disputare est possibile*, pro prima parte distribuitur; ergo est propositio vniuersalis. Patet conseq. Vt hæc propositio *cuiuslibet hominis equus currit* sit vniuersalis, sufficit, quod prima pars subiecti distribuatur; ergo similiter vt hæc propositio omnem hominem disputare est possibile, sit vniuersalis, sufficiet, quod prima pars subiecti distribuatur. Secundo. Sub modali composita licet syllogizare resolutione debita dicti; ergo est quanta. Anteced. prob. Benè valet, *omnem hominem esse animal est necesse, ergo hunc hominem esse animal est necesse*; & ergo sub modali composita licitum est syllogizare. Respondet. admittendo mai. & ditting. min. quia vtraque est particularis particularitate subiecti dicti, concedo min. particularitate totius propositionis, nego min. & conseq. Itaque licet propositio modalis composita non sit absolutè quanta, nihilominus tamen dictum illius consideratum secundum se est quantum, iuxta exigentiam signi quo afficitur; quo circa prædictæ propositiones non erunt contradictoriæ, quia licet vtraque non sit particularis; manet tamen in vtraque particularitas dicti. Sed contra replicabis dictum modalis compositæ est quantum; ergo tota modalis composita quanta erit. Prob. conseq. Ideò hæc propositio, *omnis homo disputat, est quanta*; quia eius subiectum quantum est: sed subiectum propositionis modalis est dictum; ergo si dictũ est quantũ, tota propositio modalis cõposita quanta erit. Respond. solutionem datam esse legitimam. Et ad replicam dicatur, quod in propositione modali composita duplex subiectum inuenitur, & subiectũ dicti, quod est subiectum minus principale totius propositionis; & subiectũ principale, quod est totum dictum: & licet primum subiectum sit quantum tamen secundum subiectum, scilicet, totum dictũ quatenus subijcitur modo non

est

ex quantum; eo quod secundum istam considerationem solum supponit pro veritate per ipsum significata: & cum denominatio propositionis desumatur à subiecto principali: hinc provenit, totam propositionem modalem compositam quantam non esse: at verò hæc propositio, *omnis homo est albus*, habet subiectum principale, quod est quantum, & supponit non pro aliqua veritate, sed pro personis, & ideò tota propositio est absolutè quanta. Ad primam confirmationem distinguo anteced. pro prima parte distributur secundum se, concedo antec. in ordine ad modum, cui subijcitur, nego antec. & conseq. Ad probationem concesso antecedenti negamus cõseq. Ratio discriminis est. Nam in hac propositione, *cuiuslibet hominis equus currit*, distribuitur subiectum distributionis, quod est totum, & principale subiectum totius propositionis: at verò in modali non distribuitur totum subiectum totius modalis compositæ, nec pars dicti, seu subiectum ipsius dicti, quatenus dictũ subijcitur modo, qui prædicatur de illo, vnde non est eadem ratio. Ad secundam confirmationem dicatur, quod licet sit licita illa syllogizatio, inde tamen non infertur propositionẽ modalem compositam quantã esse; eo quod illa syllogizatio tenet in virtute quantitatis dicti, non verò in vi quantitatis totius propositionis modalis compositæ.

QVÆSTIO II.

Vtrùm à modali composita ad diuisam, & à diuisa ad compositam sit bona consequentia?

1 TErè omnes, quos hucusque vidi constituunt hanc regulam generalem, nec à modali composita ad diuisam, nec à diuisa ad compositam est legitima cõsequentia, excepta consequentia, quæ fit à composita affirmatiua de ly *possibile* ad diuisam; ego verò resolutoriè dico primo. Modus arguendi à modali composita ad diuisam ex se est legitimus, & bona consequentia in affirmatiuis. Hæc conclusio prob. Quando antecedens plus exigit ad sui veritatem, Quam consequens est legitima consequentia. Sed propositio modalis composita plus exigit ad sui veritatem, si sit affirmatiua, quam diuisa; ergo à cõposita ad diuisam erit legitima consequentia. Maior cum consequentia tenet; minor verò probatur. Propositio modalis composita postulat, quod extrema secundum suas formalitates cõiungantur, iuxta exigẽtiam modi: sed diuisa hoc non postulat; ergo propositio modalis composita plus exigit ad sui veritatem, quam diuisa. Confirmatur. Propositio modalis composita facit sensum veluti appellatiuũ,

quem

quam non facit diuisa: sed ab appellante ad non appellantem est bona consequentia in affirmatiuis; ergo etiam à composita ad diuisam. Minor constat. Nam benè valet vidi Papam; ergo Papam vidi. Dixi hunc locum arguendi ex se esse legitimum, nã benè potest aliunde vitiari, vt posteà videbimus; hinc fit omnes istas esse bonas consequentias, *necessariò homo est animal; ergo homo necessariò est animal, impossibiliter omnis homo non est animal, ergo homo impossibiliter non est animal, non possibiliter omnis homo nõ est animal; ergo homo non possibiliter non est animal:* & cum subiecto distributo benè etiam valet, *necessariò omnis homo est animal; ergo omnis homo necessariò est animal, impossibiliter homo non est animal; ergo omnis homo impossibiliter non est animal, non possibiliter homo non est animal; ergo omnis homo nõ possibiliter non est animal*: similiter cum ly *possibiliter*, benè etiam valet *possibiliter album est nigrum; ergo album possibiliter est nigrum, non impossibiliter album est nigrũ; ergo album non impossibiliter est nigrum, non necessariò album non est nigrum; ergo album non necessariò non est nigrum.*

2 Dico secundo. A modali composita ad diuisam nunquam valet consequentia in propositionibus negatiuis. Hæc conclusio probatur. In propositionibus negatiuis non valet consequentia ab appellante ad non appellantem: sed modalis composita facit, quasi sensum appellatiuum; vt constat ex dictis; ergo in propositionibus negatiuis à modali composita ad diuisam nunquam tenet consequentia. Minor cum consequentia tenet. Maior autẽ probatur. Hæc est mala cons. q. Non vidi Papam; ergo Papam non vidi; instatur enim casu quo non vidissem Papam, quando erat Papa, & illum vidissem, quando erat Cardinalis; ergo in propositionibus negatiuus ab appellante ad non appellantem, non valet consequentia. Confirmatur. Facilius verificatur propositio modalis composita negatiua, quam propositio modalis diuisa negatiua, sed ab antecedẽti facilioris verificationis, quam consequens nunquam valet cõsequentia; ergo à propositione modali cõposita ad propositionem diuisam in negatiuis nunquam valet consequentia. Minor cum consequentia est nota. Maior autem probatur. Facilius enim verificatur, quod albedo, & nigredo non possunt conuenire eidem subiecto pro eodem instanti, quam quod illi nõ possint conuenire pro diuersis temporibus, vt de se est manifestum; ergo propositio modalis composita negatiua facilius verificatur, quam propositio modalis diuisa negatiua. Ex ista conclusione sequitur esse bonam consequẽt. à propositione modali diuisa negatiua ad compositam negatiuam.

uam. Quod patet oppositâ de causâ, & ratione. Vnde omnes istæ sunt bonæ consequentiæ, *aliquod animal necessariò est homo; ergo necessariò aliquod animal est homo*, impossibiliter album est nigrum; ergo album impossibiliter est nigrum, non possibiliter album est nigrum; ergo omne album non possibiliter est nigrū, necessariò omne album non est nigrum; ergo omne album necessariò non est nigrum, impossibiliter omne album est nigrū; ergo album non possibiliter est nigrum, necessario album non est nigrum; ergo album necessariò non est nigrum. Dico tertio. A modali diuisa ad compositam in affirmatiuis nunquā valet consequentia. Hæc conclusio probatur. A non appellante ad appellantem affirmatiuè nunquam valet consequentia: sed modalis diuisa non facit sensum appellatiuum, & composita illū importat; ergo à modali diuisa ad compositam affirmatiuè nūquam valet consequentia. Confirmatur. Facilius enim verificatur propositio modalis diuisa affirmatiua, quam composita; ergo à propositione modali diuisa ad compositam affirmatiuè nunquam tenet consequentia. Hinc fit omnes istas consequentias esse malas, album nigrum necessariò est; ergo necessariò album est nigrum. Similiter non valet album possibiliter est nigrum; ergo possibiliter album est nigrū, & sic de aliis. Dico vltimo. Modus arguendi à diuisa ad compositam de se est bonus, nisi aliunde vicietur. Hæc conclusio probatur. A non appellante ad appellantem negatiuè est bona cōsequentia, vt benè valet, *Papam non vidi, ergo non vidi Papam*; ergo à modali diuisa ad compositā negatiuè erit bona consequentia; vt istæ sunt bonæ consequētiæ, album necessariò non est nigrum, ergo necessariò album nō est nigrum, album possibiliter non est nigrum; ergo possibiliter album non est nigrum. Aduerte tamen, vt non decipiaris, in hoc modo impossibiliter, quod à propositione modali diuisa ad compositam de ly impossibiliter, si non ponatur in illis aliqua negatio, semper est bona consequentia, secus verò si in illis negatio ponitur; vt hæc est bona consequentia, album impossibiliter est nigrum; ergo album esse nigrum est impossibile; & similiter hæc est bona consequentia, album impossibiliter est nigrum; ergo impossibiliter album est nigrum; eo quod difficilius verificabitur antecedens, quam consequens. Ista autem est mala consequentia, *album esse nigrum est impossibile; ergo album impossibiliter est nigrum.* Eo quod facilius verificatur antecedens, quā consequens.

3 Contra primam conclusionem obijcies primo. Istæ sunt malæ consequentiæ, *prædestinatū*

sal-

saluari est necesse; ergo prædestinatus necessario saluabitur, omne volitū à Deo esse est necesse; ergo omne volitū à Deo necessariò erit: & tamen arguitur à modali cōposita ad diuisam affirmatiuè; ergo nostra conclusio est falsa. Confirm. Hæc est mala conseq. *possibiliter omne animal est homo; ergo omne animal possibiliter est homo*: & tamen arguitur affirmatiuè à composita ad diuisam; ergo nostra conclusio est falsa. Respondetur, quod ly necessariò dupliciter potest accipi; primo, quatenus dicit necessitatem consequentiæ, vel ex suppositione; & secundo quatenus significat necessitatem simpliciter, vel consequentis. Hoc supposito dico, quod quādo ly necessariò eodem modo accipitur in antecedenti, ac in consequenti, semper est bona conseq. à modali cōposita affirmatiuè ad diuisam, si tamen vno modo accipiatur in antecedenti, & alio modo in consequenti, non erit bona conseq. vnde prædictæ cōsequentiæ erūt bonæ, si ly necessariò in consequenti dicat solam necessitatem illationis, vel ex suppositione, quā dicit in antecedēti, secus vero si in consequenti dicat necessitatem simpliciter talem. Nostra autem conclusio intelligitur de modali composita & diuisa, in quibus ly necessariò accipitur eodem modo. Ad confirmationem dicatur illam consequentiam esse malam, quia viciatur per aliam regulam, scilicet, quia arguitur à distributione dependenti, ad independentem distributionem. Contra secundam conclusionem obijcies secundo. Benè valet *possibiliter creans non est Deus; ergo creans possibiliter non est Deus*: & tamen arguitur à composita ad diuisam negatiuè; ergo nostra conclusio est falsa. Maior constat. Non enim potest instari prædicta conseq. Cōfirm. *Benè valet, possibiliter omne animal non est homo; ergo omne animal possibiliter non est homo*: & tamen arguitur à composita ad diuisam negatiuè; ergo nostra conclusio est falsa. Respondetur negando maiorem. Instatur in ista consequentia, possibiliter album non est nigrum; ergo album possibiliter non est nigrum. Similiter instatur in ista; possibiliter omne album non est omne nigrum; ergo omne album possibiliter non est omne nigrum. Semper enim quod in antecedenti fiat sensus compositus, & in consequenti diuisus, si arguitur negatiuè, erit mala consequentia.

4 Obijcies tertio. Contra tertiam conclusionem. Benè valet, *album necessario est nigrum; ergo necessariò album est nigrum*: & tamen arguitur affirmatiuè à diuisa ad compositam; ergo tertia conclusio est falsa. Maior constat. Non enim potest instari prædicta consequentia. Respondet. negādo maiorem. Instatur enim

inſta, album nigrum neceſſario eſt; ergo neceſſariò album eſt nigrum. Ratio autem, quare cõſequentiæ à diuiſa ad compoſitam quando modus mediat inter extrema nõ poſſunt inſtari, ſed neceſſium eſt ad illas inſtãdas, quod vtrũque extremũ præcedat modum eſt hæc. Nã tunc conſequẽtia à diuiſa ad compoſitam inſtatur, quando compoſita difficilius verificatur ratione ſenſus compoſiti, quẽ importat. & cũ quando modus mediat inter extrema, licet magis petat conſequens ad ſui veritatem, quam antecedens, quia tamen ita difficilè eſt verificare antecedens, ſicut conſequens; nam ita difficilè eſt, quod ſubſtractum albedinis ſit neceſſariò nigrum, ſicut quod idem ſubiectũ ſit ſimul album, & nigrum, ideo quãdo modus de ly neceſſariò mediat inter extrema, nõ poteſt inſtari conſeq. niſi reducatur ad aliam, in qua vtrum que extremum modum antecedat. Obiec. vltimo. Contra vltimam concluſionem. Non benè valet, aliquod animal neceſſariò eſt homo; ergo neceſſariò aliquod animal eſt homo, & tamen arguitur à diuiſa ad compoſitam negatiuè; ergo vltima concluſio eſt falſa. Confirm. Hæc eſt mala conſeq. omne animal impoſsibiliter eſt homo; ergo impoſsibiliter omne animal eſt homo, & tamẽ arguitur à diuiſa ad compoſitam negatiuè; ergo idem quod prius. Maior probat. Nam antecedens eſt verum; cum eius contradictoria ſit falſa, quæ eſt hæc, omne animal poſsibiliter eſt homo, cõſequens autem eſt falſum; cum eius contradictoria, quæ eſt iſta, poſsibiliter omne animal eſt homo, ſit vera. Reſpondet. conſeq. illam eſſe malam aliunde tamen viciari, nimirum, quia arguitur à completa particularitate ad incompletam; ſicut ex oppoſito ad oppoſitum propter eundem defectum non tenet conſequentia, vt ſi dicas poſsibiliter, omne animal eſt homo; ergo omne animal poſsibiliter eſt homo; eo quod arguitur à diſtributione dependenti ad independentem diſtributionem: Ad confirmationem eodem modo reſpondetur.

5 In calce huius quæſtionis duo poteſt me interrogare. Primum eſt, an ſub modali compoſita licitum ſit ſyllogizare? Ad quod brebiter reſpondeo, quod ſub modali compoſita de neceſſe, aut impoſsibile, ſi dictum fuerit vniuerſale, licitus eſt aſcenſus, & deſcenſus copulatiuus: ſi verò dictum fuerit particulare, licet aſcenſus, & deſcenſus diſiunctiuus. Sub modali autem compoſita de ly poſsibile ſi dictum fuerit vniuerſale, non licet deſcendere, aſcendere tamen licet: ſi verò dictum ſit particulare licet aſcenſus, & deſcenſus diſiunctiuus, & omnium ratio eſt; nam vna vniuerſalitas non impedit aliam; nec vna particularitas aliam particularitatem. Secundum

dum, quod inquires est, an dictum in modali composita supponat materialiter pro ipsa propositione? an vero personaliter pro re per ipsam significata? Ad quod breviter respondeo cũ nostro sapiẽtissimo Magistro, quod dictum in modali cõposita supponit personaliter, rationem assignat in hoc capitulo, Lect. 1. notabili 9. Nec refert, si contra primum dicas nostrum sapientissimum Magistrum in tertia differẽtia asserere sub modali cõposita non esse licitum syllogizari. Non inquam hoc refert. Explicatur enim dicendo, quod sub modali composita non est licitum syllogizare omni genere syllogizationis, sicut sub modali diuisa; scilicet, quod sub modali composita, non licet syllogizare resoluendo extrema ratione cõnotationis, benè tamen ratione quantitatis. Similiter non refert, si dicas contra secundam resolutionem, quod à modali composita ad suam officiantem est bona consequentia. Sicut benè valet, *Petrum esse album est possibile; ergo hæc propositio, Petrus est albus, est possibilis*: sed dictum in sua officiante stat materialiter; ergo etiam in modali composita supponit materialiter. Patet cõsequentia. Quotiescumque enim variatur suppositio de personali in materialem, non valet consequentia; ergo si à modali composita ad suam officiantẽ est bona conseq. & in officiante dictũ supponit materialiter, etiam in modali composita dictum supponit materialiter. Fateor hoc argumentum mihi in gentem ingerere difficultatem, ita vt libẽter sententiam nostri sapientissimi Magistri relinquerem, tamen quia munus ad impleo commentatoris ad vnguem litteræ sapientissimi Magistri standũ erit, & ad argumentum cum ipso sapientissimo Magistro in hoc capitulo, lect. 1. notabili 9. quod ex hoc, quod à modali cõposita ad suam officiantem sit bona consequentia, non sequitur, quod si extrema officiantes supponunt materialiter, etiam extrema ipsius modalis compositæ supponant materialiter. Nam eadem ratione sequeretur, quod extrema modalis diuisæ resolutæ in suas singulares supponerent materialiter; eo quod singulares modalis diuisæ sunt immediatè reducibiles ad suas officiantes, in quibus extrema accipiuntur materialiter, quod nullus Summulistarum admittet. Secundo respondet ipse sapientissimus Magister negando consequentiam à modali composita ad suam officiantem absolutè, & sine aliquo addito esse bonam; est enim necessaria constantia officiantis dicendo, *Petrum disputare est possibile & hæc propositio, Petrus disputat est, & significat Petrum disputare; ergo hæc est possibilis, Petrus disputat.* De oppositione autem, & æquipollentia in moda-

libus, tam compositis, quàm divisis, ne eadem pluries inutiliter repetamus mitto te ad nostram paruam dialecticam lib. 2. capit. de Modalibus.

QVÆSTIO III.

Vtrùm iste modus contingenter conuertatur in oppositam qualitatẽ?

1 DVpliciter potest accipi iste modus *contingenter*, generaliter, scilicet, & specialiter; generaliter sumptus idem valet, ac *possibiliter*, specialiter vero acceptus idem est, ac *possibiliter, & possibiliter non*. De illo non in prima acceptione, sed in secunda consideratione nostra quæstio procedit. Verti in oppositam qualitatem nihil aliud est, quam quod propositio negatiua de ly *contingenter*, & affirmatiua ipsius æquiualeãt. Quo supposito resolutoriè dicẽdum est propositionem de ly *contingenter* specialiter sumpto verti in oppositam qualitatem. Hæc conclusio est nostri sapientissimi Magistri in hoc capitulo, lect. 4. notabili vltimo, & probatur hac vnica, & efficaci ratione. Si vna contradictoria est contingens, altera contradictoria etiam debet esse contingens; aliàs enim daretur casus, in quo possint esse duæ contradictoriæ si nul veræ, vel si nul falsæ; ergo ly contingenter potest verificari de propositionibus affirmatiuis, & negatiuis ex eisdem extremis constantibus. Explicatur hæc ratio. Hæc est bona consequentia, *hæc propositio est contingens; ergo eius contradictoria est contingens*; ergo etiam hæc erit bona consequentia, *omnis homo contingenter disputat; ergo omnis homo contingenter non disputat*. Quando quidem id quod in prima consequentia importabatur in actu signato, in secunda importatur in actu exercito; ergo prædictæ propositiones sunt æquiualẽtes; ac per consequens propositio de ly contingenter conuertitur in oppositam qualitatem.

2 Contra nostram conclusionẽ obijcies primo. Hæc propositio, *Deus cõtingenter est creans*, non vertitur in oppositam qualitatem; ergo nostra conclusio est falsa. Probatur antecedens. Prædicta propositio non æquiualet huic propositioni, *Deus cõtingenter non est creans*; ergo non conuertitur in oppositam qualitatem. Probatur antecedens. Affirmatiua enim est vera, & negatiua falsa; ergo non sunt æquipollentes. Minor, scilicet, quod negatiua sit falsa probatur. Benè valet, *Deus contingenter non est creans; ergo creans quod contingenter non est creans Deus contingenter est*: sed consequens manifestè est falsum, siquidem facit sensum, quod Deus sit contingenter Deus; ergo & antecedens falsum erit. Maior patet. Nam arguitur à conuertibili ad conuertentem; ergo est bona con-

cõsequẽtia. Dices propositionem negatiuam etiam esse veram. Et ad probationem respondebis illam propositionem non esse conuertentem negatiuæ; eo quod variatur appellatio à ly *contingenter* proueniens. Sed contra istam solutionem obijcies primo. Sequitur ex hac solutione hanc propositionem, *lapis necessariò est Deus*, non benè conuerti in istam, *Deus qui necessariò est Deus, lapis possibilis necessariò est*: consequens est falsum; ergo & antecedens. Sequela probatur. In dicta conuersione variatur appellatio proueniens à ly *necessariò*. Siquidem iste modus in antecedenti, & consequenti in diuersos terminos fertur; ergo sequela est vera. Secundo. Nam in conuersione istius propositionis, *Deus contingenter non est creans*, debet poni aliquis modus modificans cõnexionem prædicati cum subiecto; ergo vel debet poni ly *contingenter*, vel ly *possibiliter*, sed quilibet eorum si ponatur conuertens est falsa; ergo & conuertibilis. Antecedens est certum, & consequentia probatur. Nam quilibet alius modus extraneus præteritum non dum *contingenter, vel possibiliter*, qui virtualiter in ly *contingenter* includitur; ergo alter illorum debet poni in conuertente. Minor autem sub sumpta probatur. Si ponatur ly *possibiliter*, conuertens erit ista, *creans quod contingenter est creans Deus possibiliter non est*: sed hæc est falsa; cum sua de inesse non sit possibilis; ergo conuertens etiam cum ly *possibiliter* est falsa; & cum etiam cum ly *contingenter* sit falsa, vt iam probatum est, semper conuertens est falsa. Pro solutione argumentorum notandum erit appellationem esse duplicem, alia est, quæ fertur in actionem importatam per propositionem, vt appellatio de ly *necessariò* in hac propositione, *Petrus necessariò disputat*, quæ appellat necessitatem supra disputationem; alia verò est appellatio, quæ non solum fertur in actionem, sed etiã in ipsum subiectum actionis appellando supra existentiam illius, vt appellatio de ly *contingenter* in hac propositione, *Petrus contingenter est albus*, quæ appellat supra albedinem, & etiam supra existentiam subiecti, ita vt ad veritatem prædictæ propositionis requiratur, quod Petrus contingenter sit. Hoc supposito respondetur ad argumentum solutionem datam esse legitimam. Et ad primã impegnationẽ negatur sequela. Disparitas enim est maxima inter appellationẽ de ly *necessariò*, & de ly *contingenter*; quia ly *necessariò* eo ipso, quod ponatur in aliqua propositione virtualiter appellat supra existentiam subiecti; nihil enim potest aliquid necessario facere, nisi illud necessariò sit; in appellatione autẽ de ly cõtingẽter, nec formaliter, nec virtualiter appellatur

ctum, formaliter non quia ipsum modũ antecedit, nec virtualiter, quia ex eo quod aliquis contingenter operetur aliquid, nõ sequitur ipsum esse cõtingẽtẽ; Deo enim, qui necessariò est, potest aliquid contingenter, id est, indifferenter, vt sit, & nõ sit, conuenire, vnde appellatio de ly contingenter cadens in conuertenti assignata in argumento supra antecedens conuertibilis viciauit consequentiam; cum talis appellatio, nec formaliter, nec virtualiter inueniatur inconuertibili. Ad secundam dicatur illã propositionem, non benè cõuerti in propositionẽ in argumento assignatam, sed conuertitur in istam, *creans quod contingenter est creans Deus possibiliter est*, eo quod propositio de ly *contingenter* est virtualiter affirmatiua; quo circa infert vnam purè affirmatiuã, & sicut conuertibilis est vera, ita & conuertens à nobis assignata.

3 Obijcies 2. Hæc propositio, *Deus non contingenter est ens*, non vertitur in oppositam qualitatem; ergo nostra conclusio est falsa. Probatur anteced. Dicta propositio non æquiualet affirmatiuæ videlicet huic, *Deus contingenter est ens*; ergo non vertitur in oppositam qualitatem. Constat antecedens. Nam prima propositio est vera, secunda vero falsa; ergo non sunt æquiualentes. Respondetur, quod hæc propositio *Deus non contingenter est ens*, non est de ly *contingenter*, sed potius de eius contradictorio, scilicet, de *non contingẽter*; & ita non mirum, quod talis propositio non vertatur in oppositam qualitatem. In conclusione autem nostra loquimur de ly *contingenter* affirmato. In calce huius quæstionis aduertendũ erit, quod ly *necessariò* non restringit post se quoad supposita; vnde in hac propositione, *Deus necessariò est creans*, ly *creans* non restringitur pro creante necessariò; nisi dicamus, quod stat pro materiali necessariò creantis, id est, quod ille qui creat necessariò est, liberè tamen creat; quo circa non restringit pro creante formaliter necessariò. Ly autem creans restringit terminum post se positum pro creante necessariò quoad veritatem propositionis. Vnde hæc propositio, *creans necessariò est Deus*, non potest verificari nisi pro Deo, qui necessariò est.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm propositio hypotetica benè diffiniatur à nostro sapientissimo Magistro, & an sit quanta, & qualis?

2 PRopositio hypotetica sic diffinitur à nostro sapientissimo Magistro, est illa quæ habet duas categoricas coniunctas tanquam partes principales sui: vt ista, *si homo currit, homo mouetur*. Explicatur hæc conclusio. Igitur propositio hypo-

potetica non exigit ſolum duas cathegoricas, tanquam partes principales ſui, ſed poſtulat duas, vel plures cathegoricas, aut duas hypoteticas, aut duo complexa propoſitionalia cõiuncta per copulam hypoteticalem, vt iſta, *ſi homo volaret, haberet alas*, in qua partes principales non ſunt propoſitiones, ſed cõplexa propoſitionalia. Ita diffinitionem explicat noſter ſapientiſsimus Magiſter in hoc capitulo notabili 2. Et ſupponendo propoſitionem hypoteticam eſſe vnam ſimpliciter vnitate artificiali, cuius vnitas artificialis cõſiſtit in eo quod duæ cathegoricæ, vel hypoteticæ coniungantur per aliquam coniunctionem habentem rationem formæ; vnde ſicut propoſitio cathegorica eſt quodam totum artificiale, cuius pars materialis ſunt extrema, ſeu termini, & pars formalis eſt copula, ita propoſitio hypotetica eſt quodã totũ artificiale, cuius pars materialis ſunt propoſitiones cathegoricæ, & pars formalis eſt coniunctio per quã vniuntur. De quo recollãtur dicta in diffinitione termini, & in diſputatione de propoſitione agẽtes de eſſentia illius. Hoc inquã præſuppoſito, reſolutoriè dico 1. Prædicta diffinitio eſt bona. Hæc concluſio prob. Nã prædicta diffinitio cõſtat ex genere, & differentia, & habet alias conditiones bonæ diffinitionis; ergo eſt bona. Prob. ant. Genus in illa eſt *oratio*, quæ in diffinitione ſub intelligitur, & differẽtia eſt ordo ad ſuas partes; ergo prædicta diffinitio conſtat ex genere, & differentia. Contra iſtam diffinitionẽ obijc. 1. Hęc propoſitio, *homo eſt animal*; ergo non habet duas cathegoricas cõiunctas: & tamẽ eſt hypotetica; ergo diffinitio eſt mala. Maior eſt certa. Minor vero prob. Prædicta propoſitio eſt argumentatio; ergo eſt hypotetica. Antec. prob. Argumentatio ſaluatur ante concluſionem; ergo prædicta propoſitio eſt argumentatio. Confirm. Propoſitio cathegorica non poteſt eſſe pars principalis hypoteticæ; ergo hypotetica malè diffinitur per hoc, quod eſt habere duas cathegoricas coniunctas, tanquam partes principales ſui. Probat. anteced. Propoſitio cathegorica, non poteſt eſſe pars principalis alterius cathegoricæ; ergo nec alterius hypoteticæ. Prob. conſeq. Ideò propoſitio cathegorica non poteſt eſſe pars principalis alterius cathegoricæ, quia eſt totum per ſe: ſed etiam eſt totum per ſe in ordine ad hypoteticam; ergo nõ poterit eſſe pars principalis hypoteticæ. Reſp. concedendo mai. & neg. min. Ad probationẽ admiſſa illa ſententia dicimus, nõ omnem argumentationem eſſe propoſitionem hypoteticam; benè enim ſtat, quod ſit compoſitio pertinens ad tertiam operationẽ intellectus, & tamen quod non ſit propoſitio hypotetica. Nã ad tertiam operationem intellectus

pertinet quælibet compositio illatiua, siue sit cathegorica, siue hypotetica. Vel secũdo admittatur illam propositionem esse hypotericam, quia in illa coniungitur vna cathegorica cũ illa particula; *ergo* se tenente loco alterius cathegoricæ; in quo sensu concedit noster sapientissimus Magister infra cap. 9. sect. 1. notabili 3. argumento 1. hanc propositionem *omnis homo est risibilis, & ècõuerso* esse hypoteticam, & copulatiuã. Ad confirmationem dicatur, quòd ratio cur propositio cathegorica, non potest esse pars alterius, ea est, nam esse totum, & esse partem in ordine ad idem repugnat; cum enim relatiuè se habeant esse totum, & esse partem, comparantur in ordine ad diuersa, nõ tamen in ordine ad idem; sicut eadem res est magna, & parua comparatiuè ad diuersa, non tamẽ comparatiuè ad idem; cum igitur propositio cathegorica sit totum comparatione ad partes cathegoricæ, non tamen cõparatione ad hypoteticam: hinc prouenit, quod non possit esse pars alterius cathegoricæ, benè tamen alterius hypoticæ; quia esse partem cõparatiuè ad hypoteticam, & esse totum comparatiuè ad suas partes nullo modo opponuntur. Obiic. 2. Vna propositio hypotetica nõ potest esse pars alterius hypoteticæ; ergo malè dicitur in diffinitione hypotericam esse illam, quæ habet duas cathegoricas, vel hypoteticas coniunctas. Probat. ant. Sic se habet propositio hypotetica ad hypotericã, sicut cathegorica ad cathegoricã: sed vna cathegorica non potest esse pars per se alterius cathegoricæ; ergo nec vna hypotetica potest esse pars per se alterius hypoteticæ. Resp. neg. ant. Ad probationem distinguo mai. sic se habet hypotetica ad aliam hypotericã eiusdẽ speciei, sicut cathegorica ad cathegoricam, concedo mai. ad aliã alterius speciei, nego mai. Argumentũ enim solum probat vnam hypotericam nõ posse esse partem per se perfectæ ordinis alterius hypoteticæ eiusdem speciei; v. g. vna copulatiua non potest esse pars alterius copulatiuæ; vnde si tres cathegoricæ coniungantur per ly & tunc non dicimus, quod copulatiua resultãs componitur ex pluribus copulatiuis, sed ex pluribus cathegoricis coniunctis per ly &, attamen vna cõditionalis benè potest esse pars vnius copulatiuæ; vt si dicas, *si homo volat habet alas, & si equus currit, equus mouetur.*

2 Dico 2. Propositio hypotetica non est quanta. Hæc conclusio est nostri sapientissimi Magistri, pro cuius explicatione aduertendum erit, quantitatẽ propositionis pensari ex proportione ad quantitatem rei naturalis, quemadmodum enim res naturalis habet maiorem, vel minorem quantitatem per hoc, quod plus, vel minus extenduntur eius par-

partes, ita propositio habet maiorem, vel minorem quantitatē per hoc, quod ad plura vel pauciora suppositа extendatur eius subiectum: attamē quia hæc maior, vel minor extensio sumitur in propositione in ordine ad prædicatum, quod se habet vt forma; hinc est, quod sola illa propositio, dicitur quanta, quæ habet subiectum, & prædicatum inter quæ quantitas pensetur: & cum propositio hypotetica non constet ex subiecto, & prædicato, sed ex duabus cathegoricis, quarum vna non respicit aliam vt formam: hinc euenit, quod propositio hypotetica formaliter loquendo non sit quanta. Hoc supposito probatur nostra conclusio. Propositio hypotetica non habet prædicatum tanquam formam in ordine ad quā desumatur quantitas, ergo propositio hypotetica formaliter loquendo non est quanta. Contra istam conclusionem obijcies. Quia subiectū propositionis cathegoricæ, quod est eius materia, est dispositum tali, vel tali extensione ad plura, vel pauciora suppositа propositio cathegorica dicitur quanta: sed etiā materia propositionis hypoteticæ, quæ sunt cathoricæ est dispositа tali, vel tali extensione ad plura, vel pauciora suppositа; ergo propositio hypotetica, etiam est quāta. Minor prob. Materia hypoteticæ sunt plures cathegoricæ vniuersales, vel particulares; ergo materia hypoteticæ, etiā est dispositа tali, vel tali extensione ad plura, vel pauciora suppositа. Cōfirm. 1. Hæc propositio, *homo arguit, & homo respondet subalternatur huic propositioni, omnis homo arguit, & omnis homo respondet*; ergo illa est particularis, & ista vniuersalis; ac percōsequēs propositio hypotetica est quāta. Secundo. Ideo istæ propositiones, *homo arguit, & homo respōdet, homo non arguit, vel homo non respōdet*, non sunt cōtradictoriæ; quia vtraque est particularis: sed vtraque est hypotetica; ergo propositio hypotetica est formaliter quanta. Resp. disting. mai. quia est dispositum vtcumque, nego mai. quia est dispositū in ordine ad prædicatum, quod est forma, concedo mai. & sub eadem distinctione minoris, nego conseq. Subiectum enim propositionis cathegoricæ disponitur tali, vel tali modo in ordine ad prędicatū, quod se habet vt forma; quo circa propositio cathegorica est formaliter quanta: at verò propositiones cathegoricæ componētes hypotetică, nunquā disponūtur in ordine ad aliquod prædicatū, & ideò illa dispositio non reddit hypoteticam formaliter quantam. Ad primam confirmationem distinguo antecedens, ratione partium concedo antecedens, secundum se, nego antecedens, & sub eadem distinctione, nego consequentiam. Subalternatio enim non solum attenditur penes totam propositionem, verum etiam considerатur pe-

penes partes componētes; nā hæc propositio, *homo est animal, subalternatur huic propositioni, homo est omne animal* ratione prædicati, quamuis vtraque sit particularis, vndè argumentum solum probat cathegoricas cōponentes hypoteticam esse formaliter quātas, non tamen conuincit hypoteticam compositam esse formaliter quantam. Ad secundam distinguo antec. quia vtraque est particularis ratione partium, cōcedo antec. secundum se, nego antec. & conseq. Ad contradictionem enim requiritur, quod omnis particularitas vnius mutetur in altera in vniuersalitatē, vndè etiam particularitas partium vnius contradictoriæ debet in altera in vniuersalitatem mutari. Quapropter secunda confirmatio non magis probat, quam prima. Meminerim illius, quod dixi in nostra parua dialectica, res tamen modo melius inspicitur.

3 Dico vltimo. Propositio conditionalis, & propositio causalis dicuntur affirmatiuæ, vel negatiuæ per affirmationem, vel negationem copulæ hypoteticalis cathegoricas coniungentis, propositio verò copulatiua disiuntiua, & rationalis dicuntur affirmatiuæ, vel negatiuæ penes affirmationem, vel negationem copulæ verbalis suarum cathegoricarum. Prima pars conclusionis prob. Hæc propositio, *non si homo est sensibilis, homo est rationalis*, est negatiua: & tamen eius partes sunt affirmatæ: & hæc est affirmatiua, *si homo non est sensibilis, non est rationalis*: & tamen partes, scilicèt, cathegoricæ sunt negatiuæ, similiter hæc est negatiua, *non quia homo est risibilis, homo est rationalis*, & hæc est affirmatiua, *quia homo est rntionalis est risibilis*; ergo propositio conditionalis, & causalis dicuntur affirmatiuæ, vel negatiuæ penes copulam hypoteticalem. Et ratio huius est. Nam veritas harum propositionum penes illationem attenditur, vndè quod affirmatur in illis solum est illatio, & quod negatur, solum est aliquam illationem esse bonam: ac per consequens illa erit affirmatiua, cuius illatio fuerit affirmata, & illa erit negatiua cuius illatio afficitur negatione. Secunda pars conclusionis est expressa sapientissimi Magistri Bañez, lib. 1. Summularum tract. 2. cap. 1. circa finem. Quæ conclusio prob. hac ratione. Istæ sunt contradictoriæ, *omnis homo currit, & omnis leo est fortis, homo non currit, vel leo non est fortis*; ergo altera illarum est negatiua: sed vtraque habet copulam hypoteticalem affirmatam; ergo copulatiua, & disiunctiua dicuntur affirmatiuæ, vel negatiuæ penes copulam verbalem, & non penes copulam hypoteticalem. Si autem in his propositionibus vna copula fuerit affirmata, & alia negata, si propositio fuerit copulatiua, erit formaliter mixtæ qualitatis, & virtualiter affirma-

matiuæ; si verò fuerit disiunctiua erit virtualiter negatiua iuxta regulas traditas agentes de pregnantibus propositionibus. Nec refert si dicas nostrum sapientissimum Magistrum in hoc cap. notab. 5. docuisse propositionem copulatiuam, non esse negatiuā, nisi copula hypotetticalis sit negata. Non inquam hoc refert. Explicatur enim sapientissimus Magister dicendo ipsum locutum fuisse de affirmatione, & negatione solius coniunctionis, & copulæ hypoteticalis, non verò de affirmatione, & negatione totius propositionis, à qua desumitur qualitas ipsius, quæ est propria copulæ verbalis, qua vnum dicitur de alio, vel remouetur ab alio. Nec paritas desumpta ex propositione conditionali, & causali aliquid probabit. Nam conditionalis, & causalis solum important bonitatem, vel malitiam illationis, secus verò copulatiua, & disiunctiua.

QVÆSTIO V.

Vtrùm omnis conditionalis, aut necessaria, aut impossibilis sit?

1 SVppono propositionē necessariam esse illam, quæ nunquam potest esse falsa, sicut propositio impossibilis est illa, quæ nunquam potest esse vera, in quo nullus dialecticorum dissentit. Similiter exploratum est apud omnes duplicem conceptum in propositione conditionali inueniri, nimirum conceptus propositionis, quo conditionalis diuidit hypoteticam, & conceptus consequentiæ, quo diuidit consequentiam. Argumentatio enim diuiditur tanquā genus in species, in rationalem, conditionalem, & causalem, an autem conceptus propositionis præsupponatur ad conceptum argumentationis; in propositione conditionali non est ita certum, dum aliqui asserant rationem consequentiæ esse id quod primo intelligitur in propositione conditionali, cæterum mihi probabilius est, rationem propositionis præsupponi ad rationem argumentationis in propositione conditionali, cuius ratio est; nam modus sciendi sine dubio præsupponit orationem cū oratio, quatenus respicit obiectum diuidatur in orationem, quæ est modus sciendi, & in orationem, quæ non est modus sciendi: sed conditionalis sub conceptu argumentationis est modus sciendi, cum modus sciendi diuidatur in diffinitionem, diuisionem, & argumentationem, tanquam in species; ergo si modus sciendi, sine dubio præsupponit orationē, etiam conditionalis sub conceptu consequentiæ debet supponere orationem & cum in illa non sit alia ratio, nisi oratio, perfecta enunciatiua, & assertiua, fit consequens, quod si conceptus consequentiæ, & argumentationis in propositione conditionali sup-

donit conceptum orationis, ſupponat etiam conceptum propoſitionis; ſimiliter loquendum eſt de propoſitione rationali, & cauſali. Argumenta autem in contrarium ſolum probant bonitatem conſequentiæ præſupponi ſecundum noſtrum modum cõcipiendi ad veritatem conditionalis, quæ eſt paſsio conditionalis, non verò probant bonitatem conſequentiæ præſupponi ad eſſentiam, & conceptum propoſitionis, itaque in propoſitione conditionali prius intelligitur ratio propoſitionis, quàm bonitas conſequentiæ; deinde intelligitur bonitas conſequentiæ, & vltimo intelligitur conformitas cum obiecto in qua veritas ipſius conſiſtit.

2 Sed dices; ergo veritas conditionalis non conſequitur immediatè ad rationem propoſitionis; cum inter veritatem cõditionalis, & conceptum propoſitionis mediet bonitas conſequentiæ: ac per conſequens veritas cõditionalis non erit paſsio propoſitionis, ſed conſequentiæ, ad quam ſequitur immediatè. Prima conſequentia benè infertur ex dictis, ſecunda autem probatur. Paſsio enim ſequitur immediatè ad eſſentiam, ergo ſi veritas conditionalis non ſequitur immediatè ad rationem propoſitionis, non eſt illius paſsio. Reſp. diſtinguendo primũ conſequens; non ſequitur immediatè in mediatione excludente mediationẽ ſubiecti emanationis, nego conſeq. in mediatione excludente mediationem conditionis, concedo conſeq. & nego ſecundam conſeq. Itaque bonitas conſequentiæ in propoſitione conditionali, non mediat ſecundum noſtrum modum concipiendi inter rationem propoſitionis, & veritatem conditionalis per modum ſubiecti emanationis, ad quod, vt paſsio ſequatur, veritas ipſius conditionalis; hoc enim ſubiectum ſolum eſt eſſentia propoſitionis, ſed ſolum mediat ſecundum noſtrum modum concipiendi inter rationem propoſitionis conditionalis, & veritatẽ ipſius per modum conditionis neceſſariæ, vt conditionalis ſit vera, hæc autem mediatio per modum conditionis non tollit, quod veritas ſit paſsio propoſitionis, ſicut quod intellectus mediet per modum conditionis inter animam rationalem, & voluntatem, non tollit quo minus voluntas ſit propria paſsio animæ rationalis. Ex hoc ſequitur, quod hæc particula *ſi*, in conditionalibus duo habet; primum quod ſit nota enunciationis, media qua aliquid enunciatur, nimirum cõiunctio obiecti vnius cathegoricæ cum obiecto alterius, & hoc modo conſtituit propoſitionem. Secundum quod habet eſt, quod ſit nota illationis, quia vnum infertur ex alio, & hoc modo conſtituit conſeq. Hijs brebiter ad notatis, & alijs, quæ ad Theologiam

giam pertinent omiſsis ſit noſtra concluſio. Omnis propoſitio cõditionalis illatiua, vel eſt neceſſaria, vel impoſsibilis. Hæc concluſio experſsè habetur in D. Tho. 6. metaphyſicæ, lect. 3. illam tenet Petrus Hiſpanus lib. 3. Summularum, cap. 8. in fine textus, & noſter ſapientiſsimus Magiſter Soto ibidem lect. 1. notabili 2 & prob. illius ratione. Ad veritatem conditionalis ſufficit, & requiritur, quod ſit bona conſeq. & ad falſitatem, quod ſit mala conſeq. ſed conſeq. quæ ſemel eſt bona, ſemper eſt bona, & quæ ſemel eſt mala, ſemper eſt mala; ergo conditionalis, quæ ſemel eſt vera, ſemper eſt vera, & quæ ſemel eſt falſa, ſemper eſt falſa; ac per conſequens omnis conditionalis, aut neceſſaria, aut impoſsibilis eſt. Vt autem radicitus prædicta ratio capiatur adnotandũ exiſtimaui, quod illatio aut poteſt fundari in connexione eſſentiali conſequentis cum antecedenti, vt ſi dicamus, *ſi homo eſt, animal eſt*, aut poteſt fundari in diſpoſitione cauſarum, quæ de ſe tendunt ad inferendum aliquem effectum, vt ſi dicas *ſi verè eſt tonitrua ſunt*, nam in verè cauſæ ſunt ita diſpoſitæ, quod in illo regulariter ſunt tonitrua, aut poteſt fundari in infallibilitate decreti diuini, vt ſi dicas, *ſi Deus decreuit hunc effectum, futurum erit.* In his conſequentijs aliud eſt loqui de neceſsitate conſequentis, & aliud de neceſsitate conſequentiæ, nam ſtat, quod conſequens ſolum habeat neceſsitatem ſecũdum quid, & ex ſuppoſitione, & conſeq. habeat neceſsitatem ſimpliciter talem, vnde cum veritas propoſitionis conditionalis ſumatur ex bonitate conſequentiæ, ſi hæc habet neceſsitatem ſimpliciter talem, propoſitio conditionalis erit ſimpliciter neceſſaria. Dico igitur, quòd omnis illatio bona eſt ſimpliciter neceſſaria, quod patet diſcurrendo per ſingula genera illationis, & quidem quando non ſtat ponere antec. quin ponatur conſequens, nõ eſt dubium, quod illatio ſit ſimpliciter neceſſaria. Tota igitur difficultas eſt quando poſito antecedenti ſtare poteſt, quod non ponatur conſequens, vt contingit in illa conditionali prolata à Chriſto Domino Matthæi 11. *væ tibi Chorozaim væ tibi Bethſaida; quia ſi in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent.* In qua conditionali poſito antecedenti, non idcò ponitur conſequens, nam poterat ſtare, quod Tyr, & Sidoni non egiſſent pœnitentiam, etiã ſi factæ eſſent virtutes. Sed adhuc in iſtis illatio eſt neceſſaria, nam ſenſus illationis eſt, quod quãtum colligi poterat ex diſpoſitione, quam habebant habitatores Tyri, & Sidonis, pœnitentiam egiſſent, ſi factæ eſſent virtutes in illis, quæ in Bethſayda, & Corozaym factæ fuerunt, & hæc illa-

illatio simpliciter est necessaria ad hunc sensum, quod non stat ponere talem dispositionē, quin rationabiliter inferatur talis pœnitentia. Vel secundo dicatur, quod conditionalis D. Matthæi est necessaria, cuius necessitas fundatur in infallibilitate decreti diuini, decretum enim erat, quod si in Tyro, & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ in Bethsayda, & Corozaim factæ fuerāt, Tyri, & Sydoni agerent pœnitentiam, & Christus Dominus locutus fuit in illis verbis D. Matthæi ex suppositione diuini decreti à se cogniti.

3 Contra nostram conclusionem sunt aliqua, & non leuia argumenta. Obijcies primo. Hæc conditionalis *si Petrus studeret esse doctus*, est contingens; ergo datur propositio conditionalis cōtingens. Antec. prob. Posito antecedenti, consequens potest poni, & potest non poni; ergo prædicta conditionalis est contingens. Prob. antec. Consequens prædictæ cōditionalis, non infallibiliter connectitur cum antecedenti; ergo posito antecedenti potest consequens poni, & non poni. Respond. negādo antec. Ad probationē distinguo antec. cōsequens potest poni, & potest nō poni absolutè, concedo antec. attenta causæ dispositione, nego antec. & distinguo consequens; contingentia consequentis, concedo conseq. contingentia totius conditionalis, seu illationis, nego conseq. Itaque absolutè loquendo stat, quod posito antecedenti prædictæ consequentiæ, consequens non ponatur, eo quod non est necessaria connexio inter vnū, & aliud, sed solum probabilis, & ideò prædicta conseq. dicitur cōseq. topyca: at verò attenta causæ dispositione, non potest poni antec. quin consequens ponatur, quod sufficit ad hoc, quod conseq. sit bona, nam ad hoc, quod conseq. sit bona, sufficit quod antec. quantumest ex se possit inferre consequens, quod autem aliunde impediatur illatio, & cōsequutio quantum ad effectum non tollit, quo minus conseq. sit legitima, sicut hæc conseq. est legitima, *si graue mouetur, deorsum mouetur*: & tamen absolutè potest poni antec. quin consequens ponatur, non tamen attenta natura lapidis, seu grauis; & cum ille, qui ex antecedenti prædictæ consequentiæ infert consequens, non velit, quod dato antecedenti, necessariò sit sequendum consequens, sed solum velit, quod posito antecedenti probabile est, quod consequens sequatur, quāuis hoc non asserat in actu signato, exercetur tamen in tali conseq. & ita cum hoc, quod est illationem esse probabilem non deficiat, etiam si consequens non sequatur, quia eius probabilitas, non pendet ex eo, quod de facto sequatur consequens: hinc prouenit, quod semper est verum dicere, quod conseq. & illatio est pro-

probabilis; ac per consequens bona, & quod conditionalis est necessaria simpliciter, licèt consequens sit contingens, & solum necessarium secundum quid, & ex suppositione, quod adsint omnia alia requisita.

4 Sed dices. Prædicta conseq. est conseq. topyca; ergo est mala conseq. Antec. est certum, & cõseq. prob. Mala conseq. est illa in qua potest dari antec. verum, & consequens falsum: sed hoc contingit in conseq. topyca; ergo cõseq. topyca est mala conseq. Minor prob. Nam si in conseq. topyca, non posset dari antec. verũ, & consequens falsum in nullo distingueretur conseq. topyca à conseq. necessaria: consequẽs est falsum; ergo & antec. Resp. concedendo antec. & negando conseq. Ad probationem distinguo mai. in qua potest dari antec. verum, & consequens falsum ex vi formæ, concedo mai. absolutè, & ex alio capite, nego mai. & sub eadem distinctione minoris, nego conseq. Itaque conseq. topyca, non ideò topyca nuncupatur, quia aliquando sit bona, & aliquando mala, hoc enim est impossibile propter commune proloquium Summulistarum, nempè, *conseq. quæ semel est bona semper est bona, & quæ semel est mala semper est mala*, sed ideò topyca dicitur, quia in illa probabiliter solum colligitur consequens ex antecedente, vndè sapientissimus Magister Soto, lib. secundo Summularum cap. 12. lect. 1. notabili 4. supponit conseq. topycam esse bonam, & quod physica, & medicina vtitur illa; physicus enim probat motum esse per inductionem, & medicus naturas herbarum per inductionem probat; vndè vis inductionis (quæ in eius sententia est consequentia topyca) in hoc consistit, quod ex singularibus omnibus, quæ experimur inferat intellectus vniuersalem, tanquam verisimile, & probabile iudicando, quod res ita se habet in alijs, quæ non experimur, sicut in illis quæ experimur; ac proinde in conseq. topyca in sententia sapientissimi Magistri Soto nõ infertur conseq. absolutè, sed solum probabiliter; cum igitur in cõseq. topyca, licèt consequens absolutè deficere possit, probabiliter tamen non possit deficere: hinc prouenit, quod sit bona conseq. & quod in illa non possit dari antec. verum, & consequens falsum ex vi formæ, eo quod consequens non infertur absolutè, sed solum probabiliter, in quo sensu non potest deficere, licèt enim possit esse quod Petrus non sit doctus, quãuis studeret, non tamen deficere potest, quod attenta causæ dispositione deberet esse doctus, vndè in conseq topyca consequens, vt consequens est nunquam deficere potest, licèt absolutè possit deficere, in quo distinguitur à cõseq. necessaria; nam in conseq. necessaria, posito antecedenti con-

consequens, nec probabiliter, nec absolutè deficere potest, eo quod in illa consequens omninò est in virtute antecedentis, in cõseq. autem topyca posito antecedenti, licèt consequens absolutè deficere possit, eo quod non omninò continetur in virtute antecedentis, sed alias conditiones requirit, probabiliter tamen deficere non potest.

5 Secundo replicabis. Sequitur ex nostra solutione, quod hæc consequentia: *si Petrus studeret, esset doctus* faciat hunc sensum, *si Petrus studeret, probabiliter esset doctus*: consequens est falsum; ergo & doctrina data. Maior est certa. Minor prob. Nam si facit prædictum sensum non est consequentia topyca, sed necessaria; ergo non facit prædictum sensum. Prob. antec. consequens prædictæ consequentiæ necessario sequitur probabiliter ex antecedenti; ergo esset consequentia necessaria. Resp. distinguendo mai. Ita vt ly *probabiliter* signatè importetur in illa consequentia nego mai. ita vt ly *probabiliter* exercitè importetur, concedo mai. & sub eadem distinctione, nego consequentiam. Itaque quamuis illa particula *probabiliter* in prædicta consequentia exerceatur, non tamen signatè ponitur, quod sufficit ad hoc, quod prædicta consequentia maneat intra limites cõsequentiæ topycæ, & *probabilis*. Nam hæc distinctio versatur inter determinationem exercitè importatam, & signatè positam, quod quando aliqua propositio verificatur ratione alicuius determinationis, si talis determinatio ponatur signatè, talis propositio est essentialis, quia tunc prædicatum est de essentia alicuius partis subiecti, quod sufficit ad hoc, quod propositio sit essentialis, vt docet D. Thom. in 3. sententiarum distinctione 10. quæst. 1. art. 2. vndè hæc propositio, *homo albus est coloratus*, est essentialis, & ista *homo albus disgregat visum*, & *ista homo albus est albus*, quia in omnibus hijs propositionibus, determinationes, & conditiones ponuntur, vt partes subiecti; at verò quando determinatio, seu conditio, vt prædicatum dicatur de subiecto, solum exercite importatur, tunc propositio remanet accidentalis, sicut ista est accidentalis, *homo est albus*, & etiam ista, *homo disgregat visũ*, & similiter ista, *homo est coloratus*, quamuis in hijs propositionibus exerceantur conditiones ex parte subiecti, quæ in illis propositionibus ponuntur signatè: cum autem in hac consequentia *si Petrus studeret esset doctus*, illa particula *probabiliter* solum exercitè importetur. hinc prouenit, quod talis cõseq. maneat topyca, & probabilis.

6 Sed adhuc replicabis. Hæc consequentia *si Petrus studeret, esset doctus*, est simpliciter contingens; ergo etiam conditionalis in illa inuiuita erit simpliciter contingens. Consequentia tenet; antec. autem

tem probatur. Illa particula *probabiliter* solum exercitè importatur per me in prædicta consequentia: sed exercita importatio prædictæ particulæ non tollit, quominus prædicta consequentia sit simpliciter contingens; ergo prædicta consequentia est simpliciter contingens. Probatur minor. Exercita importatio albedinis ex parte subiecti in hac propositione, *homo est albus*, non tollit, quod hæc propositio, *homo est albus*, sit simpliciter contingens; ergo pariter exercita importatio huius particulæ *probabiliter* in prædicta consequentia non obstabit ad hoc, quod sit simpliciter contingens. Respondetur, negando antecedens. Ad probationem, concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem, concedo antecedens, & nego consequentiam. Ratio discriminis consistit in hoc, quod albedo simpliciter est accidens respectu hominis, vndè quamuis exercitè importetur ex parte subiecti huius propositionis, *homo est albus*, propositio remanet simpliciter contingens; quia tam illud, quod prædicatur, quam illud, quod exercetur ex parte subiecti est merum accidens respectu hominis: at verò probabilitas exercitè importata in hac consequentia, *si Petrus studeret esset doctus*, est quidam modus necessitatis, nam sicut hominem esse animal, non potest absolutè deficere, ita quod Petrus sit doctus, si studeat, non potest probabiliter deficere. Vndè non est eadem ratio. Insuper est alia ratio discriminis. Nam albedo solum exercetur ex parte subiecti prædictæ propositionis, tanquam id, quod prædicatur: at verò probabilitas non exercetur in tali consequentia, tanquam id, quod infertur, sed tanquam modus illationis, quod sufficit ad hoc, quod prædicta consequentia sit bona, & non sit contingens, sicut omnis propositio modalis est necessaria, vel impossibilis, quia in modalibus, non solum prædicatum dicitur de subiecto, verumetiam modus, quo prædicatum dicitur de subiecto.

7 Denique vrgebis. In prædicta consequentia posito antecedenti consequens absolutè potest deficere; ergo prædicta consequentia absolutè est mala. Antecedens est certum, & consequentia probatur. Consequentia mala est illa, in qua posito antecedenti, stat non ponere consequens; ergo consequentia absolutè mala erit illa, in qua posito antecedenti, stat absolutè non ponere consequens. Patet consequentia, quia argumentamur cũ eodem addito in antecedenti, & consequenti. Resp. distinguendo antec. consequens absolutè consideratum, absolutè potest deficere, concedo antecedens, consequens prout consequens est, nego antec. & conseq. Ad probationẽ

distinguo maiorem; consequentia mala est illa, in qua posito antecedenti stat non ponere consequens absolutè consideratum, nego maiorē, provt consequens est concedo maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Quia in illa arguitur virtualiter à disiunctiua ad partem. Nam ad hoc, quod aliqua sit mala consequentia, sufficit, quod possit stare antecedens sine consequenti absolutè, vel attenta causæ dispositione, ita vt consequens, nec vno, vel alio modo sit cum veritate antecedentis; non verò sufficit, quod posita veritate antecedentis non ponatur veritas consequentis absolutè considerati, dummodo ponatur veritas consequentis attenta causæ dispositione, vnde vt sit mala consequētia, requiritur, quod posita veritate antecedentis, veritas consequentis, nec absolutè, nec attenta causæ dispositione ponatur; quapropter in vltima consequentia argumenti virtualiter arguitur à disiunctiua ad partem. Itaque consequens prædictæ consequentiæ dupliciter potest considerari, vel absolutè, vel provt consequens est, primo modo consideratum absolutè potest deficere, secundo modo consideratum non potest absolutè deficere, eo quod non infertur in prædicta consequentia, quod absolutè Petrus erit doctus, sed quod attenta dispositione causæ Petrus erit doctus, & hoc non potst deficere, quod sufficit ad hoc, quod illa consequentia sit bona absolutè, nam ad hoc, quod aliqua consequentia dicatur absolutè bona, sufficit, quod posito antecedenti attenta causarum dispositione, consequens nō possit deficere. sicut ad hoc, quod aliqua propositio absolutè sit vera, seu necessaria, nō requiritur, quod omnibus modis non possit esse falsa, sed sufficit, quod naturaliter non possit esse falsa, sicut hæc propositio, *accidens non potest esse sine subiecto*, est necessaria, quamuis supernaturaliter falsificetur in accidentibus Eucharistiæ; similiter hæc propositio, *homo est ridibilis* est necessaria, & tamen absolutè potest deficere, nimirum supernaturaliter. Pro qua solutione nota doctrinam Aristotelis 1. posteriorum textu 8. & Diui Thomæ 1. posteriorum lectione 42. illis verbis, *est autem considerandum quod de hijs quidem quæ sunt, sicut frequenter contingit esse demonstrationem in quantum in eis est aliquid* necessitatis, necessarium autem, vt dicitur in 2. physicorum, aliter est in naturalibus, quæ sunt vera, vt frequenter, & deficiunt in minori parte, & aliter in mathematicis, quæ sunt semper vera, & ideò nōn omnes scientiæ habent eundem gradum certitudinis, eo quomodo Diuus Thomas docet nō esse necessarium ad hoc, quod aliqua propositio sit necessaria, quod nunquam deficere possit, sed

sed sufficere, quod non possit deficere frequenter, & attenta causarum dispositione, & apponit exemplum in hac consequentia, *si semen olivæ est in terra, oliva generatur*; & tamen generatio potest impediri per aliquam corruptionem. Maneat ergo fixum, quod ad hoc, quod aliqua consequentia sit bona, non requiritur, quod consequens absolutè non possit deficere posito antecedenti, sed sufficit, quod non possit deficere attenta causarum dispositione, & non requiritur, quod omnes causæ sint inclinatæ ad illud, sed sufficit cognoscere aliquas inclinatas esse naturaliter ad illud, dummodo non cognoscatur aliqua causa inclinata ad illud impediendum. Nec te miret si tam prolixè præcedens te titigi argumentum, nam in illo situs est totius difficultatis punctus.

8 Objicies secundo. Hæc conditionalis est contingens, *si ver est, tonitrua sunt*; ergo non omnis conditionalis est necessaria, aut impossibilis. Probatur antecedens. Eius obiectum est contingens; ergo etiam eius veritas. Confirmatur hoc argumentum. Inter consequentiam necessariam, & malam mediat cõsequentia topyca; ergo inter conditionalem necessariam, & impossibilem mediabit conditionalis contingens. Respondetur, negando antecedens. Ad probationem, nego antecedens. Itaque in illa consequentia solum infertur, quod attendẽdo ad dispositionem causarum in vere erũt tonitrua, & ita licèt tonitrua deficere possint in vere, non tamen deficere potest, quod attenta causarũ dispositione deberent esse tonitrua; & cum sensus illius propositionis, nimirum, *si vere est tonitrua sunt*, non sit alius, quã quod iuxta causarum dispositionem in vere erũt tonitrua, & hoc semper sit verũ: hinc prouenit, quod propositio illa sit necessaria, quod docuit D. Thom. 1. part. quæst. 19. art. 7 ad 2 & quæst. 12. de veritate art. 10. ad 7. illis verbis: *Aliquid potest dici esse futurum non solum ex hoc quod ita erit, sed quia ita ordinatũ est in causis suis, vt sit futurum: sic enim medicus dicit, iste sanabitur, & iste morietur, & si aliter contingat, non falsum dixit, sic enim futurum erat ex ordine causarũ, quod etiam possibile est impediri*; ergo ad hoc, quod aliquis effectus dicatur absolutè futurus, non amplius requiritur, quam quod causæ illius sint inclinatæ ad ipsũ producẽdũ: & cum in vere causę sint ad tonitrua inclinatæ: hinc prouenit, quod absolutè vere dicatur, in vere erunt tonitrua; eadẽ doctrina vtitur D. Thom. 3. par. q. 3. art. 3. Ad confirmationem concedo antecedens, & nego cõseq. Nam consequentia topyca est bona consequentia, vt dixi in solutione primi argumenti, & ad veritatem conditionalis, nihil aliud requiritur, quam quod sit bona consequentia.

9 Obijcies tertio. Inter illationem bonam, & malam potest mediare illatio contingens; ergo inter conditionalem necessariam, & impossibilem poterit mediare conditionalis contingens. Consequentia tenet. Antecedens probatur: Non est minor connexio prædicati cum subiecto, quam connexio consequentis cum antecedenti: at inter connexionem prædicati cum subiecto necessariam, vel impossibilem datur medium, nimirum connexio contingens; ergo pariter inter connexionem consequentis cum antecedenti necessariam, vel impossibilem dabitur medium, vtique connexio contingens. Respondetur, negando antecedens. Ad probationem, concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam. Ratio discriminis est. Nam connexio prædicati cum subiecto fundatur in habitudine formæ ad subiectum, quæ quidem triplex est, scilicèt, aut repugnantiæ, qualem dicit risibile respectu equi, aut conuenientiæ essentialis, qualem dicit respectu hominis, aut contingens, qualem dicit album respectu Petri, illatio autem fundatur in continentia consequentis in antecedenti, nã si continetur in illo, infertur benè ex illo, si autem in illo non continetur, malè infertur ex illo: & cum inter contineri, & non contineri nihil mediet, ideò inter esse bonam, & esse malam consequentiam non datur medium; vadè hæc propositio *Petrus est albus*, potest esse vera, si Petrus sit albus, at verò ista consequentia, *si est animal, est homo*, nunquam potest esse bona, quia licèt aliquando *ita sit*, nunquam tamen *ita sequitur*, & consequentia non dicit, quod ita est, sed quod ita sequitur. Quapropter non est eadem ratio. Obijcies quarto. Ista conditionalis, quæ habetur Matthæi 11. væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsayda, quia si in Tyro, & Sydone factæ essent virtutes, quæ in te factæ sunt olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent, est contingens, & idem dico de ista, *si Petrus esset religiosus saluaretur*; ergo non omnis conditionalis est necessaria, vel impossibilis. Ad hoc argumentũ, quid dicendũ sit constat ex probatione nostræ cõclusionis, & ex solutione primi argumenti, & ideò non repeto solutionem.

10 Obijcies 5. Secunda pars huius copulatiuæ, *aliquod animal est, & si tu es ipsummet, tu es equus*, est conditionalis contingens; ergo datur conditionalis aliqua contingens. Consequentia tenet. Antec. prob. signando subly *animal* equum est vera, & signãdo aliud animal est falsa; ergo absolutè est cõtingẽs. Respondet sapientissimus noster Mag. Soto, lib. 3. Summularum cap. 8. lectione 2. argum. 3. quod relatiuum reciprocũ in vna cathegorica nõ potest referre antecedens positũ

in

in alia, nam hoc est contra naturam eius, & ita ly *ipsummet* non potest referre ly *animal* positum in prima cathegorica, si autem admittamus hoc inconueniens, sequetur, & aliud, nempè quod detur aliqua conditionalis contingens. Sed contra replicatur. Ergo iam ruit fundamentum, quod assignat ipse noster sapientissimus Magister, & omnes ad tuendum quod omnis conditionalis, aut est necessaria, aut impossibilis. Sequela probatur. Fundamentum erat, quia consequētia, quæ semel est bona, semper est bona, & quæ semel est mala, semper est mala: sed semel admisso, quod detur conditionalis contingens in illa non valet consequentia, est semel bona; ergo semper est bona; ergo ruit fundamentum. Dices quod quando admittitur, quod datur cōditionalis contingens, si ly *ipsummet* referret, animal non cognoscitur veritas, aut falsitas conditionalis immediatè, donec ly *animal* resoluatur & tunc facta resolutione antecedentis, si cōditionalis semel est vera, semper erit vera, & si semel est falsa, semper erit falsa, nam tunc est vera, quādo signatur ly *equus* sub ly *animal* & semper est verum, quod si aliquis sit equus est equus, & tunc est falsa, quando sub ly *animal* signatur aliud animal, quod non sit equus, & sic semper est falsa. Sed contra replicabis. Sequitur ex hac doctrina hinc cōditionalem esse contingentem, *aliquod animal est, & si tu est illud, tu est equus*; consequens est falsum; ergo & antecedens. Sequela probatur. Etiam fit prius resolutio sub antecedenti, quam sub relatiuo, & ostenso equo cōditionalis est vera, ostensis autem alijs animalibus est falsa; ergo absolutè erit contingens. Ad hoc argumentum respondetur solutionem datam esse legitimā, & ad vltimam replicam nego sequelam. Ad probationem distinguo antecedens, ita vt relatiuum resoluatur ad resolutionem antecedentis; nego antecedens, ita vt resolutio antecedentis non sit resolutio relatiui; concedo antecedens, & nego consequentiam. Hoc enim est discrimen inter relatiuum reciprocum, & non reciprocum, quod illud resoluitur ad resolutionem sui antecedentis, non autem istud, vnde in prædicta propositione aliquod *animal est, & si tu est illud, tu est equus*, quamuis resoluatur ly *animal*, semper relatiuum refert animal in cōmuni, & ita cōseq. semper est mala, nam sensus conditionalis est, si tu est animal, tu est equus, ac per consequens propositio est impossibilis.

11 Obijcies sexto. Hæc conditionalis, *si Papa dormit Romæ, Turca saltat Constantinopoli* est contingens; ergo datur propositio conditionalis contingens. Consequentia tenet, & antecedens probatur. Eius obiectum

est contingens; ergo etiam ipsa contingens erit. Ad hoc argumentum respondetur admittendo antecedens, & distinguendo consequens, conditionalis illatiua nego consequent. conditionalis concommitanter sumpta trā seat consequens. Itaque prædicta conditionalis non est illatiua, quia ly *si* non sumitur illatiuè, sed concommitanter, non enim denotat illationem vnius: ex alio, sed concommitantiam, & coexistentiam vnius cum alio, nempè consequentis cum antecedenti. cum autem hæc coexistentia, & concommitantia possit esse inter extrema, quæ solum accidentaliter concommitantur potest dari conditionalis concommitans contingens, cæterum nihil contra nos, eo quod solum in nostra conclusione loquimur de conditionalibus illatiuis. Denique obijcies. Hæc conditionalis, *si mihi seruieris, dabo tibi librum*, est contingens; ergo datur conditionalis contingens. Probatur antecedens. Adimpleta conditione stat adimpleri, & non adimpleri promissum; ergo est conditionalis prædicta contingens. Respondetur admittendo antecedens, & distinguendo consequēs, cōditionalis promissiua, concedo consequentiam, illatiua nego consequentiam. Itaque conditionalis promissiua duplicem veritatem includit, vt aduertit noster Eminentissimus Caietanus 2.2. quæst. 89. art. 7. circa solutionem 1. argum. alteram, in qua conuenit cum assertoria, & ad hanc requiritur, quod promittēs habeat propositū adimplendi promissum; vnde si habet tale propositum, propositio est vera, si non habet est falsa: cum autem promittens possit habere propositum, & possit etiam non habere propositum, cum sit liber ad vtrumlibet; fit consequens, quod propositio conditionalis promissiua, quoad istam veritatem sit contingens, alteram habet veritatem, in qua differt à propositione assertoria, vt scilicet, faciat esse verum, quod promittit, & secundum hanc veritatem, non dicitur propositio statim vera, aut falsa, sed post adimpletū tēpus promissionis, quo impleto, si adimplet promissum, qui promisit propositio dicitur vera, si nō, propositio dicitur falsa: & cum possit vnum, & aliud contingere: hinc prouenit, quod propositio conditionalis promissiua etiam quoad istam veritatem est contingens, quod expresè fatetur noster sapientissimus Magister Soto, lib. 3. Summularum cap. 8. lect. 3. notabili 1. De propositionibus autem de conditionato extremo, vt istæ, *Petrus est animal si est homo; animal si est homo*, dicimus istas propositiones reducendas esse ad conditionales, si subiectum sit terminus singularis, & per suas conditionales cognoscendas esse iuxta doctrinam nostri sapientissimi

mi Magistri in hoc capitulo, lect. 4. notabili 1. & 2. De copulatiuis, & etiam de disiunctiuis sufficiant dicta à nostro sapientissimo Magistro; semper tamen præ oculis est habendum, quod propositio de disiuncto extremo, quando disiunctum supponit confusè in ordine ad aliquam vniuersalitatem non potest immediatè reduci ad suam disiunctiuam; vndè hæc cõsequentia nihil valet, *omnis homo est bonus, vel malus; ergo omnis homo est bonus, vel omnis homo est malus*, arguitur enim in illa à confusa ad determinatam ex parte de ly *vel*, vt diximus in 1. quæst. præcedentis disputationis. In calce huius quæstionis aduertendum erit omnem propositionem modalem, aut necessariam, aut impossibilem esse; eo quod in omni propositione modali ponitur modus, quæ prædicatum dicitur de subiecto; quo circa omnis propositio modalis, aut necessaria, aut impossibilis est. Et hæc dicta sufficiant de tota ista disputatione applicãdo litteræ nostri sapientissimi Magistri lib. 3. Sũmularum à capitulo sexto, vsque ad capitulum vltimum per omnes eorum lectiones, & notabilia.

Disputatio vltima, De Syllogismo.

QVÆSTIO I.

Vtrùm diffinitio Syllogismi sit bona?

4 RElictis propositionibus exponibilibus, de quibus sufficiunt dicta à nostro sapientissimo Magistro, per quæ omnia argumenta contra exponibiles facta facilè dissoluũtur, inquirimus modo, an diffinitio syllogismi sit bona. Igitur syllogismus sic diffinitur à Petro Hispano. *Syllogismus est oratio in qua quibusdam positis, & concessis, necesse est aliud accidere per ea, quæ posita sunt, & concessa*: vt *omne animal est substantia, omnis homo est animal; ergo omnis homo est substantia.* De syllogismo autem dupliciter possumus loqui, vno modo quatenus habet potestatem ad inferendam conclusionem, alio modo quatenus habet efficaciam ad conuincendum respondentẽ, in prima consideratione non est necessum, quod præmissæ concedantur: in secunda vero acceptione, necessum erit præmissas concedere; non enim potest respondens conuinci, nisi præmissas concedat: vndè per illam particulam, *in qua quibusdam positis, & concessis*, explicatur vis syllogismi, quæ sita est in hoc, quod

præmissis existentibus veris, impossibile est conclusionē esse falsam, quo circa concessis præmissis, conclusio necessario concedenda erit. Omnis autem syllogismus constat ex tribus propositionibus, quarum prima dicitur maior, & secunda minor, & tertia dicitur conclusio. Insuper constat ex tribus terminis, quorum vnus dicitur maior extremitas, scilicèt, ille, qui est cum medio in maiori propositione, & alter, qui est cum medio in minori propositione, dicitur minor extremitas; & terminus, qui bis repetitur in præmissis, dicitur medium. Hoc supposito resolutoriè dicendum est diffinitionem syllogismi esse bonam. Hæc conclusio probatur hac vnica ratione. Prædicta diffinitio constat ex genere, & differentia, & aliàs concurrunt illi aliæ conditiones bonæ diffinitionis; ergo prædicta diffinitio est bona. Consequentia tenet. Antecedens vero probatur. Illa particula oratio ponitur loco generis, in qua conuenit syllogismus cum omnibus orationibus, quæ syllogismi non sunt, illa vero particula, *in qua quibusdam positis, & concessis, necesse est aliud accidere,* ponitur loco differentiæ per quā distinguitur syllogismus ab omnibus orationibus, quæ syllogismi non sunt; ergo prædicta diffinitio constat ex genere, & differentia, & cōsequenter est bona

2 Contra istam conclu-

sionem obijcies primo. Bona diffinitio debet dari per genus proximum: sed oratio non est genus proximum, sed remotum ad syllogismum; ergo diffinitio illius est mala. Minor probatur. Genus proximum est propositio; ergo oratio non est genus proximum. Confirmatur. Quamuis præmissæ non concedantur, tamen si rectè inter se sint dispositæ, necessariò parturiunt conclusionem; ergo illa particula, & *concessis*, superfluè ponitur in diffinitione syllogismi. Respondetur prædictam diffinitionem dari per genus remotum, & nihilominus esse bonam; eo quod ex non positione generis proximi non sequitur aliqua magna confusio, quæ explicationem rei diffinitæ impediat; & quia aliæ species modi sciendi per orationem loco generis positam diffiniuntur, etiam syllogismus, vt non mutetur ordo diffiniendi, per orationem loco generis positam diffinitur. Recolantur dicta in diffinitione argumentationis. Ad confirmationem dicatur, quod illa particula, & *concessis*, non est necessaria ad explicandam potestatem illatiuam syllogismi, esse tamen necessariam ad explicandam vim conuincitiuam syllogismi, qui non potest respondentem conuincere, nisi præmissæ concedantur. Obijcies secundo. In probabili sententia conclusio non est de essentia syllogismi; ergo positis

præ-

præmissis, non est necessum conclusionem inferre. Antecedens est certum, & consequentia probatur; in prædicta sententia ante conclusionem saluatur syllogismus; ergo positis præmissis non est necessum inferre conclusionem. Respondetur concedendo antecedens, & distinguendo consequens, conclusionem formaliter sumptam, concedo consequentiã, terminatiuè acceptã, nego conseq. Licèt enim in præmissis sine conclusione formaliter, & subiectiuè illata saluetur syllogismus, tamen sine conclusione terminatiuè accepta, quatenus est terminus ordinis præmissarum, nunquam saluatur syllogismus; eo quod præmissæ, sine ordine ad conclusionem in nulla sententia sunt syllogismus; de quo in quæstione sequenti. Vel secundo dicatur verba in difficultione non dicere actum, sed aptitudinem; vndè illa particula, *necessum est aliud accidere*, non dicit, quod de facto conclusio necessariò inferatur, sed quod præmissæ positæ quantum est ex se necessariò inferunt conclusionem; siue conclusio sit de essentia syllogismi, siue non, quod in omni sententia est admittendum. Inquires an ex falso possit sequi verum? Ad quod breuiter respondeo, quod ex falso reduplicatiuè, vt falso nunquam sequitur verum; eo quod falsum reduplicatiuè, vt falsum non continet verum, nec verum per falsum, vt falsum potest probari, ex falso tamen admisso, vt vero potest sequi verum sicut admisso, *hominem esse lapidem*, ex hoc benè infertur *hominem esse substantiam*: ex vero tamen nunquam sequitur falsum; eo quod verum, cum sit ex integra causa, nullam potest continere falsitatem. Vndè verum nunquam potest admitti, vt falsum: at verò falsum, cum sit ex quocumque defectu, potest pro aliqua sui parte veritatem continere, vndè potest admitti, vt verum. Nec refert si dicas quod quamuis admittatur hominem esse lapidem, ex hoc solum infertur hominem esse substantiam idemtificatam cum lapide: sed hoc est falsum; ergo ex falso nunquam sequitur verum. Non inquam hoc refert. Nam licèt absolutè sit falsum hominem esse substantiam idemtificatam cum lapide, tamen admisso homine esse lapidem non est falsum, hominem esse substantiam idemtificatam cum lapide; vndè argumentum solum probat ex falso, vt falso nunquam posse sequi verum; non tamen conuincit ex falso admisso vt vero non posse sequi verum. Si iterum inquiras an ex necessariò possit sequi contingens? Etiam breuiter respondeo, quod ex necessariò nunquã sequitur contingens; aliàs in bona consequentia possit dari an-

antecedens verum, & consequens falsum; ex essentiali vero benè potest sequi contingens, si essentiale importet aliquam cōtingentiam ex parte subiecti, sicut in hac consequentia: *Petrus, qui existit est animal, ergo Petrus est animal, & ille existit*, in qua antecedens est propositio essentialis, & consequens contingens; rationem huius assignauimus agentes de propositionibus, in quibus verbum absoluitur à tēpore.

QVÆSTIO II.

Vtrùm conclusio sit de essentia syllogismi?

QOd inquirimus est, an essentia syllogismi saluetur in præmissis, an vero essentialiter petat præmissas, & conclusionem. Et quidem certū est syllogismū formaliter sumptum consistere in secunda intentione rationis taliter manifestatiua ignoti, de cuius essentia non potest esse conclusio. Vnde difficultas solum reducitur ad substractum talis secundæ intentionis, an, scilicet, solum præmissæ sint substractum huius secundæ intentionis, an vero substractum illius essentialiter includat præmissas, & conclusionem. In qua parte triplex sententia versatur. Prima est affirmatiua, & secunda negatiua; tertia vero est media inter primam, & secundam asserens substractum secundæ intentionis syllogismi non consistere in solis præmissis, nec in sola cōclusione: sed in quadam illatione ex præmissis ad conclusionē. Resolutoriè tamen dicendum est syllogismum essentialiter cōsistere in solis præmissis, & non claudere essentialiter conclusionem. Hæc conclusio probatur hac vnica ratione. Syllogismus est quædā species modi sciendi; cū modus sciēdi diuidatur in diffinitionē diuisionē, & argumētationem, & argumentatio in enthimemas syllogismum, & exēplum diuidatur; ergo syllogismus essentialiter consistit in illo, quod manifestat tali modo ignotum: sed solæ præmissæ sunt manifestatiuæ ignoti, scilicet, cōclusionis; ergo in solis præmissis consistit essentialiter syllogismus. Totus discursus est legitimus. Et minor sub sumpta probatur. Nam conclusio, vt conclusio non est manifestatiua ignoti, sed potius est manifestata; ergo solæ præmissæ in syllogismo sunt manifestatiuæ ignoti. Confirmatur hæc ratio. Secunda intētio syllogismi, in qua syllogismus formaliter consistit, est secunda intentio peculiaris modi sciendi taliter manifestatiua ignoti, scilicet, per argumentationem; ergo substractum huius secundæ intentionis debet esse aliquod manifestatiuum ignoti; vt secunda intentio, & ipsius substractum habeant aliquam proportionem; sed solæ præmissæ

sunt

sunt manifestatiuæ ignoti, secus vero conclusio; ergo subiectum secundæ intentionis syllogismi in solis præmissis essentialiter consistit, & non claudit essentialiter conclusionem. Confirmatur 2. Diffinitum non ingreditur diffinitionem, nec diuisum diuisionem; ergo nec conclusio debet ingredi syllogismum. Antecedens est certum. Consequentia vero prob. Nam sicut per diffinitionem manifestatur diffinitum, & per diuisionem diuisum, ita per syllogismum manifestatur conclusio; ergo si diffinitum nō ingreditur diffinitionem, nec diuisum diuisionem, ita similiter conclusio non ingredietur syllogismum.

2. Contra istam conclusionem obijcies 1. Dionysium Diuo Thomæ opusc. 48. illis verbis: *Sicut omnis triangulus constat ex tribus angulis ita syllogismus constat ex tribus propositionibus*; ergo conclusio iuxta mentem Diui Thomæ est de essentia syllogismi. Resp. explicando D. Thom. ly *sicut* dicente paritatem in numero partium, concedo anteced. ly *sicut* dicente paritatem in numero, & modo habendi partes, nego anteced. & conseq. Itaque syllogismus, & triangulus conueniunt in numero partium, & in hoc est parita inter syllogismū, & triangulum; nam sicut triangulus habet tres angulos, ita syllogismus habet tres propositiones; discriminantur tamen in modo habēdi partes; nam triangulus constat essentialiter ex tribus angulis, ex quibus essentialiter componitur, & non saluatur eius essentia, nisi in tribus angulis: at vero syllogismus non constat ex tribus propositionibus essentialiter ipsum componentibus, & sine quibus non saluetur eius essentia; siquidem, vt iam probatū est, essentia illius in solis præmissis saluatur, vnde D. Thom. solum appposuit paritatem in numero partium, non tamē in modo habendi partes. Obijcies secundo. Propositio non saluatur, nisi in illo, quod enunciatur, & in illo, de quo enunciatur; ergo similiter syllogismus non saluabitur, nisi in illo quod infert, & in illo quod infertur; & per consequens sicut subiectum, & prædicatum sunt de essentia propositionis, ita præmissæ, & conclusio erunt de essentia syllogismi. Probat. conseq. Nam sicut essentia propositionis consistit in ratione totius enunciatiui; ita essentia syllogismi in hoc, quod est inferri vnum de alio consistit; ergo sicut essentia propositionis nequit saluari nisi in illo, quod enunciatur, & in illo, de quo enunciatur, ita similiter essentia syllogismi nequibit saluari nisi in illo, quod infert, & in illo, quod infertur; ac per cōsequens conclusio ingreditur essentiam syllogismi. Confirm. Quidquid ponitur in diffinitione alicuius est de illius essentia; sed cōclusio po-

ponitur in diffinitione syllogismi; ergo est de illius essentia. Minor constat ex illa particula, *necesse est aliud accidere*, posita in diffinitione syllogismi. Confirmat. 2. Conclusio non solum est manifestata, sed aliquando est manifestans; ergo conclusio erit de essentia syllogismi. Consequentia tenet. Anteced. vero probat. Multoties præmissæ per conclusionem manifestantur; ergo conclusio nō solum est manifestata, sed aliquando est manifestans. Tertio. Totum dicit ordinē ad suas partes: & tamen partes totius sunt de essentia illius; ergo licet syllogismus respiciat conclusionem, conclusio erit intrinsicè de essentia illius. Respondet. concedendo anteced. & negādo conseq. Disparitas consistit in hoc, quod essentia propositionis consistit in ratione totius enuntiui vnius de alio, quæ non potest saluari, nisi in illo, quod enunciatur, & in illo de quo enunciatur. Quo circa vtrumque ingreditur essentiam illius: at verò essentia syllogismi, vtpotè species est modus sciendi, consistit in ratione manifestatiui, quæ solum inuenitur in præmissis, & non in conclusione, quapropter conclusio non ingreditur essentiam syllogismi; vnde non est eadem ratio. Ad primam confirmationem distinguo maiorem; quidquid ponitur in recto in diffinitione alicuius est de illius essentia, admitto maiorem; quidquid ponitur in obliquo, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego conseq. Non enim omne illud, quod ponitur in diffinitione alicuius est de essentia illius, nisi ponatur in recto; & cum in diffinitione syllogismi conclusio solum ponatur in obliquo: hinc fit, quod non sit de essentia illius. Et instò argumentum. Nam in diffinitione vnius relatiui ponitur aliud correlatiuum: & tamen non est de essentia relatiui, quod diffinitur; aliàs filius esset de essentia patris, quia patet in ordine ad filium diffinitur. Ad secundam dicatur conclusionem sub ratione conclusionis semper esse manifestatam, & nunquam manifestātem, nam si aliquando præmissæ per conclusionem manifestantur, tunc conclusio habet rationem præmissæ, & præmissæ accipiuntur sub ratione conclusionis, & quatenus conclusio sunt; vnde conclusio sub ratione conclusionis, nunquam est manifestans, & semper est manifestata. Ad tertiam admissa maiori, & minori, nego conseq. Ratio discriminis est. Nam totum dicit relationem includētis ad inclusum ad suas partes; quo circa intrinsicè illas includit, & ratio totius illas essentialiter exigit: at verò relatio, quam dicit syllogismus ad cōclusionem est relatio manifestatiui ad manifestatum, & ratio syllogismi in ratione manifestatiui consistit: & cum ratio manifestatiui

non

non includat essentialiter, & intrinsicè manifestatum: hinc provenit syllogismum essentialiter, & intrinsicè non includere conclusionem. Vel secundo dicatur partes totius esse de essentia illius, non quatenus terminant relationem totius, sed quatenus sunt causæ intrinsicæ totum cõponentes: at verò conclusio solum habet rationem termini extrinsici terminantis ordinem præmissarum, & non rationem causæ intrinsicæ componentis syllogismum; quapropter non est de essentia syllogismi; cum nullus terminus extrinsecus sit de essentia respicientis ipsum.

3 Objicies tertio. Vnus syllogismus essentialiter differt ab alio per conclusionem; ergo conclusio est de essentia syllogismi. Consequentia tenet, & antecedens probatur. Syllogismus de *Barbara* essentialiter differt à syllogismo de *Baralipton*; cum vnus sit perfectus, & alter imperfectus: sed non differt per aliud, nisi per conclusionem; ergo vnus syllogismus essentialiter differt ab alio per solam conclusionem. Minor probatur. Prædicti syllogismi non possunt inter se essentialiter differre per præmissas; testatur ergo quod differant per conclusionem. Probat. antecedens. Præmissæ in vtroque syllogismo sunt eædem: sed idem non potest esse causa distinctionis; ergo per præmissas nequeunt differre prædicti syllogismi. Maior probatur. Præmissæ vtriusque syllogismi sunt duæ propositiones vniuersales affirmatiuæ, in prima figura dispositæ; ergo præmissæ in vtroque syllogismo sunt eædem, & eodem modo dispositæ. Respond. negando antecedens. Ad probationem concessa maiori negamus minorem. Ad probationem distinguo anteced. sunt eædem materialiter, concedo anteced. sunt eædem formaliter, nego anteced. & conseq. Licet enim præmissæ vtriusque syllogismi sint eædem materialiter; eo quod in vtroque syllogismo præmissæ sunt propositiones vniuersales affirmatiuæ eodem modo dispositæ, tamen sunt diuersæ formaliter; quia non respiciunt eandẽ conclusionem, & eodem modo inferibilem; nam præmissæ de *Barbara* respiciunt cõclusionem vniuersalem directè inferibilem, præmissæ autè de *Baralipton* respiciunt conclusionem particularem indirectè inferibilem; vnde præmissæ vtriusque syllogismi sunt formaliter distinctæ penes diuersos ordines ad diuersas conclusiones; ac per consequens prædicti syllogismi non per conclusiones, sed per diuersos ordines ad diuersas conclusiones diuerso modo inferibiles essentialiter distinguuntur. Nec refert si dicas, syllogismos de *Celarem*, & *Celantes* habere easdem præmissas respicientes eandem conclusionem, & eodem modo

modo inferibilem; ergo secundum istam doctrinam isti syllogismi essentialiter nō distinguūtur. Prob. anteced. Syllogismus de Celarem respicit conclusionem vniuersalem negatiuam directè, & indirectè inferibilem: sed etiam syllogismus de *Celantes* respicit conclusionem vniuersalem negatiuam directè, & indirectè inferibilem; ergo prædicti syllogismi habent eadem præmissas respicientes eandem conclusionem, & eodem modo inferibilem. Maior, & minor simul probantur. Nam secundum nostrum sapientissimum Magistrū in hoc cap. 4. lect. vnica, notabili 3. omnis syllogismus inferens propositionem vniuersalem negatiuam directè potest illam indirectè concludere, & è conuerso; cum propositio vniuersalis negatiua sit conuertibilis simpliciter; sed vterque ex prædictis syllogismis respicit conclusionē vniuersalem negatiuam; ergo vterque respicit eandem cōclusionem, & eodem modo inferibilem. Non inquam hoc refert. Etenim syllogismi de *Celarem*, & *Celantes* per se non respiciunt eandem conclusionem, & eodē modo inferibilem; eo quod syllogismus de *Celarem* per se, & ex proprijs meritis respicit conclusionem directè inferibilem, syllogismus autem de *Celantes* per se, & ex proprio conceptu respicit conclusionem indirectè inferibilem; quod autem syllogismus de *Celarem* respiciat conclusionē indirectè inferibilem, & syllogismus de *Celantes* respiciat conclusionem directè inferibilem, hoc est per accidens; eo quod conclusio, vtpotè vniuersalis negatiua propter conuersionem simplicem vtroque modo est inferibilis.

4 Obijcies vltimo. Discursus essentialiter, & intrinsicè claudit præmissas, & conclusionem; ergo etiam syllogismus. Antecedens est certum. Nam discursus est motus discretus procedens à præmissis ad conclusionem: sed motus discretus claudit intrinsicè, & in recto duplex mutatum esse terminorum *à quo*, & ad *quē*; vt communiter docent Thomistæ 1. p. quæst. 53. ergo discursus essentialiter, & intrinsicè claudit præmissas, & conclusionem. Consequentia vero probatur. Syllogismus dirigit tertiam operationem intellectus, quæ est discursus; ergo si discursus essentialiter, & intrinsicè claudit præmissas, & conclusionem, etiam syllogismus essentialiter, & intrinsicè claudet præmissas, & conclusionem. Resp. admittendo anteced. & negando conseq. Ad probationem distinguo anteced. Syllogismus secundum ea quæ dicit in recto, & essentialiter, dirigit discursum adæquatè sumptum, nego anteced. inadæquatè, & secundum sui partem acceptum, concedo antec. & nego conseq. Itaque syllogismus

mas ſecũdum ea quæ dicit in recto, & in obliquo, & extrinſicè dirigit diſcurſum adæquatè ſũptum: at verò ſecundum illa prædicata, quæ dicit in recto, & eſſentialiter, ſolum dirigit diſcurſum inadæquatè ſumptum, & ſecundum ſui partem, ſcilicet, ſecundum præmiſſas; vnde licet diſcurſus, præmiſſas, & concluſionem intrinſicè, & in recto includat, tamen ſyllogiſmus, quia ſolum ſecundum ea quæ in recto importat, dirigit diſcurſum inadæquatè ſumptum, & ſecundum ſui partem non includit in recto, & intrinſicè præmiſſas, & concluſionem; licet conſideratus ſecundum illa, quæ dicit in recto, & in obliquo, & extrinſicè includat præmiſſas, & cõcluſionem, ſecundum quam rationem dirigit diſcurſum adæquatè ſũptum. Et ratio huius doctrinæ eſt. Nam diſcurſus, cum ſit motus diſcretus terminum à quo, ſcilicet, præmiſſas, & terminum ad quem, nimirum, concluſionem intrinſicè, & in recto claudit. Syllogiſmus verò cum ſolum importet rationem manifeſtatiui, quæ in ſolis præmiſsis inuenitur; ideò in recto, & eſſentialiter claudit ſolas præmiſſas, quamuis in obliquo, & accidentaliter etiam concluſionem includat. Sed cõtra iſtam ſolutionem repetabis primo. Syllogiſmus dirigit diſcurſum pertinentem ad tertiam intellectus operationem: ſed partes diſcurſus non ſpectant ad tertiam operationem intellectus; ergo ſi ſyllogiſmus ſecundum ſui eſſentialia dirigit tertiam operationem intellectus, dirigit etiam diſcurſum adæquatè ſumptum, & ſecundum ſui omnia. Minor probatur. Partes propoſitionis non pertinent ad ſecundam intellectus operationem, ſed ad primam; licet tota propoſitio ad ſecundam operationem pertineat; ergo ſimiliter partes diſcurſus non pertinebũt ad tertiam operationem intellectus, ſed ad illam totus diſcurſus pertinebit. Secundo. Totus diſcurſus adæquatè acceptus eſt dirigibilis per aliquod inſtrumentum logicale, non per aliud, niſi per ſyllogiſmum; ergo ſyllogiſmus dirigit diſcurſum adæquatè ſumptum. Reſpondetur ſolutionem datam eſſe legitimam. Et ad replicam nego anteced. Ad probationem dicatur, quod licet partes diſcurſus, ſcilicet, præmiſſæ ſecundum ſe conſideratæ, & abſolutè ſumptæ, non pertineant ad tertiã intellectus operationem, tamen conſideratæ, quatenus reſpiciunt concluſionem ex ipſis inferibilem reductiuè, ſpectant ad tertiam intellectus operationem; & eodẽ modo diſcurrimus de partibus propoſitionis, quæ vt reſpiciunt, ſua ſignificata pertinẽt ad primam, & quatenus reſpiciunt propoſitionem ex ipſis componibilem reductiuè ſpectant ad ſecundam intellectus operationem: & cum

ſyllo-

syllogismus dirigat discursum secundum præmissas conclusionem respicientes; ideò dicimus syllogismum tertiam intellectus operationem dirigere. Ad secundam dicatur discursum adæquatè sumptum dirigi per totum complexum complectens præmissas, & conclusionem, quod complexum non est syllogismus secundum sibi essentialia, sed est quædam propositio hypothetica. Sed adhuc urgebis. Totus discursus adæquatè sumptus est dirigibilis per aliquod instrumentum logicale, quod sit modus sciendi ad tertiam operationem intellectus spectans: sed propositio hypothetica, nec est modus sciendi, nec pertinet ad tertiam intellectus operationem; cū solum importet compositionem; ergo per illam non potest discursus adæquatè sumptus dirigi. Respondetur propositionem illam hypotheticam, non pertinere ad tertiam intellectus operationem quatenus propositio est, ad illam tamen spectare, quatenus talis propositio est, & ratione materiæ ex qua componitur. Vel secundo dicatur, quod ad hoc quod totus discursus per instrumētū logicale dirigatur, sufficit, quod inadæquatè sūptus dirigatur per syllogismū secūdum sibi essentialia, & adæquatè acceptus dirigatur per syllogismum secūdum sibi essentialia, & secundum illa, quæ in obliquo dicit. Non enim maior propertio est necessaria inter dirigens, & directum; eo quod non debent esse idem, sed solum aliquam proportionem habere. Si autem inquiras, an conclusio terminativè sumpta sit de essentia syllogismi? Breviter respondetur, omnem terminum esse extrinsecum respicienti, vnde conclusio etiā terminativè accepta non pertinet ad intrinseca, & essentialia syllogismi, licet sine illa saltim terminativè sumpta non possit intelligi syllogismus, in quo sensu possumus dicere, quod essentialiter tanquam terminus pertinet ad syllogismum; quia hoc modo nō considerator vt manifestata, sed vt terminus relationis præmissarum.

QVÆSTIO III.

Vtrùm leges syllogismorum vsque ad terminos diuinos extendantur?

1 HOc principium *quæcumque sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se*, quod inuenitur in Aristotele 7. Topicorum cap. 1. est vasis, & fundamentum bonitatis consequentiæ, quæ reperitur in syllogismis, & præcipuè illius, quæ inuenitur in syllogismo expositorio, qui immediatè regulatur per hoc principium, & ideò explicatione opus habet diuersi diuersimodè illud explicant, nostet tamē Angelicus Magister 1. p. quæst. 28. art. 3. docet illud principium esse vni-

hiuersaliter verum, tamen sic esse intelligendum, *quæcumque sunt eadem vnitertio re, & ratione, sicut indumentum, & tunica sunt eadem inter se*, quam explicationem adducit ex Aristotele 3. Physicorum, textu 20. Alio modo explicar D. Thomas hoc principium 1. sententiarū dist. 33. art. 1. nempe; *quæcunque sunt eadem vnitertio, sunt eadem inter se, quantum ad illud, in quo idētificantur cum tertio*, quæ expositio est etiā Caietani 1. p. q. 28. art. 3. Ferrariæ. 2. contra gētes, cap. 9. Ex hijs autem expositionibus D. Thomæ, sic iudico præ dictum principium esse intelligendum, *quando aliqua sunt eadem vnitertio re, & ratione, id est, nulla interueniēte distinctione reali, nec rationis necessario sunt eadē inter se.* At verò quando aliqua sunt eadem vnitertio re, nō tamen ratione vtrumque permittitur, & quod sint eadem inter se, & quod non sint eadem inter se, & tunc ea, quæ identificātur cum tertio re, non tamen ratione, necessariò erunt eadem inter se realiter, quando distinctio rationis illorū à tertio solum importatur exercitè, non tamen signatè; quia distinctio rationis exercitè importata inter aliqua extrema, nō tollit vnū extremū de alio prædicari; hæc enim prædicatio, *iustitia est misericordia*, est vera, quātūs inter iustitiam, & misericordiam distinctio rationis exercita intercedat. In quo sensu probauit D. Thomas 2. contra gentes, cap. 9. potentiam diuinam, & actionem diuinam inter se identificari, quia identificantur cū substantia diuina, quia licet ratione à substantia diuina distinguantur, illa tamen distinctio solum exercitè importatur; per quod soluitur quodam argumentum, in quo nimis fidit Vazquez, & Molina. Quando vero aliqua identificantur cum aliquo tertio re, non tamen ratione, ita vt distinctio rationis illorum à tertio signatè importetur, tunc non identificabuntur inter se; sicut cum identificatione reali patris, & filij cum essentia diuina ob solam distinctionem rationis illorum ab essentia diuina, quia signatè importatur, nō stat identificatio realis illorum inter se; ex distinctione enim rationis signatè importata cō tingit defectus ab identica ad formalem; quod autem Pater, & filius distinctione rationis signatè distinguantur ab essentia diuina patet; nam pater, & filius sunt relatiui, essentia autem diuina est aliquid absolutum; inter absolutum autem, & relatiuum distinctio rationis signatè versatur; & ex hoc sequitur explicatio huius modi principij, quando ponitur negatiuè, nempè *quæcumque non sunt eadē vnitertio, non sunt eadem inter se*; quod sic debet intelligi, quando aliqua non identificantur cum

aliquo tertio, nec re, nec ratione, necessariò non identificantur inter se. Quando autem aliqua identificantur cum aliquo tertio re, non tamen ratione si distinctio rationis signatè importetur, necessariò non identificantur inter se; secus vero si solum exercitè importetur; & per hoc principium negatiuè sumptum, & sic explicatum regulatur bonitas consequentiæ, quę inuenitur in syllogismo negatiuo, & præcipuè illius, quæ reperitur in syllogismo expositorio negatiuo; in quocumque enim syllogismo ex connexione extremitatum cum medio in præmissis infertur in cõclusione connexio extremitatum inter se, & ex connexione vnius extremitatis cum medio, & remotionis alterius extremitatis à medio in præmissis infertur in conclusione remotio extremitatum inter se, vt patet in syllogismo negatiuo. Deinde supponẽdum est omnia absoluta, quæ in Deo reperiuntur identificari realiter inter se, identificantur enim natura diuina cum intellectu diuino, & intellectus diuinus cum volũtate diuina, & iustitia cum misericordia, & vtraque cum Deo, & sic de alijs attributis, iuxta illud D. Anselmi, *in diuinis omnia sunt vnum, vbi non est relationis oppositio.* Vnde Pater identificatur cum natura diuina, & similiter filius, & Spiritus sanctus cum natura diuina identificãtur; quia licet omnes tres diuinæ personæ importent relationes realiter inter se oppositas, relationes tamen cum diuina natura non opponũtur; eo quod diuina natura est aliquid absolutum: inter relatiuũ autem & absolutum oppositio relatiua inueniri non potest. Similiter aduertendum est, nõ attinere ad Catholicum Christianum probare suam fidem per principia dialectica, & per demonstrationem euidentem; eo quod nostra fides, vtpotè diuinitus reuelata excedit totã naturam, & omnia principia naturalia, & ideò dicit Apostolus, *captiuantes intellectum in obsequium fidei*, tũ etiam, nam scientia, & fides non compatiuntur; ergo fides non est demonstrabilis per principia naturalia, aliàs non esset fides, sed scientia: fides igitur ex auditu: attamẽ ad Catholicum dialecticũ, & Theologum spectat suam fidem ab omni hæreticorum argumento vindicare; & ratio est. Nam de vero, vt ait Philosophus nõ potest demonstrari oppositum; cũ igitur nostra fides sit verissima: hinc prouenit, quod omnia argumenta contra illam factam nõ sint efficacia; ac proinde facilimam habent solutionem.

2 Denique omnibus debet esse in confesso terminos diuinos esse in triplici differentia, alij sunt essentiales, alij personales, alij notionales; *termini essentiales*

tiales in diuinis sunt illi, qui per se, & immediatè, & formaliter significant essentiam, siue in abstracto, sicut ly essentia, ly deitas, ly bonitas, siue in concreto, sicut ly Deus, ly bonus, ly iustus, terminus autem personalis est ille, qui per se, & immediatè significat personam, vt ly Pater, ly Filius, & ly Spiritus Sanctus, & ly persona, & personæ in plurali, & ly trinitas, qui est terminus personalis collectiuus. Terminus denique notionatis est ille, qui per se, & immediatè significat notionē per modum actionis, vel passionis, vt ly generare, ly generari, ly generans, ly genitus, notio autem sic diffinitur à D. Thoma p. 1. quæst. 32. *Notio est ratio cognoscendi, siue ignoscendi diuinam personam, quatenus ab alia distinguitur*; quę diffinitio est, etiam D. Augustini lib. 5. de Trinitate cap. 7. Hìc aduertendum erit cum D. Thoma 1. p. quæst. 39. art. 3. & 4. quod nomē essentiale, siue terminus essentialis non supponit pro persona, quamuis de persona verificetur, nec terminus personalis supponit pro essentia, quāuis de essentia verificetur. Conceditur enim, *Pater est essentia*, & etiam conceditur, *essentia diuina est pater*, & ratio est. Nam non omnis verificatio est suppositio, vt ait sapiētissimus Magister Soto lib. 2. Summularum, cap. de suppositione, notabili 3. nam ly *homo* verificatur de Petro, & de Paulo, & nō supponit pro Petro, & Paulo; solum igitur illa verificatio est suppositio, quæ est verificatio termini pro aliquo ex virtute significationis termini, ly autē *essentia diuina*, si de Patre verificatur non verificatur ex virtute, significationis ipsius termini, sed ratione identitatis, quam habet suum significatum cum Patre, & eodem modo verificatur ly *pater* de essentia diuina ratione connexionis, siue identificationis, quam cum illo habet suum significatum, non tamen ex virtute significationis, & ideò nec ly *essentia diuina* supponit pro Patre, nec pater pro essentia diuina; nam suppositio non solum est verificatio pro aliqua re, sed etiam est acceptio termini pro re, quam significat; vnde si terminus non significat aliquam rem, non poterit pro illa accipi, ly autem *essentia* diuina non significat Patrē, nec ly *Pater* significat essentiam diuinam; eo quod hoc verbum *significo* appellat proprium conceptum termini in quem fertur, id est, appellat illum cōceptum, quem habuit terminus in mente impositoris, vt docet sapiētissimus Magister Soto lib. 2. Summularū, notabili 2. cap. 14. de appellatione, circa secūdam regulam appellationis rationis; quapropter ait sapientissimus Magister Soto, ly *homo* solum significat hominem sub conceptu hominis, non autem

significat Petrum, nec Paulum, nisi secundario, & inadæquatè, & quasi materialiter, quæ doctrina ad vnguem deducitur ex sapiētissimo Magistro Soto, ad vnguemque erit obseruanda, siquidem per illam plura argumenta soluuntur.

3 Quibus suppositis. Sit nostra conclusio. Ars syllogistica extenditur vsque ad terminos diuinos, & vsque ad sacrosanctum, & ineffabile mysterium Sanctissimæ Trinitatis. Probatur cōclusio hac ratione. Fides non destruit naturam, imò potius perficit illam: sed ars syllogistica fundatur in principijs lumine naturale notis; ergo ars syllogistica extenditur vsque ad terminos diuinos. Nec ex hoc sequitur, quod lumen naturale extēdatur ad aliquod supernaturale, nam in syllogismo facto in terminis diuinis, duo possunt cōsiderari. Primum est veritas, aut falsitas præmissarum secundum est bonitas, aut malitia cōsequentiæ, & dispositionis in modo, & figura. Ad primum non se extendit naturale lumē, sed aliud superius requiritur, ad secundum autem extēditur lumen naturale; eo quod eiusdem rationis est formaliter consequentia facta in terminis diuinis, ac consequētia facta in terminis creatis, & solum distinguuntur materialiter, id est, ratione materiæ; vnde non requiritur specialis doctrina, aut speciales leges pro terminis diuinis, nec consequentia, quæ est bona lumine naturali, est mala lumine supernaturali, quia lumen supernaturale non tradit principia, quibus bonitas, aut malitia consequentiæ cognoscatur, sed hoc ad lumen naturale pertinet, vt dictum est. De bonitate autem consequentiæ, aut de malitia ipsius, nullam reuelationem habemus, sed solū de præmissis syllogismi in terminis diuinis facti diuinam reuelationem habemus.

4 Contra nostram conclusionem obijcies primo. Iste syllogismus est in darij, *omnis essentia diuina est Pater, Filius est essentia diuina; ergo filius est pater*: & tamen præmissæ sunt veræ, & conclusio est hæretica; ergo ars syllogistica non extenditur vsque ad terminos diuinos, sed necessaria erit alia ars, & alia lex. Respond. distinguēdo mai. est in Darij absque vllo defectu, nego mai. cum aliquo defectu, cōcedo mai. & conceſſa mi nori, nego conseq. Prædictus enim syllogismus est in darii, cæterū est cum defectu arguendi ab identica ad formalem, quē defectum vocat D. Thomas in opusculo de fallacijs, *fallaciam dictionis, quia mutatur quid in aliquid*. Et ratio est, quia maior, & minor faciunt sensum identicū, & in sensu identico verificātur; conclusio autem facit sensum formalem; eo quod in conse-

quenti

quenti importantur oppositæ relationes, quarum vna de altera non potest prædicari, nisi in sensu identico. Et instio argumẽtum in terminis creatis. Nã hæc consequentia nihil valet, omnis motus physicus est actio: omnis motus physicus est passio; ergo passio est actio. & tamen est in darapti; ergo si iste syllogismus, quamuis sit in darapti, quia habet defectum arguendi ab identica ad formalẽ, nihil valet, quia maior, & minor faciunt sensum identicum, & consequens sensum formalẽ; eo quod facit sensum, quod passio vt passio est actio, ita similiter syllogismus positus in argumento nihil valet propter eumdem defectum, si ergo hoc contingit in terminis creatis, quid mirum, quod eueniat in terminis diuinis.

5 Obijcies secundo. Hæc est mala consequentia. *hæc essentia diuina est pater, hæc essentia diuina est filius; ergo filius est pater:* & tamen arguitur per syllogismũ expositorium; ergo ars syllogistica non extenditur vsque ad terminos diuinos. Cõfirmatur. Hæc est mala conseq. *Pater est Deus, Filius est Deus, ergo filius est Pater:* & etiam arguitur expositorie; ergo ars syllogistica non extenditur vsque ad terminos diuinos. Respond. concedendo mai. & distinguendo min. Cum defectu ab identica ad formalẽ, concedo min. sine tali defectu, nego min. & conseq. quia maior, & minor prædicti syllogismi faciũt sensum identicum, & consequẽs facit sensum formalem, vt explicatum est in solutione ad primum argumẽtum, & instio argumentum in terminis creatis. Nam hæc est mala cõseq. *hic motus est actio, hic motus est passio; ergo passio est actio* propter eumdem defectum, & per hoc respondetur ad confirmationem, & instio argumentũ in terminis creatis, nam hæc est mala conseq. *actio est motus, passio est motus; ergo passio est actio;* ergo propter eumdem defectũ erit mala illa adducta in confirmatione argumenti.

6 Obijcies tertio. Hæc est mala conseq. *Pater generat, Pater est essentia diuina; ergo essentia diuina generat:* & tamen arguitur per syllogismum expositorium; ergo ars syllogistica non extenditur vsque ad terminos diuinos. Respond. concedendo mai. & distinguendo min. cum defectu, concedo min. sine defectu, nego min. & conseq. Itaque dico, quod prædictum argumentum præter defectum ab identica ad formalem, habet alium defectum ex parte maioris extremitatis, nẽpè, quia variatur appellatio, siue quasi appellatio; eo quod variatur applicatio ad distinctum subiectũ, nam in maiori actio generatiua applicatur ad patrem, & in cõsequenti applicatur generare ad

immediatum significatū de ly *essentia diuina*, quod est essentia diuina, & non pater; nam vt diximus, nomen essentiale non supponit pro personis, sed pro essentia. Et insto argumentum in creatis, in quibus hæc consequentia nihil valet, *hæc albedo est intensa, hæc albedo est similitudo; ergo similitudo est intensa*. Si ergo propter defectum distinctæ applicationis, hæc secunda cōsequentia nihil valet, & propter eumdem defectum non valebit prima.

7 Occasione istius argumēti inquires, cur hæc propositio, *essentia diuina generat* sit falsa, & hæc sit vera, *essentia diuina creat*: cum in vtraque militet idem principium nempè *actiones sunt suppositorum*? Respondeo rem Theologicam esse attamē cum Summulistis loquendo. Ratio est, nam cum nihil possit generare seipsum, oportet quod res genita distinguatur à generāte: & cum filius genitus in diuinis ab essentia diuina non distinguatur, vt fides Catholica fatetur, sunt enim tres personæ in trinitate, & vna essentia diuina: hinc prouenit, quod hæc propositio sit falsa, essentia diuina generat. Insuper est alia ratio. Nā cum genitum debeat esse simile in essentia cum generante, & à generante realiter distingui in supposito, oportet, quod genitum ab essentia diuina habeat eamdem essentiam, & ab essentia diuina realiter distinguatur: cum igitur ly generat, applicet actum generandi supra significatum de ly *essentia diuina*, & nihil quod sit idem cum natura diuina distinguatur realiter ab illa: hinc prouenit, quod illa propositio essentia *diuina generat* sit falsa. Illa autem propositio, *essentia diuina creat*, est vera, nam cum terminus creationis, nempè creatura realiter distinguatur ab essentia diuina, nō est vnde falsificetur hæc propositio, *essentia diuina creat*. Ad illud quod actiones sunt suppositorū dico; quod quāuis actiones sint suppositorum, ratione tamen suppositi attribuuntur naturæ; vnde opera trinitatis ad extra sunt communia toti trinitati, & ratione personæ diuinæ attribuūtur naturæ diuinæ, vt docet D. Thomas 3. p. quæst. 3. art. 3. vbi dicit, quod natura diuina fuit incarnata; opera autem trinitatis ad intra non sunt communia toti trinitati, & ideō generare, quod est opus trinitatis ad intra non attribuitur naturæ diuinæ ratione personæ, sed de his latissimè agitur 1. p. quæst. 32. artic. 2. per quod ad quæsitū constat responsio.

8 Obijcies quarto. Hæc est mala conseq. *hic Deus* est generans, hic Deus est genitus; ergo genitus est generans: & tamen arguitur expositoriè; ergo leges syllogismi expositorij non extenduntur ad terminos diuinos.

Res-

Respondent aliqui, quod hic terminus, hic Deus non est sufficienti modo singularis, vt sit medium in syllogismo expositorio, & ideo prædictus syllogismus non est expositorius. Hæc tamen solutio mihi non placet. Nam cõmunitas importata per talem terminum, non importatur ex modo significandi, sed ex parte rei significatæ; eo quod res singularis significata per talem terminũ infinita est, & eadẽ omninò manens est tres res, & vna singularissima res, Pater enim, & Filius, & Spiritus Sanctus, nõ solùm quilibet illorum est hic Deus, sed idem omninò hic Deus. Omissa tamen hac solutione respondetur concedendo mai. & distinguendo min. Cum defectu ab identica ad formalem concedo min. sine tali defectu, nego min. & conseq. Itaque talis syllogismus habet defectum ab identica ad formalem, nam maior, & minor cum non importẽt relationes oppositas faciunt sensum identicum, consequens autem facit sensum formalem, quia in consequẽti importantur oppositæ relationes. Et insto argumentum in terminis creatis. Nam hæc consequẽtia nihil valet, *hic motus est actio, hic motus est passio; ergo passio est actio* propter eumdem defectũ. Sed replicabis. Si ly *hic Deus* est terminus singularis sufficiẽs, vt sit medium in syllogismo expositorio, erit etiam sufficiens ad hoc, quod sit subiectum in propositionibus cõtradictoriis; cõsequẽs est falsum; ergo & antecedens. Minor probatur. Ita quõ sunt contradictoriæ, *hic Deus generat, hic Deus non generat*; ergo ly *hic Deus* non est terminus singularis. Antecedens probatur. Vtraque est vera; ergo non sunt cõtradictoriæ. Antecedens probatur. Affirmatiua verificatur de patre pro quo supponit ly *hic Deus*, & negatiua verificatur de filio, pro quo etiam supponit ly *hic Deus*; ergo vtraque est vera. Respondetur concedẽdo mai. & negando min. Ad probationem concedo antecedens pro 1. p. & nego pro 2. Nam ille terminus *hic Deus*, quamuis supponat pro filio ad enunciandum de illo quamlibet actionẽ, vel passionem, tamen non limitatur ad supponendum tantum pro filio, quãdo de illo negatur aliqua actio, vel passio, quæ cõuenit huic Deo ratione alicuius suppositi. Quapropter vt hæc propositio hic Deus non generat sit vera, requiritur quod generare ab omni supposito diuino pro quo supponit ly *hic Deus* remoueatur: cum autem ly *hic Deus* supponat pro Patre, qui generat: hinc prouenit, quod hæc propositio, *hic Deus non generat* sit falsa; vnde in propositionibus affirmatiuis, vbi prædicatũ est aliquid notionale, sufficit ad hoc, quod sint veræ, quod prædicatum verificetur de vno habente

bente talem deitatem: at verò in propositionibus negatiuis ad hoc, quod sint veræ, requiritur, quod prædicatum remoueatur ab omni habente illam Deitatem, quia omnis habens hanc deitatem est hic Deus singularissimus, cuius ratio est. Nam hæc propositio, *hic Deus non generat*, importat negationem oppositam huic propositioni, *hic Deus generat*: cum autem hæc propositio, *hic Deus generat* significet, quod hic Deus generat ratione alicuius suppositi, pro quo supponit ly *hic Deus*; fit consequẽs, quod hæc propositio, *Deus non generat*, dicat quod hic Deus ratione nullius suppositi generat, quod est falsissimum. Simili doctrina vtitur sapientissimus Magister Soto lib. 3. Summularũ, cap. 9. sect. 3. in solutione ad octauum argumentum.

9 Obijcies quinto. Hæc cõsequẽtia, *filius non generat, filius est Deus; ergo Deus non generat est mala*: & tamen arguitur expositoriè; ergo idem quod prius. Confirmatur. Iste est malus syllogismus, *Pater non est genitus, Pater est Deus; ergo Deus non est genitus*. Similiter iste nihil valet, *Spiritus Sanctus non spirat, Spiritus Sanctus est Deus, ergo Deus non spirat*. Eodem modo iste syllogismus peccat, *hic Deus spirat, hic Deus est spiratus, ergo spiratus spirat*: & tamen in omnibus syllogismis arguẽtamur per syllogismum expositorium; ergo leges syllogismorum non extẽduntur vsque ad terminos diuinos. Respondetur concedendo maiorem, & distinguendo minorem, cum defectu concedo minorẽ sine defectu, nego minorem, & consequentiam. Itaque defectus est, quia arguitur ab identica ad formalem, seu à minus formali ad magis formalem ex parte minoris, quæ facit sensum identicũ, & consequens facit formalem; eo quod subiectum, & prædicatum consequẽtis important distinctas relationes in diuinis oppositas; ac proinde consequens verificatur in sensu formali. Et instò argumẽtum, in terminis creatis, in quibus hæc consequentia nihil valet, *hæc actio non est passio, hæc actio est motus; ergo motus non est actio*, propter eundem defectum. Insuper est alius defectus in prædicta consequentia, quãdo infertur; ergo *Deus non generat*, quia virtualiter arguitur à non distributo ad distributum ex parte minoris extremitatis, quia cum in diuinis non sit nisi vnus singularissimus Deus, si ille non generat, nullus generat; ac proinde nullus habens deitatem generat, in affirmatiuis autem contingit è contra, vt dictum est; eo quod quidquid cõuenit vni supposito, necesse est, vt competat huic Deo, quia Deus supponit pro habẽte deitatem; sicut enim hæc propositio est vera, *Petrus, & Paulus*

sciunt

ſciunt ſeptem artes liberales, caſu quo Petrus ſciat tres, & Paulus ſciat quatuor, & hæc eſt falſa, *Petrus, & Paulus ſunt neſcientes ſeptem artes liberales*, ita pariter dicendum eſt in noſtro caſu; & per hoc ad confirmationẽ conſtat ſolutio. Recollantur dicta agẽtes de propoſitionibus præg nantibus. Et hęc dicta ſufficiant de tota iſta diſputatione, applicando litteræ noſtri ſapientiſſimi Magiſtri Soto lib. 5. Summularum à cap. 1. vſque ad cap. vlt. imò, & de toto iſto tractatu dicta ſufficiãt; vtinam omnia, quæ in omnibus diſputationibus diximus cedant in laudem omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & in omnium ſtudentium vtilitatem, quam ſummo opere intendimus; & ſi quid contra orthodoxam fidẽ, ſeu minus conſonum illi dictũ eſt; ex nunc pro tunc vna, & mille vicibus retracto, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ correctioni ſubijcio.

FINIS.

DEO LAVS, AMEN.

IN-

INDEX DISPVTATIONVM, ET Quæſtionum, quæ in hoc Thomo continentur.

Diſputatio Prima, De operationibus intellectus.

Quæſtio 1. Quid ſit prima, quid ſecũda, quid tertia operatio intellectus noſtri? pag. 1.

Quæſtio 2. Vtrùm operationes noſtri intellectus ſint plures, aut pauciores, quam tres? pag. 3.

Quæſtio 3. Quomodo inter ſe iſtæ operationes intellectus diſtinguantur, pag. 11.

Quæſtio 4. Quænam ex tribus operationibus enumeratis ſit perfectior? pag. 13.

Quæſtio 5. Vtrùm Logica dirigat hanc triplicem intellectus operationem? pag. 17.

Diſputatio Secunda, De ſigno in communi.

Quæſtio 1. Vtrùm definitio ſigni ſit bona? pag. 23.

Quæſtio 2. Vtrùm relatio ſigni ad ſignatum ſit realis, vel rationis? pag. 25.

Quæſtio 3. Vtrùm ſignũ conſtituatur in ſuo eſſe per relationem ad ſignatum? pag. 27.

Quæſtio 4. Vtrum relatio ſigni ad ſignatum, per quam ſignũ formaliter conſtituitur, ſit trãſcendentalis, vel prædicamentalis? pag. 30.

Quæſtio 5. Vtrùm ſignum ſub ratione medij ducẽdi ad cognitionem alterius ſit formaliter obiectum? pag. 33.

Quæſtio 6. Vtrùm brutis ſint ſigna? pag. 37.

Quæſtio 7. Vtrùm vnum ſimile ſit ſignũ alterius? pag. 37.

Quæſtio 8. Vtrùm cauſa principalis ſit ſignum ſui effectus? pag. 40.

Quæſtio 9. Vtrùm detur ſignificare effectiuè? pag. 42.

Diſputatio Tertia, De ſigno formali.

Quæſtio 1. Vtrùm definitio ſigni formalis ſit bona? pag 47.

Quæſtio 2. Vtrùm ſignum formale ſit verè, & propriè ſignum? pag. 48.

Quæſtio 3. Vtrùm ſpecies impreſſa ſit ſignum obiecti, quod repræſentat? pag. 53.

Quæſtio 4. Vtrùm actus intelligẽdi ſit ſignum formale, & an eadem cognitione cognoſcatur res, & ſignum formale? pag. 57.

Diſputatio Quarta, De ſigno inſtrumentali & naturali.

Quæſtio 1. Vtrùm definitio ſigni inſtrumentalis ſit bona? pag. 60.

Quæſtio 2. Vtrùm definitio ſigni naturalis ſit bona? pag. 62.

Quæſtio 3. Vtrùm ſignum ex

ex consuetudine sit signum naturale? pag. 63.

Disputatio Quinta, De signo ad placitum.

Quæstio 1. Vtrùm voces significent ad placitum? pag. 64.

Quæstio 2. Vtrùm voces repræsentent res, & exprimant conceptus? pag. 65.

Quæst. 03. Vtrùm voces sint signa, quando actualiter non considerantur ab intellectu? pagin. 67.

Disputatio Sexta, De diuisionibus signi, & obiecti.

Quæstio 1. Vtrùm diuisio signi in naturale, & ad placitum sit vniuoca? pag. 68.

Quæstio 2. Vtrùm diuisio obiecti sit bona? pag. 74.

Quæstio 3. Vtrùm definitiones obiectorum sint rectè traditæ? pag. 75.

Disputatio Septima, De notitijs.

Quæstio 1. Vtrùm diuisio notitiæ in intuitiuam, & abstractiuam sit bona? pag. 77.

Quæstio 2. Quid requiratur ad notitiam intuitiuam, & an definitio illius sit bona? pag. 82.

Quæstio 3. Vtrùm possit dari de potentia Dei absoluta, notitia intuitiua in absentia obiecti? pag. 84.

Quæstio 4. Vtrùm in sensibus exterioribus possit dari notitia abstractiua? pag. 90.

Disputatio Octaua, De conceptibus.

Quæstio 1. Vtrùm diuisio conceptus in vltimatum, & nõ vltimatum sit bona? pag. 92.

Quæstio 2. Vtrùm conceptus non vltimatus repræsentet terminum secundum, quod est significatiuus? pag. 94.

Quæstio 3. Vtrùm ad cognoscendum conceptum directum requiratur conceptus reflexus? pag. 97.

Disputatio Nona, De termino in communi.

Quæstio 1. Vtrùm definitio termini sit bona? pag. 103.

Quæstio 2. Vtrùm signum sit genus in definitione termini? pag. 106.

Quæstio 3. Vtrùm hæc propositio, terminus est vox sit vera? pag. 110.

Quæstio 4. Vtrùm hæc propositio, terminus est ens rationis sit vera? pag. 113.

Quæstio 5. Vtrùm vltima differentia termini sit componere propositionem? pag. 117.

Disputatio Decima De terminis in particulari.

Quæstio 1. Vtrùm definitio termini mentalis sit bona? pag. 121.

Quæstio 2. Vtrùm diuisio termini in vocalem, mentalem, & scriptum sit essentialis, & vniuoca? pag. 122.

Quæstio 3. Vtrùm diuisio terminum vniuocum, & æquiuocũ sit bona, & essentialis? p. 124.

Quæstio 4. Vtrùm terminus æquiuocus, cui adiungitur adiectiuum vniuocum, sit vniuocus? pag. 127.

Quæ-

Quæstio 5. Vtrùm detur æquiuocatio in mente? pag. 131.

Quæstio 6. Vtrùm regulæ analogorum rectè tradantur à sapientissimo Magistro Soto? pag. 135.

Quæstio 7. Vtrùm alienatio reddat propositionem necessariam; & diminutio impediat alienationem in? pag. 138.

Quæstio 8. Vtrùm diuisio termini in categorematicum, & sincategorematicum sit essentialis, & vniuoca? pag. 142.

Quæstio 9. Vtrùm y Deus sit terminus communis? pag. 146.

Quæstio 10. Vtrùm definitio termini communis sit bona? pag. 150.

Quæstio 11. Vtrùm definitiones termini singularis, collectiui, & diuisiui sint bonæ? pag. 153.

Quæstio 12. Vtrùm definitiones termini connotatiui, & absoluti sint bonæ? pag. 159.

Quæstio 13. Vtrùm regulæ assignatæ pro terminis connotatiuis habeant verum? pag. 161.

Quæstio 14. Vtrùm terminus connotatiuus significet subiectum? pag. 163.

Quæstio 15. Vtrùm definitiones termini primæ intentionis, & termini secundæ intentionis sint bonæ? pag. 166.

Quæstio 16. Vtrùm terminus secundæ intentionis necessariò debeat esse terminus connotatiuus? pag. 169.

Quæstio 17. Vtrùm definitiones termini complexi, & incomplexi sint bonæ? pag. 172.

Quæstio 18. Vtrùm nomina compositæ figuræ sint termini complexi? pag. 178.

Quæstio 19. Vtrùm duo termini oppositi possint de eodem verificari, vel falsificari? p. 183.

Quæstio 20. Vtrùm ly non homo neganter, & ly non homo infinitanter sumptum, sint termini pertinētes sequela? pagin. 192.

Disputatio Vndecima, De nomine.

Quæstio 1. Vtrùm signum sit genus ad nomen? pag. 195.

Quæstio 2. Vtrùm definitio nominis sit bona? pag. 200.

Quæstio 3. Vtrùm nomen infinitum sit verè nomen? p. 203.

Quæstio 4. Vtrùm casus obliqui sint verè, & propriè nomina? pag. 206.

Quæstio 5. Vtrùm nomina transcendentia possint infinitari? pag. 212.

Quæstio 6. Vtrùm diuersitas generis reperiatur in mente vltimata? pag. 216.

Disputatio Duodecima, De Verbo.

Quæstio 1. Vtrùm definitio verbi sit bona? pag. 220.

Quæstio 2. Vtrùm verbum infinitum possit intra propositionem reperiri? pag. 225.

Quæstio 3. Vtrùm verbum absoluatur à tempore? p. 230.

Quæstio 4. Vtrùm in omni propositione essentiali verbum absoluatur à tempore? p. 239.

Quæstio 5. Vtrum verbum sit

sit pars principalis propositionis? pag. 244.

Disputatio Vndecima, De oratione, & modo sciendi.

Quæstio 1. Vtrùm diuisio orationis in perfectam, & imperfectam sit bona, & essentialis? pag. 249.

Quæstio 2. Vtrùm definitio modi sciendi sit bona? p. 254.

Quæstio 3. Vtrùm in dialecticâ à modo sciendi sit incipiẽdum? pag. 256.

Quæstio 4. Vtrùm definitiones, definitionis, & diuisionis; & cõditiones vtriusque sint rectè traditæ? pag. 260.

Quæstio 5. Vtrùm definitio argumentationis sit bona? pag. 271.

Quæstio 6. Vtrùm consequẽtia mala, materialis, & topyca sint simpliciter consequentiæ? pag. 274.

Disputatio Decimaquarta, De propositione.

Quæstio 1. Vtrùm definitio propositionis sit bona? pag. 278

Quæstio 2. Vtrũ essentia propositionis consistat in significare verum, vel falsum? pag. 283.

Quæstio 3. Vtrùm significare verum, vel falsum sit proprietas quarto modo propositionis? pag. 291.

Quæstio 4. Vtrùm vna propositio sit verior altera formaliter? pag. 298.

Quæstio 5. Vtrùm dẽtur propositiones æternæ veritatis? pagin. 320.

Quæstio 6. Vtrùm propositio mentalis sit simplex qualitas? pag. 329.

Quæstio 7. Vtrùm diuisio propositionis in cathegoricam, & hypotericam sit essentialis, & vniuoca? pag. 350.

Quæstio 8. Vtrùm diuisiones propositionis in affirmatiuã, & negatiuam; & in vniuersalem, particularem, indefinitam, & singularem sint adæquatę, & essentiales? pag. 359.

Disputatio Decimaquinta, De suppositione in communi, & in particulari.

Quæstio 1. Vtrùm definitio suppositionis sit bona? pag. 369

Quæstio 2. Vtrùm termini extra propositionem supponãt? pag. 373.

Quæstio 3. Vtrùm verbum, & adiectiuum adiectiuè tentum supponat? pag. 378.

Quæstio 4. Vtrùm diuisio suppositionis in propriam, & impropriam sit analoga? pagin. 381.

Quæstio 5. Vtrùm suppositio impropria reperiatur in mente? pag. 382.

Quæstio 6. Vtrùm distributio impediat suppositionem simplicem? pag. 393.

Quæstio 7. Vtrùm quando prædicatum repugnat subiecto, possit subiectum supponere simpliciter? pag. 395.

Quæstio 8. Vtrùm hæc propositio, homo est species, sit necessaria? pag. 399.

Dis-

Disputatio Decimasexta. De relatiuis, & inductione.

Quæstio 1. Vtrùm definitio relatiui sit bona? pag. 401.

Quæstio 2. Vtrùm diuisiones relatiui assignatæ à sapientissimo Magistro sint rectè traditæ? pag. 403.

Quæstio 3. Quomodo sit resoluendum relatiuum, qui? pag. 406.

Quæstio 4. Vtrùm relatiuum in omnibus propositionibus de subiecto communi sit immediatè resolubile? pag. 409.

Quæstio 5. Vtrùm relatiuum non reciprocũ in omnibus propositionibus referat restrictè? pag. 413.

Quæstio 6. Vtrùm locorelatiui reciproci liceat ponere suũ antecedens? pag. 418.

Quæstio 7. Vtrùm inductio sit consequentia formalis? pag. 421.

Disputatio Decimaseptima, De ampliatione, & appellatione.

Quæstio 1. Vtrùm definitio ampliationis sit bona? pag. 425

Quæstio 2. Vtrùm regulæ ampliationis, assignatæ à sapientissimo Magistro in hoc capite, lectione prima, notabili quarto, sint rectè traditæ? pag. 428.

Quæstio 3. Vtrùm sex loci arguendi in ampliatione, assignati à sapientissimo Magistro sint rectè taditi? pag. 430.

Quæstio 4. Vtrùm definitio appellationis sit bona? pag. 434.

Quæstio 5. Vtrùm regulæ pro appellatione reali, traditæ à sapientissimo Magistro, sint rectè traditæ? pag. 437.

Quæstio 6. Vtrùm regulæ pro nominibus numeralibus, assignatæ à sapientissimo Magistro, sint rectè traditæ? pagin. 440.

Disputatio Decimaoctaua, De oppositione, & conuersione.

Quæstio 1. Vtrùm oppositio contradictoria sit omnium maxima? pag. 444.

Quæstio 2. Vtrùm duæ contradictoriæ possint dari simul veræ, aut simul falsæ? pag. 455.

Quæstio 3. Vtrùm duæ contrariæ possint dari simul veræ; aut duæ subcontrariæ simul falsæ? pag. 461.

Quæstio 4. Vtrùm sit bona consequentia cõuersio simplex, & per accidens? pag. 465.

Quæstio 5. Vtrùm conuersio per contra oppositionem sit bona consequentia? pag. 468.

Disputatio Decimanona, De modalibus, & hypotheticis.

Quæstio 1. Vtrùm differentiæ inter modalem compositam, & diuisam, rectè tradantur à nostro sapientissimo Magistro? pag. 471.

Quæstio 2. Vtrùm à modali composita ad diuisam, & à diuisa ad compositam sit bona consequentia? pag. 478.

Quæstio 3. Vtrùm iste modus con-

contingenter cõuertatur in oppositam qualitatem? pag. 484.

Quæstio 4. Vtrum propositio hypotetica benè definiatur à nostro sapiẽtissimo Magistro; & an sit quanta, & qualis? pag. 486.

Quæstio 5. Vtrùm omnis cõditionalis, aut necessaria, aut impossibilis sit? pag. 491.

Disputatio Vltima, De Syllogismo.

Quæstio 1. Vtrùm definitio syllogismi sit bona? pag. 503.

Quæstio 2. Vtrùm conclusio sit de essentia syllogismi? pag. 506.

Quæstio 3. Vtrùm leges syllogismorum, vsque ad terminos diuinos extendantur? pag. 512.

FINIS.

Ningu[illegible]

Allador sauio y prudente
Qualquiera que leyeras
Este libro bolueras
A qualquiera de zeçente.
Juan tengo por nombre
Para poderos seruir
Garcia Comendador
Pues por Christo morir

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL
PALENCIA

REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL

DISPU
DE
Lemma

2.890